www.e-rara.ch

Athanasii Magni Alexandrini episcopi, graviss. scriptoris et sanctiss. martyris, Opera in quatuor tomos distributa

Athanasius

Basileae, 1564

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-125995

Operum sancti patris Athanasii archiepiscopi Alexandriae, tomus secundus.

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

OPERVM SANCTI PATRIS ATHANASII ARCHIEPIscopi Alexandriæ, TOMVS SECVNDVS.

ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE Ad Imperatorem Constantium,

APOLOGIA.



VVM MVLTIS iam annis sciam te Christianũ & retro à maioribus usq; Dei studiosum, nõ possum non bono esse ad me tibi excusandum. Siquidem beati Pauli uerbis utens, illum apud te meum intercessorem facio, quum sciam & illum ueritatis præconem, & te eius uerborum diligẽtem auscultatorem religiosissime Auguste. De rebus igitur Ecclesiasticis, & de impotentia & factionibus aduersariorum contra me, tot Episcoporum scripta abunde pro testimonio apud tuam pietatem fuerint, satis etiam Vrsacij & Valentis pœnitentia ostendere poterit, nihil in omnibus, quibus me impetiuerunt, ueri fuisse. Quid enim tantum alij pro testimonio dicere poterãt, quantum isti suis scriptis confitentur? dum aiunt: Mentiti sumus, finximus, & omnia quæ Athanasio obiecta fuere, calumnia scatent, nec leue momentum documenti, si dignaberis audire, quòd præsentibus nobis nihil docere potuere accusatores Macarij Presbyteri, absentibus autem nobis id egerint, quod libuit. Cuiusmodi acta primum diuinæ, deinde uestræ leges nullum robur habere definiunt. Iam isthinc tua pietas ueritati dedita, ac religiosa satis perspicit nos liberos esse ab omni suspicione, & aduersarios nostros calumniatores esse. De mea autẽ in te maledicentia, qua usum me fingunt apud pijssimũ Augustum beatę & æternæ memoriæ Constantem: id enim ab inimicis & iactitatur & scribitur, primarum calumniarum falsitas, huius quoq; rei uanitatem facile coarguerit. Nam si alij criminatores essent, controuersiosa aliquo modo ea causa uideri posset, et opus esset plurimis documentis, & coram in faciem refutationibus: Iam quum ijdem illi qui priora finxerunt, hæc quoq; cõminiscantur, qui (quæso) fieri posset, ut non ab ijsdem eandem & isthic uanitatem expectes? Ideoq; in absentem deblaterãt, sperantes se ita tuæ pietati obrepere posse, sed frustra: Non enim ita ijs aurem præbuisti, ut sperabant, sed pro tua mansuetudine dedisti & nobis locum uicemq; respondendi. Te enim non statim cõmotum fuisse, nec euesti gio supplicium postulasse, signum fuit euidentissimũ, ut iustum Imperatorem decet, nihil æque te expectare, cq; delati hominis defensionem. Ergo si eam nunc dignaberis audire, confido fore ut etiam hac in parte eorum temeritatem condemnes, & contemptum Dei præcipientis, ne falsum quid

ex ore tuo regi loquaris. Pudet reuera etiam uel diluendo de ista re mentionem facere, de qua ne accusator quidem sustinuit uerba facere, dum adhuc præsentes essemus, utpote qui sciat se falsum dicere. Non insanio ego, non mente captus sum, ut uel cogitasse unquã me tale quid suspiceris. Quapropter ne alijs quidem percunctantibus respõdere uelim, ne iterum, dum excuso me, illi qui audiũt, animi pendeant. Tuæ aũt pietati magna & clara uoce respondeo, manúq; extensa, quod didici ab Apostolo, Deum in meam ipsius animam testor, & ut scribitur in libris Regum iusiurandum concipio: Testis sit dominus, & testis sit Christus eius, sinas (quæso) me loqui, nunquam in malum tui mentionem feci, apud fratrem tuum beatæ memoriæ Constantem pijssimum Augustum, neq; illum aduersum te irritaui, ut calumniantur isti, imo contrà, si quando eum conuenirem, mentionem ipse faciebat de tua humanitate, quod etiam tum contigit quum Thalassus ueniebat Pitybionẽ, & nos cõmoraremur Aquileiæ. Deus conscius est, quàm ego ibi tuæ pietatis meminerim, & quæ ego per id tẽporis locutus fuerim, Deus tuæ aliquando menti reuelabit: ut cognoscas sycophantias meorum apud te calumniatorũ. Sine (quæso) me ista loqui humanissime Auguste, plurimamq; mihi hac in parte ueniam concede. Non ita facilis erat, non ita obuias aures habuit cultor ille numinis Constans, neq; ego apud eum tantus, ut de istiusmodi rebus uerba fuissem ausus facere, & fratri apud fratrem obtrectare, & de Imperatore apud Imperatorem criminosè loqui. Non insanio Imperator, neq; immemor sum diuinæ uocis ita loquentis: Et in cõscientia tua regem ne execreris, & in recessibus cubiculi tui ne obtrectaueris opulẽto, quoniam uolucres cœli auferent uocem tuam, & alatus renunciabit sermonem tuum. Quòd si ea quæ de uobis regibus secreto dicuntur, latebras ad celandum non habent, qui (quæso) credibile est præsente Imperatore, & tot in orbem circũstantibus, me male de te loquutũ fuisse? Nunquam sine comitibus aut arbitris fratrem tuum uidi, neq; ille unq; mecũ solus cum solo uerba miscuit, sed semper cum Episcopo eius loci ubi agebat, alijsq; qui ibi aderant, ad colloquiũ intraui, simul cum illis eum uidi, simul cum illis ab eius conspectu recessi. Huius rei testis est Fortunatianus Aquileiæ Episcopus, & plenã eius rei historiam pater Osius docere posset. Crispinus item Patauij Episcopus, Lucillus Veronæ, & Dionysius Leidæ, & Vincentius Campaniæ, & quia defuncti sunt Maximinus Treueris, & Protasius Mediolani præsules, Eugeniusq; qui magister erat, testes citari possunt: Hic enim ante ostium stabat, audiebatq; & nostras tum postulationes, & quid uicissim ab illo responderetur. Hæc quidem sufficiunt pro demonstratione, sed tamen (quæso) admittas, ut referã omnia colloquia meæ profectionis, ut inde cognoscas, quàm temere traducar. Profectus sum Alexandria, non ad castra fratris tui, aut alium quempiam, sed Romam duntaxat, me meaq; Ecclesiæ cõmendaturus. Ea enim mihi unica cura fuit, quo tẽpore multus eram in synaxibus celebrandis, nec unq; fratri tuo scripsi: nisi ubi Eusebiani calumniosas de me literas ad eum misissent, necessumq; erat, ut me etiam tum, quum adhuc Alexãdriæ agerem, excusarem, iterumq; ad eum scripsi, quum mihi mandasset ut tabulas sacrarũ literarum cõficerem

quas

quas cõfectas ad eum miſi. Oportet enim eum qui ſe defendit, uera dicere, præſertim apud tuam Maieſtatem. Poſt triennium, quarto denicꝫ anno literis iuſſit ut ad ſe uenirem. Agebat aũt per id tempus Mediolani. Sciſcitabar quid cauſæ eſſet, cur euocarer, quippe ignarus omniũ, teſtis mihi Deus eſt. Comperiebam autẽ quoſdam Epiſcopos, qui eo profecti erant, precibus ab eo poſtulaſſe, ut tuæ pietati de ſynodo facienda ſcriberet: crede mihi Imperator, res ita acta eſt, ut dico, & nihil mentior. Quũ igitur ueniſſem Mediolanum, expertus ſum illius mirificam humanitatem, dum & me ſuis oculis dignatur, uerbisꝫ indicat ſe ad te de celebrando concilio literas miſiſſe: idem me rurſus agentem in ſuburbio, in Gallias euocauit, eo enim pater Oſius cõceſſerat, ut inde ad Sardicenſe cõcilium proficiſceremur. Poſt concilium uero Naiſſi mihi commoranti denuo ab eodem ſcribitur. Confecto igitur itinere, per reliquum tempus Aquileiæ hæſi: ubi me literæ tuæ pietatis deprehenderunt, inde rurſus à beatæ memoriæ uiro euocatus, in Gallias profectus ſum, atque ita perueni ad tuam Maieſtatem. Quo igitur loco, aut quo denicꝫ tempore accuſator dicere poterit, me de te male loquutum fuiſſe? aut quo præſente iſtis uerbis, quæ mihi affingit, debacchatus ſum, aut quem ſibi habet in hac calumnia ſubſcriptorem aut teſtem? quod oculis deprehenderat, id illi dicendum fuit, quemadmodũ Sacra Scriptura præcipit. Nunquã ille teſtẽ inuenerit, rerum earum quæ factæ non ſunt: Ego aũt falſum non dico, qui pariter cum ipſa ueritate tuam quoꝫ pietatem teſtem habeo. Obſecro te (noui uim memoriæ tuæ) reminiſcere eorum uerborum quæ tecum habui, quum dignatus eſſes me ſub tuum conſpectũ uenire, primum Viminiaci, iterũ Cæſareæ, quæ eſt in Cappadocia, tertiò Antiochiæ, an uel tum de Euſebio, quãquã uexatore meo acerbiſsimo, quicꝫ ſiniſtri dixerim, an cuiquã eorum, qui mihi iniurias fecere, aſperius locutus ſim? Si igitur ijs, contra quos mihi pro defenſione dicendum erat, non maledixerim, quæ illa fuiſſet mea inſania, Imperatori apud Imperatorem obtrectare: & fratrem cum fratre collidere? Obſecro te, iube ut me uel in præſentia reum peragant, uel eos calumniarum cõdemna, imitareꝫ Dauidem ita loquentem, Detrahentem clanculum proximo ſuo, hunc perſequebar. Nam quantum ad illos pertinet, cædem fecere: os enim quod mentitur, occidit animam, niſi tua manſuetudo obſtitiſſet, quæ libertatem defenſioni meæ tribuit ad cõuincendas uitilitigatorũ ſycophantias. Hactenus igitur de pijſsimo & beatæ memoriæ fratre tuo dicta fuerint, unde tu pro ſapientia diuinitus tibi donata, multa ex paucis colligere potes, & cognoſcere cõmentum iſtius criminatoris. De ſecunda aũt calumnia, quòd ſcripſerim tyranno (nam ne nomen quidem eius effari uelim) obteſtor te, ut per quos tibi uidebitur, rem exquiras, cauſamꝫ cognoſcas. Nam magnitudo calũniæ ſenſus meos obſtupefacit, & perplexum attonitumꝫ reddit. Crede mihi religioſiſſime princeps, ſæpe mecũ perpẽdi, an credibile eſſet quenquã ita inſanire, ut talia mentiri nihil uereretur. Cæterum quia apud Arianos & hoc quoꝫ iactatum eſt, illiꝫ gloriantur antigraphum Epiſtolæ meæ ſe habere, maiorem in modum obſtupui, & noctes inſomnes ducens, cum aduerſarijs meis ueluti præſentibus depugnabam, ac de repente in ingentem cla-

morem & has preces erupi, optabamq; cum gemitu & lachrymis, ut quã primùm propitias tuas aures adipiscerer, quas quum per Dei gratiam adeptus sim, ecce denuo hæsito, quod initium meæ responsionis faciam. Quotiescunq; enim loqui meditor, ipsius rei prodigio & horrore impedior. Nã de fratre tuo beatæ memoriæ aliqua fingendi uerisimiliter occasio calũniatoribus suppetebat, tum quòd ille mei conspectum cupiebat, tum q; de me tibi dignatus sit scribere. His accedit, quòd nos præsentes honore prosequebatur, & absentes accersebat. Diabolum autem Magnentium (testis est mihi deus & Christus eius) neq; noui, neq; quicq; de illo compertum habui. Quæ igitur causa me incognitum ad ignotum propulit, aut quæ denicq; occasio pertraxit, ut ad talem hominem literas mitterem? quod initium epistolæ, si ei scribere libuisset, sumendum fuerat? illud' ne scilicet, bene eum & recte fecisse, q; uirum apud quem in honore & precio eram, cuiusq; beneficiorum nunquam obliuisci poterã, occidisset: meq; proinde eum, quòd nostos meos, Christianosq; homines & fidelissimos hac luce spoliasset? an q hospites meos Romæ, qui me multa & uera beneuolentia tractauerant, occidit, an quòd beatam materterã tuam iure meritoq; à bonis moribus Eutropium dictam, & Abucreon syncerissimum hominem, & Sperantium fidelissimum, aliosq; complures peremisset? Quid? an non furiosum id in suspicionem cogitationem' ue aduersario meo uenire? Quæ enim mihi fiducia in Magnentio fuisset, aut quam beneuolentiam certam firmamq; in Domini sui parricida, in amicos tam perfido, in uiolandis iuramentis tam irreligioso, & in magis, incantatoribusq; contra Dei iudicium fouendis conscelerato, mihi polliceri potuissem? quid illius mihi in mentem uenire potuit, quod hominis mores mihi cõmendasset? cuius furor & crudelitas non me solum, sed uniuersum isthic terrarum orbem, luctu, calamitatibusq; implevit. Credo, magnam scilicet & multã illi gratiam debebã, quòd piæ memoriæ, tuum fratrem, cuius donarijs Ecclesię plenæ sunt, ipse eius Legatus occiderit, nihil eam necessitudinẽ, quum ante oculos uersaretur, reueritus, nihilq; gratiam beato tuo fratri in Baptismate donatam respiciens, ueluti Dæmon & furia infernalis in eum insiluit. Atq; ita sanctissimus ille uir martyriũ assecutus est. Ille contrà iam inde quasi in nexu esset ad similitudinẽ Cain, cum gemitu & trepidatione fugiebat, ut ludam postea eodẽ mortis genere imitaretur, sibiq; ipse carnifex factus, duplex suppliciũ, & hic, & in iudicio futuro irrogauit. Talí ne monstro me amicũ posse fieri calũniator putat? uel potius quum nihil tale putet, odio mei tam incredibilia fingit, qui minime ignorat se falsum dicere? Vellem aũt hunc hominẽ, quisquis is est, hic in præsentia adesse, ut delato iuramento, sub attestatione ueritatis ab eo sciscitarer. Quæ enim ita dici audiriq; uolumus, quasi Deo præsente, ea sub hac formula iurisiurandi nos Christiani homines concipere solemus, iubereq; illum pronunciare, uter nostrum magis lætabatur de incolumitate beatæ memoriæ Constantis. Cæterum, cuius in ea parte uota maiora fuere, prima calumnia satis ostendit, neminemq; mortalium latere potest. Alterutrum certe necesse est, ut aut ipse sciat neminem, mecũ eiusdem animi, quí ue itidẽ, ut ego, affectus sit, & beatũ Constantẽ diligat, Constãtis hosti

amicum

amicum potuisse fieri: aut si ipse aliter affectus est, aliterq; sentit, uereor ne quæ odio infestus in Constantem meditatus est, ea mihi affinxerit. Ego igitur admiratione prodigioq; calumniæ perculsus hæsito, quid oporteat respondere, meq; in mille mortes cõdemno, si uel suspicio talis de me uspiam fuerit, tibiq; ueritatis studiosissime Imperator bona cum fiducia meæ innocentiæ author, adhortatorq; sum, quemadmodum iam dixi, ut rem exquiras, maxime cùm eorum testimonio uti possis, qui à Maxentio aliquando pro legatis ad te missi fuere: Sunt aũt illi, Seruatius, & Maximus Episcopi, unà cum suis, & Clemens, & Valens. Sciscitare, quæso, num literas ad me deportauerint: hæ enim mihi occcasionem dedissent ad eum rescribendi. Quòd si nec ille mihi scripsit, nec me cognitum habebat, quid causæ fuit ut ad eum scriberem, quem ignorabam? Quære item uisis comitibus Clementis, quam mentionem fecerim de beatæ memoriæ Constante, & quantopere, ut scriptũ est, lachrymis meis uestimenta mea lauerim, dum animo meo succurrebat humanitas eius uiri, & quantopere mentem suam Christi amori addixerat. Sciscitare item quantopere ego certior de illius belluæ immanitate factus, quum Valentem per Lybiam decursantem uiderẽ, exhorruerim, ne eadem scelera moliretur, & ut latro trucidaret, quotquot beatum Constantem amore, memoriaq; cõplecterentur: qua in re me nemini secundum facio. In hoc metu quum essem, talesq; animos in illis suspicarer, pro te scilicet preces nõ fudi, & illum sicarium in amoribus habui, aduersum te aũt & fratrem, & uindicem mactati Cõstantis male odioseq; afficiebar, sceleraq; nefarij hominis dulci recordatione repetebam, tuæ aũt beneficentiæ obliuionem induebam, quum eandem erga me etiam post mortem fratris tui futuram esse, qualis olim erat, eo adhuc uiuente tuis ipsemet literis declarasti. Age, quæso, quibus oculis aut homicidam eum cruentũ adspicere potuissem? aut non fratris tui imaginem, dum pro salute tua uota facio, contemplari? Mutua enim fratres fratribus ob naturæ affinitatem specula sunt, inuicemq; similitudine referunt. Quapropter dum te cõtemplatus fuissem in illo, illumq; in te in tui similitudine agnouissem, qui fieri potuisset, ut illi maledicere sustinerem, aut hosti illius literas mittere, ac non potius pro tua salute uoces precesq; fundere, quod & feci. Huius rei testis est primùm Dominus, qui exaudiuit te, & largitus est tibi integrum à maioribus tuis relictum imperium, testesq; sunt, qui tum adfuerunt, Fœliciſſimus dux Ægypti, Ruffinus item & Stephanus, quorum ille Catholicus, iste aũt ibidẽ magister erat, & Asterius comes, & Palladius tũ Palatij magister, Antiochus & Euagrius, Præfecti sericorum. Nihil aliud enim dixi, cũq; precemur pro salute religiosissimi Imperatoris Cõstantij, & statim uniuersus populus una uoce acclamauit, Christe auxiliare Constantio, & magna cum perseuerantia has preces continuauit. Me igitur, necq; illis literas dedisse, aut ab eo accepisse, Deum & huius Verbum unicum Filium Dominũ nostrum IESVM Christum in testem uoco. Iam mihi, quæso, cõcede, ut ex obtrectatore meo paucis sciſciter, unde ad id deuenit, ut dicat se meæ epistolæ exemplar habere. Ad hoc nimirum sparsis rumoribus Ariani laborauerunt. Iam, ut etiam si literas exhibeat nostris consimiles, non propterea statim rem certam &

exploratam habet, quasi desint falsarij, qui etiam uestram Imperatorum manum sæpe imitati sunt, neq; similitudo picturæ scriptis authoritatem præbet, nisi ij qui hoc genere characterũ uti solent, testimonio suo scriptis adsti pulati fuerint. Hoc rursum ex criminatoribus quærere optarim, quis ipsis istam epistolam dedit, aut ubi deprehensa est? Nam & ego scriptores habui, & Tyrannus eos curatores, qui & à tabellarijs literas acciperent, sibiq; porrigerent. Mei aũt amanuenses præsto sunt, iam, quæso, ne graue sit Tyranni præfectos à libellis accersere: nam uerisimile est eos supersse. Ex ijs cognosce quid de literis illis actum sit, atq; ita rem examina, quasi ueritas tibi in consilio adsit, quæ regum, & imprimis Christianorum tutela est, cum ea uos regna administrare tutissimum est, quum dicat Sacra Scriptura, Misericordia & ueritas regi custodia est, & circundabit in iustitia thronũ eius. Hanc, quum Sorobabel ille sapiens cæteris anteferret, uictoriam retulit, acclamatumq; est ab uniuerso populo, magna res ueritas, & prævalet omnibus. Si igitur apud alios accusatus essem, ad tuam Maiestatem prouocarem, quemadmodũ Apostolus dixit: Cæsarem appello, & cessatum est ab insidijs contra eum. Iam quum apud te calumniam mihi ausi sunt intentare, ad quem à te, quæso, appellare potero, nisi ad Patrẽ eius qui dicit: Ego sum ueritas, ut ille cor tuum ad placabilitatẽ inclinet? domine omnipotens Rex seculorum, Pater Domini nostri IESV Christi, tu per Verbum tuum imperium hoc famulo tuo Constantio dedisti, tu illumina mentẽ illius, ut cognitis mei calumnijs, beneuolenter recipiat meam excusationẽ, omnibusq; clarum, manifestumq; reddat, quàm aures habeat cõfirmatas cõmunitasq; ueritate, solumq; sibi, uti scriptũ est, accepta esse labia iusta: ita em̃ soliũ regni fortunatũ fieri per Salomonem pronunciasti. Quapropter omnino omnibus modis percunctare, intelligantq; quadruplatores, tibi non deesse curã indagandæ ueritatis. Et obserua num uultu quoq; sycophantiam prodant: is enim index est conscientiæ, siquidem scriptũ est: Animi securi lætiq; uultus floridus, idem contrà in tristitia mœstus. Ita quoq; insidiantes Iosepho, ipsa conscientia redarguebat, & Labanis in Iacobum malignitas ex fronte apparebat, certe tu aduersariorũ in fugiendo latitandoq; conscientiam uides, nostram aũt qui respondemus ingenuitatem: non enim de possessionibus lis est, sed de opinione Ecclesiæ. Qui lapide ferit̃, quærit medicũ: ictus aũt calumnię, grauius quàm lapides feriunt. Est enim calumnia claua, & gladius, & iaculum incurabile, ut dixit Salomon: sed his ueritas mederi potest, quæ ubi negligitur, uulnera accepta acerbiora fiunt, neq; aliunde causam traxit ista per omnes Ecclesias turbatio. Horsum tendebant eorum caussificationes, inde est quòd tot & tam grandæui Episcopi, quia mecum cõmunicauerant, in exilium propulsi sint. Quòd si malum hoc hactenus gressum inhibeat, bona spes erit in tua humanitate. Quòd si ulterius pergat, uincat quæso apud te ueritas, & ne relinquas suspicionem contra uniuersam Ecclesiam, quasi talia aut cogitentur, aut scribantur à Christianis, & potissimũ Episcopis. Quòd si graueris istud dijudicare, æquius tamen est nobis haberi fidem, qui excusamus, q̃ illis qui criminãtur: illi enim, ut inimici, ex malignitate rem agunt: nos aũt, ut anxij, documenta rerum, demonstrationesq;

Act. 25

Ioan. 14

addu-

adducimus. Mirorꝙ cur nos ita circumſpecte cauteꝙ uerba faciamus, illi contrà ita effrontes ſint, ut etiam regi mentiãtur: utut eſt tamen, inquire ad ueritatem indagandam, & ut ſcriptum eſt, perſcrutans perſcrutare præſentibus nobis, unde ipſi iſta habeant, quæ dicunt, aut ubi inuentæ ſint literæ. Qua in parte nullus certe noſtrorũ in culpa, neꝙ quiſquã ex tyranni miniſtris deprehẽdetur: res enim tota cõmentitia eſt, & fortaſſe æquum eſſet ab ulteriore inquiſitione abſtinere, quum calumniatores mei, quæſtionem ulterius procedere nolint, qui ſolum norunt authorem iſtius fabulæ, & præter eos nemo. Cæterum, quia de magna Eccleſia crimen concinnant, quòd ibi ſynaxis habita ſit, priuſquã dedicaretur, age, etiam ea de re tuę pietati reſponſum demus: eò enim nos trahunt illi, qui in nos odia cõgerunt. Factũ eſt (agnoſco): nam quum prima dixerim ſine mendacio, non hic quòd uerũ eſt, inficiabor, ſed longe aliter, cꝙ ipſi criminantur, res geſta eſt. Age, quæſo, accipe quæ dicam. Non Encæniorum feſtum celebrauimus religioſiſsime Auguſte: id enim celebrare ante tuum decretum prorſus nefarium fuiſſet, neꝙ de induſtria eò deuenimus, neꝙ Epiſcopus quiſpiam, aut ullus clericus eo nomine euocatus eſt, neꝙ ulla denunciatione ad Synaxim coitum eſt, ut iſti inde aliquam detrectandi occaſionem rapiant. Sed quid actũ eſt, norunt omnes: tu aũt, quæſo, pro tua manſuetudine & longanimitate auſcultа, Feſtum erat Paſchæ, & tanta uis populorum aderat, quantum Chriſtianorum in urbe eſſe Chriſticolæ principes optarint. Quum igitur & Eccleſiæ paucæ paruæꝙ eſſent, magnoꝙ tumultu poſcereẽ, ut in Magna Eccleſia conuentus celebrarentur, atque ibidem preces pro tua ſalute fierent, quod & factum eſt, egoꝙ reniterer adhortationibus, ut rem aliquouſꝙ differrẽt, & potius quomodocũꝙ liceret, etiam cum cõpreſsione & afflictione in alijs Eccleſijs cœtus agerẽt, mihi neutiquã obtemperatũ eſt. Quin potius urbem egredi parati erant, ut in deſertis locis, & ſub dio conuentus facerent, melius eſſe laborem itineris ferre, quàm cum luctu feſtum celebrare. Crede mihi Imperator, & in eam rem teſtem ueritatẽ ipſam accipe, in ſynaxibus Pentecoſtes ob multitudinem populorum, & in locis anguſtis, plurimos pueros, nec paucas puellas, & aniculas complures, & adoleſcẽtes bene multos afflictos iacuiſſe, ac domum delatos eſſe, ſed tamen, ut nemo eorum beneuolentia numinis perierit. Multa igitur omnium admurmuratio in hunc uſum Magnam Eccleſiam depoſcentium: Neꝙ immerito: ſi enim prius tanta cõpreſsio acciderat, quid timendum fuit in tali feſto? Omnibus certe modis acerbiora multo, luctuoſioraꝙ accidiſſent, nec erat fas aut honeſtum, triſtitiam pro gaudio, luctum pro lætitia in feſto die populis inferri: præſertim quum nõ ignorarem iſtiuſmodi exempla apud Patres ſupereſſe. Beatæ ſiquidem memoriæ Alexander, quum alia loca anguſta eſſent, in Eccleſia Maiore Iheone, quam ædificabat, ſynaxes celebrari uoluit: id enim iubebat hominũ frequẽtia, nec in cogendo populo reſpexit, eam nondum exædificatã eſſe. Quinimo frater tuus beatæ memoriæ in huiuſmodi templo, quum Aquileiæ ſynaxis haberetur, ipſe quoꝙ eò ſe cõtulit. Ita nimirum & ego quoꝙ feci, nec tamẽ celebrata ſunt à nobis Encænia, ſed tantũmodo precationum ſynaxis habita eſt. Tu igitur, ſat ſcio, pro tuo in Deũ

ſtudio approbaſſes populorum alacritatem, & deuotionem, mihiq; ueniã dediſſes non impedienti tantorum populorum preces. Ego autẽ obtrectatorem meum libens iterum interrogarim, utrobi nam rectum erat populũ ſuis orationibus uacare, in deſertis ne, an in oratorio, nondum ad plenũ exædificato? ubi conueniens erat & ſanctum, ut populus audiret hanc acclamationem, Amen: in ſolitudine, an in templo, quod iam Dominicum appellabatur? Tu autem religioſiſsime Imperator, ubi nam malles populum manus extendere, & pro te orare, ibi ne, ubi Ethnici oberrabant, an in loco tuum nomẽ titulumq; præ ſe ferente, quem iam in præſentia, imo etiã tum temporis, quum prima fundamẽta iacerentur, Dominicum uniuerſi appellitabant? Sentio tibi tuum locum magis probari, recidẽdo enim hoc ipſum ſignificas. At hoc ipſum (inquit aduerſarius) in Eccleſijs faciendum erat: uerum omnes, ut dixi, paruæ nimis & anguſtæ erant, pro tanta multitudine populorum, deinde preces faciendæ erant. Quid ergo rectius putas particulatim & diſſociatim, unà cum periculo eliſionis populum ſynaxes facere, an potius ut in locum omnium bene capacẽ conueniat, & unam eandemq; ſine diſſonantia uocem reddat? Certe id rectius eſt, quum id concordiam unanimis multitudinis oſtendat, & Deum ad exaudiendum promptiorem habeat. Nam ſi pro ipſius Saluatoris pacto in conſenſu duorum, quodcũq; petierint, fiet, quid igitur futurum, ubi ex tot tantisq; populis in unum congregatis, una uox reſpondeatur acclamantium, Amen? Quis hoc ipſum nõ admiratione proſequatur, aut non inter fœlicia prædicet? quum uideat tantam multitudinem in unum locum cõuenire? quid gaudij ibi ex mutuo inuicem cõſpectu, antea ſolitis in diuerſa loca diſpertiri? Omnibus certe, præter unum calumniatorem hoc ipſum dolentem, incredibili lætitiæ fuit. Supereſt igitur, ut anticipem, in quod ille dentem figere poſſet: obijcit enim in ſuis calumnijs, opus nondum dedicatum fuiſſe, ac proinde illegitime ibi preces conceptas. Dominus tamen in contrarium præcipit, quum dicit: Tu aũt quum orabis, ingredieris in penetralia tua, et occludes fores tuas. Quid mihi ergo loquitur calumniator? uel quid potius prudenter & uerè Chriſtiani dicant? attendendum eſt, hos tibi conſulendos interrogandosq; puta, non aũt obtrectatores, quum de ijs ſcriptum ſit: Stultus tibi ſtulta loquetur: de iſtis aũt præcipiatur: Ab omni ſapiente accipe conſilium. Nam quũ cæteræ Eccleſiæ anguſtæ eſſent, & tanta uis populi ingrueret, eoq; deuentum erat, ut in ſolitudinẽ uellent ſecedere, quid mihi, quæſo, agendum fuit, ſolitudo cuiuis patebat, nec foribus quenq; ſubmouere poterat. Dominicus autem locus, quia parietibus cõmunitus, ualuis foribusq; inſtructus, diuortia intra ſacra et prophana facere poterat, nõ ne quiſq; cordatus optime Imperator, unà tecũ hunc locũ potius delegiſſet, ubi ſciebat fas, piumq; eſſe preces facere, & illic periculũ cõfuſionis eſſe? Quę neceſsitas tum demũ recipi debebat, ſi populus precaturus nuſq; ſedes, niſi in deſertis haberet, q̃d Iſraelitis in ſolitudine neceſſum fuit, quibus tamen etiam poſtq; tabernaculum factum erat, certus locus habẽdis orationibus deſcriptus fuit: Ecce Domine IESV Chriſte, rex regum, Fili Dei unigenite, Verbum & Sapiẽtia Patris, reus agor, quia tuam miſericordiam populus ſuis orationibus conue-

nit,

nit, & per te tuum Patrem Deum omnium implorauit, idq; pro salute famuli tui pientissimi Constantij. Sed tamen gratiæ sint tuæ bonitati, quòd de precibus populi, & de tuis ritibus in crimẽ uocor, quum multo grauius accusandus fuissem, & in certa ueraq; culpa, si loco, quem ædificabat Imperator, præterito, solitudinem ad publicas preces delegissem, quæ tum uerba accusatoris fuissent? quàm grauis & multæ fidei uideri potuisset, si oblatrasset, eum locum à me contemptum fuisse. Incredibile est, q; hoc illi præter spem accidit, quæ mihi alioqui ludibria feciſſet, & quãtopere inter præteundum digito ostendisset, & deserti importunitatem, & Dominici loci habilitatem, crimini uertens, quòd tam celebri loco publicas preces auertissem. Hæc animo parturiebat, huius rei occasionẽ quærebat, & non quæsitam dolet, ac proinde exclusus ueris criminibus, ad inania figmẽta uerborum delabitur. Nam si mihi istiusmodi exprobraret, pudore, silentioq; me perfudisset: id quia non licet, diaboli moribus utitur, obseruatq; precantium orationes, mireq; errat in legendis Danielis uerbis. Persuasit enim sibi homo uecors & insciтus, sub te uim barbariemq; Babylonicam uigere, nihil sentiens quàm esses amicus Danieli, cum quo idem numen colis, nec te interdicere orationes, sed quammaximè omnes orare uelle, quippe qui cõpertum habeas, omnium uota precesq; id expetere à Deo, ut saluus sis, & perpetuo in pace regnes. Ego igitur nõ immerito hoc genere expostulationis aduersus obtrectatorem meum utor. Tu tamen interim Deo, dilectissime Auguste, uiuas per multos annorum recursus, & solennia dedicationis perficias. Preces enim omnium pro tua salute factæ, nihil impediunt Encæniorum festum, ne mihi talia falso obblaterent rudes insciticq; homines, sed è Patribus cognoscant, legantq; Scripturas, uel potius à te ipso discant: Es enim literarum cultor: Iesum Filium Iosedech sacerdotem, & fratres eius, & Zorobabelem Salathielis sapientem illum, & Esdram simul sacerdotem & scribam legis, quũ templum post captiuitatem ædificaretur, & instaret Festum Tabernaculorũ, quod & magnum imprimis est, & publicis conuentibus, & precibus celebratur in Israel, populũ unanimiter cõgregasse in uestibulo spacioso, quod est ad Orientem, altare Domini præparasse, oblationes feciſſe, ibiq; hoc festum celebrasse, ac deinde secundũ sabbatum & nouilunium uictimas mactasse, populumq; suas preces obtulisse. Disertè loquitur Scriptura, simul eum & ista feciſſe, & templum Domini ædificasse, quin ædificatio domus illis ad istum modum precantibus, mirifice proficiebat, neque ob expectationem Encæniorum preces impedimentum sentiebant, quo minus populus sua uota conciperet, ac deinde post plenam templi exædificationem Encęnijs opera data est, & donaria sua ad sacra Encæniorum obtulerunt, atq; ita initia, & quasi natales absoluti, dedicatiq; templi celebrata sunt. Idem illud & à beatæ memoriæ Alexandro, alijsq; patribus actum est, qui populi conuentus habuere, & absoluto opere agendis Deo gratijs dedicationem celebrauerunt. Huius ergo dedicationis te literarum studiosissime Imperator, authorem esse oportet. Locus enim ille exædificatus, præsentiã tuæ pietatis requirit. Hoc enim solum ei deest, ad plenum ornatum. Hoc igitur ut adimpleas, ut uota tua Domino, cui hanc domum

mum conſtruxiſti, reddas, omnium uota & optant, & ſuſpirant. Age iam cum tua bona uenia inſpiciamus ad reſpondendum ad aliam calumniam. Auſi enim ſunt inter crimina iactare, quod tuis mandatis, quibus iniunctũ uolunt, ut Alexandria excederem, non obtemperauerim. Miror eos calumnijs non delaſſari: ſed quia defatigari non poſſunt, æquum ergo eſt, ut nec ego defatiger: quanto enim plures mei extiterint purgationes, tanto magis illi tetriores apparebũt. Nequaq; reſtiti mandatis tuæ pietatis, minime gentium, abſit, non enim ego is ſum, qui uel Quæſtori ciuitatis reſtitero, nedũ tanto Imperatori. Et bene, quòd aduerſus hanc calumniam plurimis abundo defendendi rationibus. Vniuerſam enim ciuitatem teſtem habeo, ueniã igitur dabis, ut totum negotium, ab initio ut geſtum eſt, retexam. Sat ſcio, admiraberis ſycophantarũ temeritatem. Venit Montanus Palatinus cum huiuſmodi epiſtola, quaſi ego ſcriptis meis à te ius in Italiam abeundi poſtulaſſem, ad ea inſtauranda, quæ ibi deficere uidebantur. Tuę quidem pietati gratias ago, q̃ ad ſcripta aliena, quia mea putabas, annueris, curamq; iteris mei, ut id quàm cõmodiſsime fieret, ſuſceperis. Miror tamen interim eos ſine ulla abominatione & horrore mẽdacij, ita falſa ad tuas præſertim aures potuiſſe dicere, quũ mendacia patrẽ diabolũ habeãt: ijſq; qui mentian
Ioan.14 tur, alieni ſint ab eo qui dicit: Ego ſum ueritas. Nihil em̃ huiuſmodi ſcripſi, neq; unq; talẽ epiſtolã, quæ quidẽ mea ſit, aduerſarius inueniet, etiã ſi quotidie literas miſero, ut bonũ illũ tuũ uultũ conſpiciã, imo nec fas eſt Eccleſiã relinquere, aut tuæ pietati moleſtũ eſſe, maxime quũ etiã abſentibus nobis in Eccleſiaſticis poſtulationib. annuas. Quæ em̃ Montanus attulit, ſi iubebis epiſtolã recitari, talia eſſe deprehẽdes. Vnde aũt hanc epiſtolã nacti ſint accuſatores, quis ipſis dederit, libenter cognoſcerẽ, iube, quæſo, ut tibi reſpondeãt: nam plane cognoſces eos eadem fide hæc finxiſſe, qua calumniã de abominando & diro Magnentio. Iam etiam hic deprehenſi, ad quã nos denuo pertrahent neceſsitatem reſpondendi? id enim meditantur, & ſtudio habent, ut omnia moueant, & perturbẽt, fortaſſe ea ſpe, quòd te, multũ obganniẽdo, aduerſum nos irritare poſſe credant. Atq; eo ipſo digni ſunt, quos auerſeris, odioq; habeas, q̃ quales ipſi ſunt, tales etiã ſuos auditores æſtiment, perſuadeantq; ſibi calumnias apud te plurimum ualituras, exemplo à Doec mutuato, cuius inſidiæ contra ſacerdotes plurimũ ualuere, ſed auditor ibi Saul ille iniuſtus fuit. Ieſabelis quoq; itidem calumniæ, noxam religioſiſsimo Nabuthæ intulerunt, uerùm & ibi Achab ille malus & præuaricator aurem præbuit. Contrà ſanctiſsimus ille Dauid, cuius te imitatorem pro omnium uotis eſſe decet (id enim nemo non optat) iſtiuſmodi homines ad ſe nequaq; admittit, ſed ut rabioſas canes auerſatur, ita dicẽs, De-
Pſal.100 trahentem clanculum proximo ſuo perſequebar. Seruabat enim præceptũ hoc: Non recipies rumorem uanum. Sed bene, quod & iſtorum oblatratus uani & irriti apud te fuerint. Poſtulaſti enim & tu à Domino, quemadmodum Salomon, & poſtulatum obtinuiſti. Crede mihi, nam par eſt te id credere, ut falſus ſermo à te procul haberetur. Quapropter & ego, quoniã per calumniam epiſtola ſubiecta erat, nec imperabat quicquã de itinere ineundo, ſatis intellexi non fuiſſe tuæ uolũtatis, ut ad te profectionem inſtituerem.

tuerem. Non enim ita scribebas, tanq; qui uenire iuberes, sed ideo mihi profectionem concedebas, quòd ego hoc literis meis postulassem. Hic etiam si omnes rem silentio premant, manifesta tamen res est, id ex animi tui sententia scriptū non esse, sed alienæ uoluntati hoc ipsum petenti indultum, quod & omnes arbitrati sunt, & ego scriptis præ me tuli. Sitq; ipse Montanus me non profectionem detrectasse, sed inhonestum mihi uisum fuisse eo nomine iter arripere, quasi ego de aduentu impetrando literas misissem, simul ueritus ne hic quoq; sycophantæ occasionem inuenirent, quòd molestior essem tuæ pietati. Certe me profectioni adornabam: nam & huius quoque rei conscius est Montanus, ut literis tuis acceptis, si dignatus fuisses scribere, statim decederem, & promptitudine obsequendi, mandatum tuum anteuenirem. Non enim ita insanio, ut istiusmodi præceptis cōtradicendū putarim. Quum igitur nihil scriptum esset à tua Maiestate, mihiq; nihil iniunctum esset, ubi quæso mandatis restiti, aut qua fronte dicere possunt, me nō obsequutum imperijs fuisse? Porro si nihil in mandatis erat, quid causæ est, ut huic calumnia abesse existimetur, præsertim quum id fingant factū esse, quod factū nō est? Vereor ne hoc quoq; quod dignatus sim respōdere, ad calumniā detorqueant, tantopere & ego expositus sum obtrectationibus, & tam prompti sunt illi ad criminationes texendas, & ad Sacram Scripturam, quæ ita loquitur, cōtemnendā: Non ames obloqui, ne extollaris. Quū igit alio Montanus profectus esset, superuenit Diogenes notarius, post sex demū & 20. menses, qui ne ipse quoq; epistolam exhibuit, aut sub mutuum conspectum uenit: neq; tanquā mandatum haberet, quicquā mihi præcepit. Quin quū ipse Syrianus, exercitus ductor, Alexandriam ingrederetur, & quædam ab Arianis iactarētur, qui sese quod liberet, acturos denunciabant, quærebam num istiusmodi literæ, quales illi iactitarent, allatæ essent. Literas enim mandati tui (fateor) ab illis deposcebam: postquā ipsi eas se habere pernegarent, postulabā ut saltem uel ipse Syrianus, uel præfectus Ægypti Maximus, mihi id ipsum suo scripto iniungeret, postulabamq; id ea de causa, quòd tua humanitas in suo diplomate uetuerat, ne quis me turbaret, utq; ego negligerem aliorum terrores, & securiter in Ecclesijs permanerem. Qui autem huiusmodi diplomata ad me detulerūt, Palladius est olim Pallatij magister, & Asterius dux Armenię. Exemplar autem literarū quod tale est, uelim mihi liceat cum tua uenia recitare.

CONSTANTIVS VICTOR AVGVSTVS, ATHANASIO.

OPTASSE me semper omnia fausta & lęta fratri meo Cōstātine tuā quidē conscientiā latere arbitror, quē cum indignissima fraude sublatū cognossem, quo mœrore perfusus fuerim, facile tua prouidentia iudicauerit. Verum quoniā nō desunt istis tēporibus luctuosis, qui te fabulis rumusculisq; perterrere studeāt, uisum est nobis has literas ad tuam reuerētiā mittere, unà cū his admonitionibus, ut quemadmodū Episcopū decet, ad legitimam religionem,

nem, deuotionemq; populum conuenire,ut ſedeas, & in eo conuentu, ut in more eſt, nobisq; placet,precibus indulgeas. Quãtum uero ad noſtram animi ſententiam ſpectat,uolumus te ſemper in tuis ſedibus Epiſcopũ permanere,Et rurſum alia manu, Diuinitas ſeruet te plurimis annis Pater dilectiſſime.De hac epiſtola & illi cum iudicibus diſceptabant,& nos eam manibus præferebamus.Quid igitur? an non merito ab illis diplomata poſtulabam? nec eorum ſimplicibus uerbis obſequebar? Illi igitur, quum non ederent,neq; proferrent mandatũ tuæ pietatis,non ne plane & directe contra iuſſa huius deplomatis agebant? Ego igitur, quum illi literas nullas exhiberẽt,probe mihi colligere,& ratiocinari uidebar, ipſos nihil,niſi ſua uerba adferre, præſertim cũ tuo diplomate iubebar, ne quid iſtiuſmodi curarem.Iure igitur hoc feci, religioſiſsime Auguſte, ut quemadmodũ cum epiſtolis tuis ingreſſus eſſem in patriam,ita acceptis tuis mandatis è patria diſcederem,quo non ut fugiens Eccleſiam,reus culpabilisq; haberer,ſed ut ex mandato tuo haberem cauſam deceſſionis. Idemq; omnes populi cũ preſbyteris, & maior pars ciuitatis, ne plures nominem à Syriano, quem ea de cauſa adierant,poſtulabant, quo tempore ibi etiam aderat Maximus Ægypti præfectus.Poſtulatio autẽ iſtiuſmodi fuit, ut uel ſcripto,uel uerbis ederent, quid uellent, aut ne Eccleſias interea turbarent, dum ipſi populi ea de re legatos ad te mitterent. Iſta, quum diu multumq; à Syriano, non ignaro quam æqua peterentur,poſtularent, confirmauit id ſe facturum, idq; iureiurando cum atteſtatione tuæ ſalutis. Iſtis, dum fierent agerẽturq; de ea re ad tuam Maieſtatem deferenda,interfuit Hilarius, conſciaq; eius rei eſt cohors præfecti Ægyptiaci, & uerba quibus res acta eſt, apud Pritanim ciuitatis conſeruantur,unde facile intelliges,nec me,nec quempiam alium, tuis iuſſis contradixiſſe,ſed omnes tuam uoluntatem in tuis ſcriptis uoluiſſe uidere, dicta ſcriptaq; Imperatoris pari pondere æſtimãda ſunt, quum is qui ea reportat,libere ſe ea in mandatis,habere profitetur. Verum quũ illi neq; iniunctum ſibi manifeſtò aſſererent,neq; ſcriptis ederent quod imperabãt, ſed omnia ita inſtituerent, ut appareret eos ſuo nomine & authoritate id agere,fateor citra omnẽ diſsimulationẽ,cœpi eos habere ſuſpectos,& imprimis ea de cauſa,quòd à multis Arianis ſtiparentur, quodq; cum ijs & epulas & conſilia inirent,nihilq; propalam,& ſynceriter agerent,ſed dolos tantum & inſidias necterent, nec quicq; tanq; pro edicto Imperatoris agerẽt, ſed prout ab inimicis rogarẽtur, neceſſariò me eo contuli, ut diplomata ab ijs in rebus ſuſpectis poſtularem. Id quoq; angebat animum meum, quod indecorum arbitrabar, quum tot diplomatibus Eccleſiam ingreſſus eſſem, ſine diplomatibus inde diſcedere. Syriano igitur hanc rerum quietem,tranquillitatemq; promittente, cõuentus omnium cum gaudio & ſecuritate in Eccleſijs fiebant,quo tempore,quum ſubitò Syrianus cum militibus in Eccleſiam irrupit,aſsidui in precibus eramus,in tali enim habitu,me,dum irruptio fieret,conſpicati ſunt,& quia ad proximam ſynaxim ab omnibus in uigilijs pernoctabantur, ea quæ Ariani uoluere, deſignata ſunt: ij enim & cũ duce exercitus ſemel uenerunt,ijdem conſuaſores authoresq; erant illius irruptionis.Neq; eſt, ut incredibile putes, religioſiſſime Imperator,quũ nec

ipſi

ipſi latuerint,& res ubiq; uulgi ſermonibus iactata ſit.Ego igitur uiſa iſtius modi impreſsione,primum admonui populum ut diſcederent, quibus digreſsis,tum demum auxiliatore & duce Domino Deo, quod ab omnibus qui aderant,conſpectum eſt,abitionem inde molitus ſum.Ac iam inde in ſolitudine uerſor,ſed non ſine fiducia mei, primum apud deum, deinde apud te excuſandi,ſi quis me accuſare uelit,quòd fuga populum deſeruerim,quũ teſtem pro me habeam,uel ipſum perſecutionis ducem. Cuius facta, quotquot ſunt,homines mirantur:oportuit enim aut abſtinere eum à promiſsis, aut promiſſa non fruſtrari.Quid cauſæ fuit,cur hoc cõſilium ſuſciperet, aut cur libuit per dolum inſidias tẽtare, quod in eius poteſtate erat unico dicto in ſcriptis comprehẽſo à me impetrare,quum principis iuſſum magna fiducia & poteſtate nitatur.Contrà, affectatio latitandi euidentiorem ſuſpicionem facit,eos nullum à te mandatum habuiſſe. Quid iniqui ab illo petebatur,Imperator ſynceriſsime? quis non dixerit iſtiuſmodi poſtulationem in Epiſcopo æquam eſſe?Eccleſia non deſerenda ab Epiſcopo.Noſti ex lectione Scripturarum,quanti ſceleris ſit,Epiſcopum Eccleſiam ſuam deſerere, & negligere gregem Dei.Paſtorum enim abſentia,lupis inuadendi gregis occaſionem præſtat.Cæterum,Ariani,& reliqui hæretici, per noſtram abſentiam,locum,opportunitatemq; uenabantur,ut populum ad impietatem ſeducerẽt.Si igitur fugiſſem,quam excuſationem apud ueros Epiſcopos, uel potius apud eum,qui mihi hunc gregem concredidit,habuiſſem? Eſt aũt ille iudex omnium terrarum,uerus et ubiq; Rex,Dominus noſter Ieſus Chriſtus,Filius dei,quomodo nõ merito ea negligentia populorũ mihi imputata fuiſſet, quomodo non & tua pietas merito his uerbis obiurgaſſet:cur tu cum diplomatib.in Eccleſiã intromiſſus, ſine diplomatibus egrederis, populosq; deſtituis? quomodo non & ipſe populus in die iudicij, incuriam ſui in me coniecisſet,dicentes:is qui Epiſcopi munere fungebatur,nobis neglectis,adeo ut non eſſet qui nos admoneret, fugam iniit. Si hæc dicerent, quid reſponderem? In hoc genere culpę ueteres apud Ezechielem paſtores fuere.Id quum ſciret beatus Paulus,unicuiq; noſtrum in diſcipulo ſuo præcepit,dicens:Ne negligens ſis gratiæ tuæ,quæ data eſt tibi,cum impoſitione manuum presbyterij.Id & ego metuens,fugere nolebam,ſed ex decreto tuæ Maieſtatis,uoluntatem tuam cognoſcere ſtudebam,ſed neq; tum accepi,quod iure poſtulabam,& iam in præſentiarũ nulla alia de cauſa accuſor: non enim reſtiti decreto tnæ pietatis, neq; Alexandriam ingredi conabor, quamdiu id per tuam humanitatem non licebit, ideoq; hoc ipſum maturè denuncio,ne uel hinc quoq; crimen concinnent ſycophantæ. Hæc, quum mihi in oculis eſſent,nihil mihi mali conſcius, ad pietatem tuam cũ hac defenſione properabam,ut qui non ignorarem tuam Maieſtatem in memoria habere ſuas certiſsimæ fidei promiſsiones,ſimulq; confidens,iuxta prouerbium,apud regem acceptabiles eſſe iuſtas uerborum rationes. Iamq; mihi iter ingredienti,relicto eremo fama derepente aduolat, quæ, quum principio falſa uideretur,poſtmodũ tamen uera deprehenſa eſt. Vbiq; enim iactabatur Liberium Romæ Epiſcopum,& Hiſpaniarum magnum illũ Oſium, Paulinumq; item Galliarum,Dionyſium quoq; & Euſebium Italiæ, Lucife

1.Tim.4

rum Sardiniæ Episcopos, aliosq; cõplures unà cũ presbyteris & diaconis in exilium exterminatos esse, eò q; cõtra nos subscribere recusassent, Et hos quidẽ in exiliũ eiectos esse: Vincẽtiũ aũt Capuæ, & Fortunatianũ Aquileię, & Ireminũ Thessalonicæ, cæterosq; in Occidẽte Episcopos, uim nonuulgarem, grauesq; contumelias passos esse, donec permitterent sese à nostra cõmunione abstinere. Hęc, quũ ego admirarer, & in ijs cogitatione perplexus hærerem, ecce denuo alia atrox fama de Aegypto & Lybia nobis ad aures allabitur. Episcopis prope nonaginta pulsis, Ecclesiasq; professoribus Arij traditis, sedecim in exilium actis, cęteris deinde aut fugatis, aut ad simulationem hæreseos coactis, summam illatam fuisse persecutionem. Siquidẽ quũ Alexandriæ per diem Paschæ in Dominicis templis, locisq; desertis, iuxta cœmiterium, in orationibus hærerent, Tribunus militum, tribus armatorũ millibus succinctus, gladios, telaq; ferentibus, impressionẽ in Christianos fecit, cæteraq; deinde consecuta sunt, quæ in tali incursu fieri solent, eamq; uim in fœminas quoq; & pueros nihil aliud q; in Deum orantes, illatam esse. Præstiterit fortasse omittere eius rei expositionem, ne uel sola eius calamitatis mentio omnibus lachrymas excutiat. Tanta siquidem immanitas fuit, ut & uirgines denudarint, corporaq; plagis interfectorum, aliquandiu reddere ad sepulturam negauerint, sed foris obijcerent canibus, donec depensa ingenti mulcta clanculum à necessarijs subducerẽtur. Magnus ibi in distinguendis cadaueribus labor, eò quòd nemo suos agnosceret. Cætera quæ facta sunt, quanq; fortasse incredibilia, & tam tetra, ut sensum audientis obstupefaciant, tamen uel eò narrãda existimo, ut tua Christianissima cura, & pietas in Deum, certo intelligat, criminationes mei, calumniasq;, non alio fine institutas esse, quàm ut nobis ab Ecclesijs expulsis, suam hæresim in Ecclesias immitterent. Nam posteaquàm ex ueris senibusq; Episcopis, alij in exilium deportati essent, alij metu fugati, Ethnici homines, catechumeni primarijq; decurionum, & quisquis fama opulentiæ notus erat, ad spem Episcopatus, pro Christiana religione Arianismum profitebantur. Neq; deinde, ut Apostolus præcepit, quæsitum, si quis esset irreprehẽsibilis, sed iuxta scelera impijssimi Hieroboam, si quis plus pecuniæ offerret, nomine Episcopi honorabatur, neq; apud illos ullo in discrimine erat, siue ethnicus esset, siue non, modo aurum daret. Atq; ita Episcopi & monachi, & deuotarij, ab Alexandria profligati sunt. Illi uero callidi in sycophantijs, corruperunt quantum in ipsis fuit, Apostolicam ordinationem, & Ecclesias contaminauerunt, illorumq; calumniæ tantum profecerunt, ut licuerit ipsis leges uiolare: talia sub te tuisq; temporibus designauere, ut ad illos hoc ipsum pertinere uideatur, quod scriptum est, Væ per quos nomen meum blasphematur inter gentes. Hæc, quum fama uulgarentur, rebus sursum deorsumq; iactatis, ne sic quidem destiti à mea alacritate, sed æque ad tuam pietatem tendebam, idq; eo studiosius, q; ista confiderem inscio te fieri, ac ubi scires, intercessurum, ne fiant. Non enim est pij regis, ut uelit Episcopos exterminari, uirgines nudari, totas Ecclesias perturbari. Verum nobis ita cogitantibus & inceptum iter urgentibus, ecce tertia denuo allabitur fama, scriptum Tyrannis in Auxomei, ut Frumentium Episcopum Auxumis abducerent, ac

me

me ubicunq; etiam apud Barbaros perquirerent, & ad custodias præfectorum, quæ cõmentaria nominantur, deportarent, populosq; & clericos ad communionem Arianæ hæresis cogerẽt, eosq; qui hic non obtemperarẽt, interfici curarent. Quæ res non uerbis tantum iactata, sed opere quoq; completa fuit. Cæterum, quia tua humanitas hoc mihi concedere uidetur, en tibi epistolam, quam illi assidue recitantes, nulli non mortem denunciabant.

ANTIGRAPHVM EPISTOLAE.

VICTOR CONSTANTIVS MAXIMUS Augustus, Alexandrinis.

CIVITAS quidẽ uestra patrio more, nec immemor uirtutis conditorum suorum, docilem se, obsequentemq;, uti solet, etiam nunc in præsentia præbuit. Nos uero nisi Alexandrum beneuolentiæ in hanc urbem uestram luce perstringamus, obscuremusq;, non mediocriter nobis peccare uidemur: sicut enim temperantiæ proprium est, ut modestam se per omnia præbeat, ita regiæ uirtutis uestræ est (sine quæso me ita loqui) præ omnibus in gratia & amore esse, eò quòd & primi sapientiæ interpretes constitueritis, primicq; Deum, qui est, agnoueritis, simulq; interpretibus delectis, nostroq; suffragio ultro recepto, & impostore, circulatoreq; reiecto, uiris grauibus, omnicq; admiratione maiorib. iure adhæseritis. Nam cui extremi orbis incolæ ignotum est, quanta sit in istis rebus adhibita industria, ita ut nesciam quid ei comparari possit? Siquidẽ plericq; in hac urbe cæcutiebãt, rerumq; potiebatur homo ab infimis barathris emersus, qui quasi in tenebras cupidos ueritatis, ad mendacia abducẽs, non frugi sermonibus sed præstigijs animos corrumpebat. Assentatores igitur acclamare, applaudere, aliosq; admiratione percellere, quos adhuc intra dentes musitare uerisimile est, simpliciores uero ad istorum hominum dictata uiuere, resq; publica quasi æstu rapi, omnibus tanq; si diluuium inundasset, cõtemptis, iscq; uir multitudini præerat, qui (ut quàm uerisimè dicam) nihil à cerdonibus differebat, cui ea de causa unica contentio cum ciuitate fuit, q eam in barathrum deijcere non posset. Atqui præclarus ille & egregius uir se sistere ad causam dicendam minime ausus, quasi iudicio condemnatus, ultro in exilium abijt, quem etiam ex re Barbarorum est è medio tolli, ne etiam illos, dũ ut quisque ei primum obuius est, quasi in scena lamentans impietatem condocefaciat. Ille igitur in longum ualere iubebitur. Vobis autem conuenit cum paucis sociari, uel potius solos, omnes alios grauitate antecellere, quũ uirtute & mente tantopere abundetis, quantum ipsa facta clamant, quæ per uniuersum prope orbem deprædicantur, macte prudentia. Vtinam detur mihi ut & secundo tot nuncios de uestris laudibus, præconijsq; magnificis audiam. O qui & maiores industria obscuratis, & posteris uos præclarum exemplum relinquitis: quicq; soli ducem uerbis factisq; prestantissimum delegistis, idq; sine ulla uel ad breue tempus addubitatione. Ergo animosè ab humilibus istis & terrenis deficiẽtes, ad cœlestia euehamini, duce itinerisq;

commonſtratore reuerendiſsimo Georgio,uiro in huiuſmodi rebus omnium mortalium exercitatiſsimo,cuius opera & in futurum cum optima ſpe agetis,& in præſentia ſine difficultate uiuetis. Vtinam publice omnes in hac urbe ab eius uoce ueluti à ſacra anchora pendeant,ne ſectionibus & aduſtionibus aduerſus eos indigeamus,quorum mentes corruptæ ſunt, quibus q̄p maxime denunciamus, ut abſiſtant ab Athanaſij ſtudio, neue recordentur ſuperfluæ illius garrulitatis,alioqui ſero ſentient ſe ſummis periculis obnoxios teneri,ex quibus haud ſcio,an quiſquam eloquentium ſeditioſos illos eripere poſsit. Siquidem abſurdum eſſet, perditiſsimum Athanaſium & de turpiſsimis ſceleribus conuictum, quibus nunquam par ſupplicium luerit, etiamſi decies occidatur,ſolum ex ſolo uertentem, in alias perpetuo ſedes depelli,& eius aſſentatores & miniſtros, homines præſtigiatores, talesq̄, quos nefas ſit nominare,ſinere hic turbas facere,de quibus iampridem iudicibus præceptum eſt, ut eos occidant, qui fortaſſe ne ſic quidem perituri ſunt, ſi mature à prioribus delictis reſiliant, & tandem ab ijs transfugiant, quibus ſceleratiſsimus Athanaſius ſe ducem præbuit, qui Reipub. nocuit, & ſanctiſsimis hominibus impias & nefarias manus attulit.

HAEC ADVERSVS FRVMENTIVM Epiſcopum Auxumeos,tyrannis eius loci,ſcripta ſunt.

MAGNO nobis ſtudio & curæ eſt optimi cognitio: arbitrabar enim hoc genus ſolertiæ & diligentiæ omnibus mortalibus æquè impertiri debere,quo talia de numine ſentientes, uitam cum ſpe tranſigant, ſine controuerſijs diſſenſionibusq̄ de uero & iuſto:hac igitur cura, quum & uos proſequi dignamur, paria cum Romanis impertientes,unum cum illis in Eccleſijs dogma retinere iubemus. Quapropter Frumentium Epiſcopum quamprimùm in Ægyptum demittite,& uenerabiliſsimum Georgium,& alios per Ægyptum Epiſcopos,qui in creandis dijudicandisq̄ Epiſcopis,ſummam authoritatem habent. Scitis & meminiſtis,niſi eorum quæ publice conſtant,ignorantiam ſimuletis, Frumentium ab Athanaſio homine omnibus malis obnoxio,in hunc ordinem uitę cooptatum eſſe, qui, quum ex omnibus criminibus iure ipſi obiectis, nihil prorſus diluere poſſet,excidit ſtatim à ſua Cathedra,& ut in uita, ita in locis omnibus errabundus ſolum ſemper ex ſolo uertit, quaſi mutatis ſedibus ſcelera ſua effugere poſſet. Si igitur ſponte obtemperat Frumentius, rationesq̄ det de uniuerſa ſeditione,certum eſt apud omnes eum nihil à legibus Eccleſiaſticis,fideq̄ quæ nunc obtinet,diſſentire,cumq̄ iudicio accepto,rationibusq̄ uitæ redditis,ab illis,penes quos eſt harum rerum authoritas & cenſura,Epiſcopum conſtitui debere,ſi modo ipſe reuera ſe & iure Epiſcopum uideri uelit. Quòd ſi procraſtinationes aucupetur, iudiciumq̄ fugiat, euidens omnino documentum eſt, eum ſceleratiſsimi Athanaſij uerbis inductum, impie aduerſus Deum agere,quum eodem modo in ſceleribus, quorum ille conuictus eſt, pergat, periculumq̄ eſt ne peragrata Auxumi, ueſtrates nefarijs & impijs ſermonibus corrumpat, nec ſolum Eccleſias confun-

confundat,ac turbet,& in ſummum numen blaſphemias dicat, ſed ne ſingulis quoq; gentibus uaſtationem,excidiumq; conciliet. Certus enim ſum eũ, ubi aliquid addidicerit,comparata ingenti in publicũ utilitate ex uenerandi Georgij familiaritate, & cæterorum qui doctrina pollent, ad ſuas ſedes reuerſurum eſſe,utpote iam exactè in diſciplinis Eccleſiaſticis eruditum. Deus uos ſeruet fratres chariſsimi. His ego auditis, & per eorum lachrymas, qui iſta recenſebant,uiſis,fateor quod res eſt,in eremum me retuli, idipſum cogitans,quod & tua Maieſtas uidet:in eo ipſo ad te perueniendi eſſe impedimentum, quòd ideo quærebar, ut ad præfectos abducerer: Nam ſi contra me ſubſcribere recuſantes,talia tantaq; paſsi ſunt,laicisq;, qui noluerunt cũ Arianis communicare,mors imperata eſt,cui dubium, quin ſycophantæ in me nouas & infinitas ſpecies occidendi moliti eſſent,poſt mortem meam in quos,& quod libitum fuiſſet,acturi,maioraq; aduerſus nos mendacia confi cturi,utpote ſecuri liberiq; ab omni reprehenſore. Non enim metu tuæ pietatis fugi,ſed quòd eorum furorem ex actis ipſorum cognitum haberem,cogitaremq; eos,ne,de ijs quæ præter animi tui ſententiam geſſerant, conuinci poſſent,quiduis,ut me occiderent,auſuros. Ecce enim quum tua humanitas non ultrà quàm extra ciuitatem, prouinciamq; ſuam Epiſcopos euocari iuſſerat,iſti præclari uiri ſupra mandatũ tuũ temerarij, longius quàm ultra tres prouincias,in loca deſerta,inſolita, horribilia, homines ſenes, & annoſos Epiſcopos eiecerunt. Alij enim ex Lybia, in magnam Oaſim, alij ex Thebaide in Ammoniacam Lybiæ deportati ſunt. Neque rurſus, formidine mortis,me in fugam dedi, ne quis me timiditatis accuſet, ſed ut Saluatoris præcepto obtemperarem,cuius mandatum eſt,ut contra perſecutores fuga, contra indagatores latebris utamur,ne ſi nos in apertum periculum offeramus,acrius prouocemus perſequentium furorem. Siquidem in æquilibrio eſt,& ſe ipſum occidere,& ſe inimicis ad occidendum propinare:qui autem fugit,ut Dominus præcepit,is temporum articulos nouit,& uerè ſuis perſequutoribus cauet, ne uſque ad ſanguinem fundendum euecti, rei fiant eius præcepti quod homicidium uetat: quàm autem nos perditos criminatores uoluerint,ſatis conſtat ex ijs,quæ denuo committunt,quibus ſtudium ſuũ, ſanguinariamq; uoluntatem egregiè produnt. Quæ,ſi audieris,religioſiſsime princeps, ſatis ſcio, magnopere admiraberis: audacia enim eorum talis eſt, ut nemo non obſtupeſcat. Quanta autem illa ſit, paucis quæſo accipe. Dei Filius Dominus & Saluator noſter IESVS Chriſtus, homo propter nos factus,profligata morte,& aſſerto à ſeruitute & corruptione humano genere,inter cætera dona ſua largitus eſt nobis in uirginitate exemplar angelicæ ſanctitatis. Certe puellas ea uirtute præditas, ſponſas Chriſti Catholica Eccleſia appellare ſolita eſt,quas Ethnici conſpectas,ut templum Verbi admiratione proſequuntur. Nuſquàm enim alibi ſanctum illud & cœleſte æternæ uirginitatis mandatũ fœliciter adimpletur,niſi duntaxat apud nos Chriſtianos,atq; in eo magnum documentum eſt,plane apud nos eſſe ueram religionem. Has præ reliquis omnibus beatæ memoriæ religioſiſsimus pater tuus Conſtantinus Auguſtus in precio habuit,& tua religioſitas ſæpius eas in ſuis ſcriptis precioſas & ſanctas nominauit. Has nuper præſtantes uiri

Ariani noſtri ſcilicet calumniatores, inſidiatoresq; , uſi ad hoc & Epiſcoporum opera & miniſterio iudicum, detractis ueſtibus denudarunt, & ab heremitarijs ſuſpenderunt, lateribus earum ita iam tertio laceratis, ut nunquam quicq; tale, ne facinoroſiſsimi quidem homines ſint paſsi. Pilatus enim, qui inſeruiebat per id temporis Iudæis, lancea unum latus Saluatoris perfodit: iſti aũt rabie ſua Pilatum uicerunt, quum non unum latus Chriſti, ſed utrumq; lacerarint: membra enim uirginum præcipua & propria Chriſti ſunt. Omnes certe, quotquot ſcelera iſta audiunt, uel ad ſolam famam exhorreſcunt. Iſti ſoli nihil ueriti ſunt denudare & lancinare impolluta membra, quæ puellarum æterna uirginitas Chriſto dedicauerat, & quod teterrimum eſt, ſi quando male audirent, & conuicijs ob tantam crudelitatem pulſarentur, pro erubeſcentia, qua tingi debuerant, cauſificabantur ſeſe id tuo iuſſu & imperio perpetraſſe: tanta illis audacia eſt & improbitas ad omne facinus. Nihil certe in perſecutionibus tale quid geſtum eſſe audimus: q; ſi tale quid geſtum reperiatur, non decuit tamen ſub te Chriſtiano principe uirginitatem iſtiuſmodi cõtumelijs exagitari, aut tantam crudelitatem tuæ Maieſtati imponi & adſcribi. Talia enim ſcelera impietatis in Filium Dei, & in conſecratas eius uirgines, hæreticis conueniunt. Quo tempore igitur talia ſcelera ab Arianis deſignabantur, nihil à me erratum, q; obtemperauerim Sacræ Scripturæ, ita loquenti: Sed abſcondare aliquantiſper, donec tranſeat furor domini. Abdidi igitur denuo me ipſum, religioſiſsime Imperator, neq; piguit me in ſolitudinem abire, neq; ſi neceſſum ſit, in ſporta è mœnibus demitti. Omnia enim ſuſtinui, & cum feris habitaui, ut interim & uos tranſiretis, & iſtorum, quæ nunc ſcribo, idoneum tempus adueniret, nihil addubitans, quin futurum eſſet, ut aliquando & hi calumniatores agnoſcerentur, & tua humanitas eluceſceret. Quid & religioſiſsime princeps Auguſte, maluiſſes à me fieri in tanta fæuitie calumniatorũ, nihil niſi necem meam omnibus rationibus molientium, an ne id quod ſcriptum eſt: Abſcondare pauliſper, ut interea temporis & ſycophantas deprehenſos hæreticos eſſe conſtaret, & tua humanitas, ſpecimen ſui exhibendi occaſionem nanciſcerentur? an ut me iudicibus ingererem, ut illi ignari mentis tuę, nec intelligentes ſcripta tua, qui nihil prę terquàm terrere uolebas, ad inſtigationes Arianorum, ueluti ex edictis tuis, capitalem pœnam inſererent, & cædem ita factã, tibi, tuisq; literis imputarent? Neutrum certe oportuit, aut me transfugam fieri, & ſanguinibus dedi, aut te principem Chriſti amantem in mactandis Chriſtianis, & prę ſertim Epiſcopis authorem aſſcribi. Rectius igitur fuit, ut & latebras ueſtigarẽ, & hanc temporis opportunitatẽ expectarem. Enimuero ſcio te, quũ & Sacras Scripturas lectitem, annuere noſtris rationibus, & nos in hoc genere facti probare. Ecce enim ceſſantibus illis, qui te irritabant, apparuit tua religioſiſsima manſuetudo, omnibusq; innoteſcit, te ne antea quidem proſecutum eſſe Chriſtianos, ſed illos eſſe perſecutores, qui Eccleſias uaſtabant, ut ſuam ubiq; impietatem ſuperſeminarent, eoſdemq; fuiſſe authores mei exilij, quorũ inſidijs iam pridem tentati ſumus, ac proinde certum eos ſine omni cura, de me apud Imperatorem mendacia dixiſſe, eosq; qui tam facile tot ſcelera in Epiſcopos & uirgines moliti fuerant, meã necem

necem captasse. Sed gratiæ Deo tuo imperij datori: quòd certi iam sint omnes, quanta sit & tua humanitas, & illorum malitia, neq; alia ex causa profectum est, quòd me ab initio fugę mandarim, quàm ut te aliquando istiusmodi uerbis, quibus nunc utor, conuenirem, ut tu uicissim haberes occasionem tuæ humanitatis exercendæ. Obsecro igitur te, ut quemadmodum scriptū est: ꝙ responsio humilis iram auertit, & acceptabiles sint Regi iusti sermones, recipias hanc excusationem, & restituas patrijs finibus & Ecclesijs omnes Episcopos, & reliquos clericos, quo & calumniatorum malitia euidentius appareat, & tu & nunc, & in die iudicij, libere Domino nostro & Saluatori, Regi regum Christo dicas: Ex tuis nō perdidi quenq̄, uerū qui omnibus insidias fecere, isti sunt: ego aūt is sum, qui indolui super lancinatis et extinctis uirginibus, cæterisq; malis contra Christianos inductis, & exterminatos reduxi, & reddidi Ecclesijs. Prou. 15

EIVSDEM APOLOGIA DE FVGA sua, quum à Syriano Duce persecutionem patiebatur.

AVDIO Leontium Antiochenum, & Narcisson Neronipolitanum, & Georgium Laodicensem, reliquosq; cum ipsis Arianos, multa de me obgannire, & crimē timiditatis opprobrare, quòd quum ab ijs ad necem quærerer, non me ipsis in deditionem obtulerim. Ad conuicia igitur eorum, & calumnias, quanq̄ multa, & quæ ab illis, utpote sibi male conscijs, negari non possunt, ad scribendum suppetāt, non tamen animum inducam, ut quippiam aliud aduersus eos dicam, nisi Apostoli Verbum, mendacium esse ex diabolo, & conuiciatores regnum Dei non possessuros esse. Sufficit enim mihi, ꝙ hac re sese prodant, quòd nihil secundum Euangeliū, aut sapiant, aut faciant, sed pro libidine sua id opinentur quod uelint. Cæterum, quia mihi timiditatis crimen affingunt, paucis scribendum est, ad declarandam eorum malignitatē, & q̄ literas sacras, aut non legant, aut non credant eas diuinitus, & adspiratu numinis editas esse. Qui si ijs fidem adhiberent, non tanta temeritate ijs refragarentur, Iudæorum dominicidarum prauitatem ęmulantes. Illi enim, quum iussum esset à Deo, Honorabis patrem & matrem, qui uero patri aut matri conuiciū dixerit, morte moriatur: huic legi obrogare uoluerunt, honorem in contumeliam uertentes, & argentum quod ad parentes spectabat, specie quadam permutationis auertebant: quumq; in Biblijs legissent, quid à Dauide actū esset, in contrarium tendebant, innocentibus criminatione infesti, dum eos qui spicas in die Sabbati uellebant, uituperationibus insectarētur, nō ꝙ illis cura aliqua Sabbati esset, qui ijs diebus maiorē in modū præuaricabantur, sed quòd per malignitatem animi, discipulorum saluti inuiderent, & quæ suæ sententiæ essent, pollere uellent: illi igitur stipendia suæ militiæ adepti sunt, prophani iam facti, appellatiq; principes Sodomorū, & populus Gomorrhæ. Sed enim & isti quoq; non uidētur minorem q̄ illi pœnam accepisse, nimirū brutæ suæ uecordiæ ignorantiā. Non enim intelligunt quod dicunt, quin potius quod ignorāt, id se scire arbitrantur, neq; est alia in illis Exo. 20

ſcientia,niſi malefaciendi,& indies peiora cõminiſcuntur, quippe qui fugã noſtram(non quòd uelint nos fortes eſſe) uituperent, unde enim inimicis tale uotum, ut bene optent ijs, qui non ſecum in prauitate conſentiunt, ſed ex malignitate animi tales bombos per ſimulationem caſtigãdi circumſtrepunt. Ideoq; diſcurſibus oberrant,& ſpeciem amicitiæ præferunt, quum interim,ut hoſtes,ad perniciem nos quærant,auidi ſanguinis noſtri, & è medio tollendi cupidiſsimi, eò quòd ab eorum impietate diſſenſimus ſemper, & perpetuo diſſenſuri ſumus,eorum hæreſim conuictam argumentis traducentes: Quem,quæſo,in perſequendo aſſecuti,non omnibus,quibus libuit, contumelijs uexarunt, cui non, cum quo illis ſimultas erat delapſo in ipſorum manus,non eam uim adhibuerunt,ut uel miſerè periret,uel undecunq; mutilaretur? Quæ à Iudicibus uidentur fieri,ipſi reuera faciunt,quin potius ſententiæ malitiæq; iudicum,ipſi ſe miniſtros prębent. Quis igitur locus reliquus,qui non ipſorum fæuitię monumenta poſsidet? quæ Eccleſia non luget eorum inſidias,nónne Antiochia ob Euſtatium confeſſorem, & orthodoxum uirum ademptum,in mœrore eſt,& Balanea,ob Euphrationẽ,Bultus & Antardus,ob Cymatium & Carteriũ, Adrianopolis ob Eutropium Chriſto addictiſsimum,deinde ob Liuium,qui ipſorum opera ſæpe & catenas geſtauit,& in catenis mortem obijt? Nónne Ancyra Marcellum luget? Berroea Acyrum? Gaza Diaſdepan? quos ſæpius antea contumelioſe habitos,tandem ſuis dolis in exilium eliminarint. Nónne itidem Theodulum & Olympium, Thraces? Quid aũt de nobis ipſis,noſtrisq; presbyteris dicam, quorum latebras eo ſtudio rimati ſunt,ut inuentis nihil præter mortem expectandum fuiſſet,quod de nobis quoq; futurum erat, niſi fœliciter elapſi eſſemus. Tales enim literæ aduerſus Olympium, ad proconſulem Donatum miſſę ſunt, talesq; item aduerſum nos ad Philagrium. Certè Paulum Conſtantinopolis Epiſcopum quæſitum,deprehenſumq; propalàm authores fuere,ut Coccuſæ,quæ eſt in Cappadocia ſtrangularetur,carnificem ad eam rem nacti Philippum præſidem ipſorum, ſectę anteſignanum, & prauarum uoluntatum ſatellitem. Quid igitur? an poſt talia ſcelera defatigatos ſeſe oſtenderunt, aut iam denique quieti ſe tradunt? minime gentium. Nihil in illis quietis, ſed ſecundum eam, quæ in prouerbijs eſt, hirudinem ſemper in maius ſæuiunt, ſuis ſceleribus indiuulſim affixi. Nam eorum ſcelera quis unquàm condigne extulerit? aut tanta memoria, ut quæ ab illis deſignata ſunt, plene recenſeat? Pacata enim hactenus Eccleſia, populoq; in ſacris ſynaxibus orante, Lyberius Romanus præſul, Paulinus Galliarũ Metropolitanus, Dionyſius Italiæ, Lucifer Sardiniæ, Euſebius item Italię,omnes boni & præclari Epiſcopi, ueritatis pręcones, aguntur, raptantur,& in exilium profligantur, nulla prorſus de cauſa,niſi q; non adſtipulati ſunt Arianorum hęreſi, & illorum calumnijs aduerſum nos fictis ſubſcribere noluerunt. Nam de magno & grauiſsimæ ætatis uiro, eodemq; confeſſore Oſio,qui uerè oſius eſt,id eſt,ſanctus,ſuperfluum arbitror mentionem facere,quũ nullus fortaſſe ſit,qui cognitũ habeat eum ab iſtis quoq; in exilium miſſum eſſe. Non enim quicq; latere poteſt in uiro illo tantæ claritudinis. In qua enim ſynodo ille non dux & anteſignanus fuit? quem non

ille

Z.

ille recta tuendo in sententiam suam pertraxit. Quæ ecclesia illius præsidentiæ non pulcherrima monumenta retinet? quis illum mœstus adijt, ut non lætus abierit? quis indigus ab eo postulauit, quin postulatum obtinuerit? Atq; contra hunc quoq; se audaces improbosq; ostendere, eò quòd certus ille earum calumniarum, quas pro tuenda impietate contra me struerent, ipsorum insidijs subscribere noluit, quibus rebus declararunt minime se ueros Christianos esse. Ab illo facinore Alexandriam adoriuntur, denuo nos ad necem quærentes: & quæ tum acta sunt, longe tetriora q̃ priora fuerũt. Siquidem miles statim armis circumdedit Ecclesiam, bellicq; deinde negotia pro orationibus succedere. Deinde superueniẽs per tempus quadragesimæ, qui ab ipsis è Cappadocia missus fuerat, Georgius, scelera quæ ab ijs dicerat, cumulatiora reddidit. Videre enim erat post septimanã Paschę, Virgines in carcerem detrudi, Episcopos uinctos à militibus duci, pupillorum uiduarumq; ædes populari (nam & in domos eruptiones factę sunt), noctu Christianos raptari, ædesq; obsignari, & fratres clericorum pro fratribus in periculum deuocari. Grauia quidem ista, grauiora tamen quæ postmodum commissa sunt. In hebdomade siquidem post sacram pentecosten, populus completis ieiunijs ad orandum ad cœmiterium abijt: eò quòd abhorrerent à communione Georgij, quod quum homo omnibus modis scelera tissimus intellexisset, ducem copiarum Sebastianum secta Manichæum, ad uim & ad arma instigat. Igitur ille militari manu, infestis telis, quum alij gladios strictos, alij arcus gestarent, impetum in populum facit, rarosq; illic orantes deprehendens (nam plericq;, ut erat diei tempus, discesserant) talia designauit, qualia par erat eum designare, qui istiusmodi hominib. aurẽ præbuisset: uirgines enim ignibus flammãtis rogi admotas, adigebat ad confessionem Arianicæ religionis, ibi quum eas inuictas cerneret, corpora nudat, atq; ita in faciem cædit, ut uix longo post tẽpore à suis potuerint agnosci: uiros aũt quadraginta cõprehensos noua ratione lacerauit: uirgis enim palmeis aculeos suos adhuc retinentibus ita terga eorum cecidit, ut alij sæpius à medicis ob tenaciùs inhærentes aculeos frustra curati, alij curationem nõ ferentes, mortẽ oppetiuerint, cæteros deinde omnes, quotquot comprehenderant, in eam partem Ægypti, quæ magna Oasis appellatur, relegarunt. Corpora autem defunctorum initio ne suis quidem dari uoluerũt, eaq; pro libidine sui consilij insepulta clanculum habuerũt, quòd putarent suam crudelitatem latêre posse. Qua in re uecordes illi magno errore mẽtis tenebantur: necessarij enim amicíq; interfectorum, de confessione quidem suorum læti, sed mœsti admodum de subductis corporibus, nec tacẽtes facti immanitatem, causam dedere, ut scelerũ tragœdiæ semper in maius diuulgarentur. Illi aũt ex Ægypto & Aphrica hos Episcopos ad fugam exiliumq; compulerunt: Ammonium, Muum, Gaium, Philonem, Hermem, Plinium Psinosirin Pelamonem, Agathonem, Anagamphon, Marcum, Ammonium, & alterum eiusdem nominis, Marcum, Dracontium, Adelphium, Athenodorum: Presbyteros uero, Hieracem, & Dioscorium, quos tanta acerbitate raptauerũt, ut quidam in uia, quidam in exilio mortem oppetierint, actis in fugam plurimis quàm triginta Episcopis. Siquidem illis studium fuit

secun-

ſecundum Achaab, quoquo modo, ſi fieri poſſet, ueritatem è medio tollere. En tibi impiorum audaciam, qui poſt tanta facinora, ſine pudore prioris in me tyrannidis, hoc etiam pro crimine obiiciunt, quòd me ſubduxerim eorũ parricidalibus manibus, uel potius acerbè dolent, conquerunturq; me è medio ſublatum non eſſe, ac proinde ita agunt, quaſi qui mihi crimen timiditatis obiicere uelint, nihil ſentientes ita obganniendo, eam criminationem, in ipſorum caput recidere. Nam ſi malum eſt fugere, multo deterius eſt perſequi: ille enim ne moriatur ſeſe abdit, iſte perſequitur, ut occidat: deinde de fuga q̃ licita ſit, in Scripturis conſtat: qui autem ideo quærit ut interficiat, legem præuaricatur, aliiſq; fugiendi neceſsitatem adfert. Si igitur fugam pro re pudenda obiiciunt, pudeat eos ſui, q̃ ſint perſecutores, ſi enim quieſcerẽt inſidiatores, quieſcerent & fugientes. Cæterum illi à ſuis ſceleribus non interquieſcunt, quum iſtud pro meliori apprehẽdendi occaſione moliantur, neſcij interim fugam eorum, qui perſecutionem patiuntur, ingens eſſe documentum ſcelerum aduerſus eos qui perſequuntur. Nemo enim manſuetum & humanum, ſed efferum, & facinoroſum fugitat, ac propterea, quotquot erant, mœſti & obærati à Saule profugiebant, ad Dauidem ſe conferentes. Ita quoq; & iſti abditos latentesq; ad necem quęrunt, ne ſuperſint ſcelerum ipſorum documenta. Verum ut ubiq; cæcutiunt, ita mihi hic quoq; uidentur cæcutire. Quanto enim clarior fuga, tanto etiam in clariore fama eſt per inſidias tẽtata cædes: ſiue enim occiderint, grauiori ſono aduerſus eos mors ipſa inclamare uidetur: ſiue in exilium miſerint, unà cũ relegatis monumenta ſuorum ſcelerum ad exteros emittunt. Si igitur integræ mentis eſſent, uiderent ſeſe iſtis rebus illaqueari, ſuasq; ſibi rationes officere. Verum quia mentem perdiderunt, impetu ad perſequendum rapiuntur, & in quęrendo ad necem, ſuam impietatẽ non animaduertunt: forſitan & ipſam prudentiã auſint uituperare: quid enim illis inauſum? aut quid eſt, ad qd̃ ſe non promptos offerant? quum manifeſtum ſit iuxta Saluatoris uocem, ne paſſerculũ quidem ſine Patre noſtro, qui in cœlis eſt, in laqueum cadere. Illi tamẽ in apprehendendo obliuiſcũtur aliorum, & imprimis ſui metipſorum, ſublatisq; per arrogantiam ſupercilijs, tempora rerum non diſtinguunt, neq; in lędendis hominibus, naturam reuerentur: ſed, ueluti Tyrannus ille Babylonicus, truculentiſsimè perſequentes, nullius miſericordia tenentur, quippe qui & presbyteris iugum aggrauent, & ad dolorem uulnerum meorum, ut ſcriptum eſt, auctarium addant. Si talia non facerent, ſi eos, qui ipſorum calumnijs contradicunt, non in exilium mitterent, ueriſimile quiddam apud nonnullos dicere uideri poſsint. Cæterum poſt inſidias eorum in tot tantosq; Epiſcopos, quum nec Magno Oſio confeſſori, neque Epiſcopo Romano, neq; tot Hiſpanis, Gallis, Aegyptijs, Aphricanis, aliarumq; prouinciarũ Epiſcopis pepercerint, & tanta ſcelerum exempla in eos, qui uel ſemel pro me contra illos auſi fuiſſent hiſcere, ediderint, qui fieri poſſet, ut non me potius q̃ alios, quos occiderunt, mactatum cupiant: Necandi enim ſtudio excubias ſeruãt, ſeq; ultro occidi arbitrantur, ſi uiuant, quos illi uiuere nolint. Quis igitur horum ſcelera non uidet? cui hoc non liquet, eos non uirtutis ſtudio timiditatem obiectare, ſed ut ſitibundi, auidiq; ſanguinis humani, uerſutijs iſtis

Matth. 10

istis ueluti sagenis cõprehendere possint, quos neci destinent? Quòd autẽ ipsi tales sint, ipsorum opera declarant, ostenduntq; eorum animos feris efferatiores, & Babylonijs crudeliores esse. Iam tametsi ex ipsis satis liqueat, quales sint, tamen quia ipsi secundum suum patrem diabolum, mollibus sermociunculis se fucant, & in aliam speciem uultus, quo timiditatem mihi obijciant, transformantur, ipsi interim leporibus timidiores: Age, iam quid sacræ scripturæ de istiusmodi re loquãtur, inspiciamus. Inde enim patebit eos potissimum cum Sacris literis pugnare, & Sanctorum uirtutes calumniari: nam si uituperant eos qui sese, dum ad necem quæruntur, occultant, & calumniantur eos, qui uitant persecutores, quid (quæso) facient, quum uiderint Iacob à fratre suo Esau fugientem? Mosenq; ad Madianitas, metu Pharaonis secedere? aut quid isti, qui huiusmodi garriunt, respondebunt Dauidi è suis ædibus Saulem ob percussores summissos fugienti, & occultanti se in spelunca, faciemq; immutanti, quoad euaderet Abimelechum, & insidias declinaret? aut quid dicent isti qui ubiq; temere deblaterant, si uideant magnum Heliam, Deum nominatum, & mortuos excitantem, sese abdere propter Achaab, & profugere ob minas Iesabel, quo tempore filij etiam Prophetarum quæsiti ad necem, sese in speluncis apud Abdiam recluserunt? Forsitan nec de istis ut nimis priscis quicq; legerunt, neq; quæ in Euangelijs sunt, meminerunt. Sed quid? num & hoc ignorant, & discipulos ob metum Iudæorũ latebras & recessus quæsiuisse? & Paulũ Damasci in sporta è mœnibus demissum esse, dum à gentis præfecto quæreretur? Quo animo (quæso) ista de Sanctis legunt? aut quem ibi prætextum suæ temeritatis reperire possunt? si enim illis timiditatem exprobrent, furiunt: sin contra Dei uoluntatem feciſſe arguant, prorsus Scripturas sacras calumniantur. Nam & in lege ciuitates refugiorum erant, pro ijs qui ad cædem quærebantur, ut aliquo modo persecutorem euaderẽt. In consummatione porro seculorum, quum aduenisset illud ipsum Verbum Patris, quod Mosi antea locutum fuerat, rursus præceptum fugiendi condidit, Quum uos (inquiens) persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam, paulòq; post subijcit, Quum uideritis illam abominationem desolationis, quæ dicta est per Danielem Prophetam, consistentem in loco sancto, qui legit, intelligat, tum qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto est, ne descendat, ut aliquid tollat ex ædibus suis: & qui in agro est, ne retrorsum se cõuertat ad uestimenta. Hoc, quum scirent Sancti, ad eam normam uitam suam temperauerunt. Quæ autem in præsentiarum præcipit Dominus, ea quoq; ante suam in carne conuersationem locutus est in Sanctis, & hoc genus formæ institutiq; hominibus perfectitudinem conciliat. Nam quod Deus iniunxerit, faciendum est. Ideoq; & ipsum Verbum propter nos homo factum, uoluit, quemadmodum & nos, quum quæreretur & quum persecutionem pateretur, fugere & insidias declinare. Decebat enim, eum, ut esuriendo, sitiendo, patiendo, ita quoq; ipsa ratione fugiendi, ostendere se carnem gestare, & hominem factũ esse. Simul enim ut natus erat, atq; etiam dum puer esset, per Angelum Iosepho mandauit, ut excitatus puerum assumeret, & matrem eius, futurum enim esse ut quæreret Herodes animam pueri: Idem mortuo postmodum

Act. 9

Matth. 23

Matth. 23

Hero-

Herode,metuens Archelaum in Nazaret ſecedit,Deinde etiam tum, quum ſanata arida manu,ſe Deum oſtendebat,conſiliumq; ſui occidendi à ludęis iniretur,non ignarus inſidiarum,ex ijs locis receſsit.Siquidem ex quo Lazarum è mortuis excitaſſet,ab illa deinceps hora(ut refert Euangelium)conſilium inierant,ut eum occiderent , quapropter Ieſus non palam obambulabat inter Iudæos,ſed abijt ad locum uicinum deſerto:Ac deinde quum dixiſſet Saluator,Anteq; Abrahã fieret,ego ſum. Iudæis tollentibus lapides, ut in eum mitterent, ipſe abſcondit ſe, & exiuit de templo , & tranſiens per medium eorum,euaſit.Num quum iſta uideant,uel potius audiant (nihil enim uident) qui (quæſo) non quemadmodum ſcriptum eſt, æſtuet incendijs,dum contraria ijs quæ Deus fecit & docuit,& uolunt & loquuntur.Ieſus enim in martyrio Ioannis , corpore illius à diſcipulis humato , re audita, nauigio ſe inde in deſertum abduxit. Dominus igitur quemadmodũ fecit, ita & docuit.Iam uereor,ne iſti , non intra conuitia hominum, ſuam exprobrandi libidinem ſiſtant,ſed ulterius inſania ſua euecti,etiam Domino Deo timiditatẽ obijciant.Sed quis eos ſic inſanientes ferat? melius eſt,ut de ignoratione Euangelij male audiant.Sed enim cauſa iſtiuſmodi receſsionis & fugæ,quam Euangeliſtæ in Saluatore commemorant,proba & uera eſt:& cõſentaneum eſt,ut eam quoq; in fuga ſanctorum uerſatam fuiſſe arbitremur. Quæ enim humanitus de Saluatore ſcripta ſunt,ea par eſt ad commune genus hominum referri.Nam & ille noſtrum corpus geſtauit,& humanã imbecillitatem oſtendit.Cauſa aũt quam Ioannes ſcripſit,talis erat: Quærebãt eum cõprehendere,nec tamen quiſq; in eum manus intulit,eò quòd nondũ eius hora ueniſſet,quippe qui & anteq; illa ueniret, matri ſuæ dixerit , nondum ſuam horam ueniſſe. Dixit idem & fratribus ſuis , mea hora nondum adeſt.Cæterum cum iam tempus ueniſſet , ita allocutus eſt ſuos diſcipulos,
Ioan.17 Dormite iam & requieſcite , Ecce uenit hora , & filius hominis traditur in manus peccatorum.Ille enim,quatenus Deus & Verbum Patris,nulli tempori addictus erat,quum ſit ipſe temporum opifex , poſtmodum homo factus,hoc genere ſermonum uſus eſt, oſtenditq; unicuiq; mortalium tempus dimenſum eſſe,nec tempus iſtud fortuito caſu,ut nonnulli Ethnicorum fabulantur,ſed prout ipſe conditor Pater uoluit,unicuiq; definitum eſſe. Id enim ſcriptum eſt,& apud omnes conſtat, tametſi ignotum habeatur,& lateat omnes mortales, quomodo , aut quantum unicuiq; temporis admenſum eſt,ſed tamen quiſq; certum habet,ut ueris,æſtatis,autumni,& hyemis ſunt certa tempora , ita quoq; , ut ſcriptum eſt,tempus uiuendi moriendiq; eſſe.Ideoq; ætas quæ ſub Noe fuit, mutilata eſt, & quaſi tempore omnium completo,contracti ſunt anni.Ezechiæq; additi ſunt quindecim anni: Deus quoq; legitimis ſuis cultoribus numerum ipſorum dierum ſe adimpleturum eſſe pollicetur. Abraham quidem plenus dierum moritur. Dauid uero deprecatur,Ne me reuoces in dimidio dierum meorum.Et unus ex amiPſal.101 cis Iob,Elephas nomine,id probè cognitum habens, ita locutus eſt, Veni-
Iob 5 es aũt in ſepulchrum ut ſeges matura, ſuo tempore demeſſa , & ut manipulus areæ in tempore collectus.Et Salomon hunc ſermonem obſignans, ita
Eccle.19 ait,Tollentur immaturæ animæ impiorum , quapropter in Eccleſiaſte admonet,

monet,dicens:Ne impius sis ualde,& ne sis durus,& ne tu moriaris in tem- Eccl.7
pore non tuo. Vt igitur ad istum modū conscripta ratio ex se declarat,San-
ctos cognoscere unicuiq; mortaliū esse tempus mensuratum, ita eos quoq;
ignorare ostendit terminos sui temporis,quum Dauid ita loquatur,Pauci- Psal.101
tatem dierum annuncia mihi:non enim id sciebat, quod discere uolebat. I-
deoq; diues ille longiorem uitam sperans,audiuit, Stulte, in hac nocte à te Luc.12
tuam animam repetent,& quæ præparasti,cuius erunt? Ecclesiastes porro
fiducia Spiritus Sancti, id ipsum diserte exprimit his uerbis, Et non nouit Eccl.3
homo tempus suum.Ideoq; Patriarcha Isaac dicebat filio suo Esau,Ecce cō- Gen.18
senui,& ignoro diem finis mei. Quin & Dominus & Verbum Patris sciēs
quos cuiq; annos admensus esset, neq; ignorans quod tempus ad patien-
dum sui corpori præfiniuisset, ubi propter nos homo factus esset, cæteris
diebus qui hoc tempus antecedebant,nostro more,quum quæreretur, sese
occultabat,& quum eum persequerentur, effugiebat, insidiasq; deuitans,
per medios illos transibat. Quum aūt tempus à se definitum ipse sibi addu-
xisset,in quo corporaliter pro hominibus pati uolebat, tū allocutus est his
uerbis Patrem,Pater,uenit hora,glorifica tuum Filiū. nec iam inde se quæ- Ioan.17
rentibus subduxit,sed uolens cōprehendi,substitit ac remansit, atq; ita eis,
qui aduersus se tendebant,locutus est, Quem quæritis? illisq; respondenti-
bus,Iesum Nazarenum,dixit eisdem,Ego sum, quem quæritis? neq; semel Ibidem
duntaxat,sed & secundo id fecit: atq; ita postmodum eum abduxerunt ad
Pilatum.Neq; ante tempus permisit se capi,neq; quum tempus adesset,sese
occultabat,sed seipsum obtulit insidiatoribus, ut omnibus manifestum fa-
ceret,à superno iudicio pendere uitam & mortem hominum, & absq; Pa-
tre nostro,qui est in cœlis,ne capillum quidem hominis posse aut albū, aut
nigrum fieri:aut passerculum unq; in laqueum cadere. Dominus igitur ul-
tro seipsum pro omnibus, sicuti scriptum est, obtulit. Sancti uero pro for-
mula accepta,utpote à Domino eruditi, & priscis olim & sequentibus tem
poribus in certamine,quod illis erat cum persecutoribus, & fuga se instanti
bus eripiebant,& quærentibus sese,per latebras subducebant, quippe qui
ut homines ignari erant, temporis sibi à Diuina prouidentia constituti, ac
proinde minime sese insidiatoribus ingerebant, quum non ignorarent id
quod scriptum est,In manibus Dei esse sortes hominum,& Dominum oc- Psal.30
cidere & uiuificare,atq; ideo usq; ad decursum sui temporis expectare ma-
luerunt,oberrantes interim (ut Apostolus dixit) in melotis & rhenonibus
per solitudinem,defraudati afflictiq;, & in spelūcis in foraminibusq; terræ
latitantes,donec aut mortis definitum tempus superueniret,aut quoadusq;
definitor temporis Deus, ipsis hoc ipsum indicaret, uel persecutores inhi-
bens,uel persecutorib.eos tradens,prout illi opportunius uidebatur. Rem
ita esse maxime in Dauide cognoscas, qui cum ab Ioab in Saulem irritare-
tur,ita respondit: Viuit Dominus, nisi Dominus eum castigauerit, aut ue- 1.Reg.24
nerit dies mortis eius, aut descēderit in prælium,& deficiat sub hostibus, nō
inferam manum in Christum Domini. Quòd si aliquando inter fugiendum
conuerso itinere se in aduersarios intulere, non temere hoc ab illis neq; in-
consultè factum est. Admoniti enim à Spiritu sese persecutoribus obuios

ferebant,etiam tum quoq; ſuum obſequium promptitudinemq; declaraturi. Qualis erat Helias à Spiritu hoc audiens, & apparens corã Achab, qualis item Michæas Propheta ad Achab accedẽs, qualis & ille Propheta, qui prouocatione uſus eſt ad aram Samariæ, & pudefecit Roboam, qualis & Paulus quum prouocaret ad Cæſarem. Non enim præ timore operam fugæ præbuit, abſit, quin potius fugam habebat pro palæſtra & meditatione aduerſus mortem. Duo hæc pariter obſeruabant, & quidẽ conſulto, ne ſeſe periculis obijcerent, neq; cum crimine ignauiæ, quaſi ignaui timidiq;, exilij ærumnas, morte grauiores exhorrerent. Qui enim moritur, quieſcit à miſerijs: qui aũt in fugam ſe dat, quum in horas inimicorum adortus expectet, mortem longe leuiorem quàm fugam exiſtimat. Quapropter qui in fuga moritur, non inglorius moritur: nam & hi quoq; adoream martyrij conſequuntur. Ac proinde Iob magnus eſt habitus, q̃ uiuus tot & tantas ærumnas tolerauit, quarum nullũ omnino ſenſum percepiſſet, ſi mortem ſibi conſciuiſſet. Quocirca & ipſi beati Patres iſtiuſmodi uiuẽdi diſciplina uſi ſunt, & in perſecutione non timuerunt, & robur animi ſui oſtenderũt, quum ita ſe in tam anguſtis & tenebricoſis locis recluderẽt, duriterq; & laborioſe uiuerent, neq; è diuerſo quum dies mortis aderat, fugæ ſeſe mandauerunt. Si quidem illis curæ fuit, neq; præſentiam eius temporis reformidare, neq; decretum à prouidentia terminum antecapere, aut diſpenſationi diuinæ repugnare, ad quam ſe reſeruari certi erãt, ne temere agendo, ipſi ſibi periculi au-
Prou. 15 thores redderentur. Sic enim ſcriptum eſt, eum qui præceps eſt labris, ſibi ipſum cauſam ruinæ eſſe. Tanto robore fortitudinis inſtructi erant, ut nemo ne uulgaris quidem homo de ea re dubitauerit. Siquidem Patriarcha Iacob, qui antea Eſau fugiebat, idem ubi mortem præſentem uidebat, minime expauit, quin eo potiſsimum tempore ſingulis Patriarchis pro cuiuſq; meritis, omina, benedictionesq; irrogauit. Magnus itidem Moſes ille, qui ſe antea Pharaoni occuluit, & ad Madianitas abijt, acceptis Dei mandatis ſine metu in Ægyptũ rediit. Idem quũ rurſus iuſſum ſibi eſſet, Adſcende in montem Abar, & morere, non per metum inde remanſit, ſed libenter eò cõtendit. Dauid quoq; qui prius Saulem fugerat, non expauit anteſignanus eſſe in belli periculis pro populo ſubeundis. Quin quum optionẽ de morte & fuga audiuiſſet, cum liceret illi & fugere & uiuere, mortem præoptauit. Sapiens itidem & magnus ille Helias, qui dum Ieſabelem latuerat, non extimuit, quum illi à Domino iniunctũ eſſet, ut occurreret Achabi, & Oſian redargueret. Petrus quoq;, qui ob metum Iudæorum in latebris ſe habuit, & Paulus apoſtolus in ſporta demiſſus, & ita fugiẽs, quum audiſſent oportere ſe Romæ martyrium ſubire, non abiecerunt eam profectionem, ſed potius cum gaudio abierũt, & alter etiam antea quum Iudæos fugeret, geſtiebat ſe mactari, alter uero præſens tempus non exhorruit, ſed gloria-
2. Tim. 4 batur, dicens: Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Iſta nimirum documenta exhibent, fugam nequaq; metu ſuſceptam eſſe, aut quippiam uulgare in ea, ſed magnam uim fortitudinis cõtineri. Non enim (non inq;) per ignauiam mollitiemq; animi ſeſe ſubduxerunt, ſed potius ut ſe maiori ui, intentioneq; exercerent, neq; fugacitatis ob eam rem condemnabantur,

nabantur,neq; de timiditate male audiebant,quemadmodũ fit ab iſtis uiti-
litigatoribus,ſed beati à Domino ita dicente prædicabantur,Beati qui per- Matth.5
ſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Neq; iſte labor illis ſine fructu e-
rat.Siquidem Deus, ubi eos tanq; aurum in fornace conflatoria probaſſet
(ut inquit Sapientia) ſe dignos inuenit. Quin ipſi ideo magis ut ſcintillæ re
ſplendebant ſeruati à perſecutoribus, ereptiq; ex illorum inſidijs,ut ſalui in
columesq; populos erudirent,adeo, ut eorum fuga à perſequentibus, ſub-
ductioq; à furore quærentium,cum Diuina diſpoſitione deſtinationeq; cõ
grueret,atq; ex ea re & Deo chari ſunt redditi, & pulcherrimũ fortitudinis
teſtimonium obtinuerunt. Certe Patriarcha Iacob inter fugiendum pluri-
bus uiſionibus,ijsq; diuinis dignus eſt habitus, & quo magis deſertus de-
ſtitutusq; erat,eo magis Dominum pro ſe habuit, qui & Labanem ad pu-
dorem compulit,& impetum Eſau coercuit,idemq; ut pater Iudæ eſſet, ob
tinuit,ex quo Iuda ſecundum carnem progerminatus eſt Dominus, & be-
nedictiones Patriarcharum diſpenſauit. Moſes item Deo charus quum in
fuga eſſet,tum demum uidit illam magnam uiſionem, ereptusq; à perſecu-
toribus pro Propheta in Ægyptum remiſſus eſt, adminiſterq; deinde tan-
torum ſignorum & legis factus,ducem ſe tanto populo in eremo præbuit.
Et Dauid cum à perſecutoribus agitaretur,iſta edidit, Eructauit cor meum Pſal.44
uerbum bonum,& Deus manifeſto ueniet, Deus noſter, & non reticebit, Pſal.49
ac magis inualuit,dicẽs:Inter inimicos deſpexit oculus meus,ac rurſum : In Pſal.53
Deo ſperaui,non timebo quid faciat mihi homo. Fugiens aũt & decurrens Pſal.55
à facie Saul in ſpeluncam,hæc uerba protulit : Emiſit è cœlo & ſaluauit me, Pſal.56
dedit in opprobrium conculcantes me. Emiſit Deus miſericordiam ſuã, & Ibidem
ueritatem ſuam,& eripuit animam meam è medio catulorum : atq; ita ſer-
uatus ex diſpoſitione diuina,rex deinde effectus eſt,& promiſsionem Do-
mini ex ſemine ſuo oriũdi adeptus eſt. Magnus item Helias poſt receſſum
in montem Carmelum,Deũ inuocauit : Prophetasq; Baal, plures ſimul cũ
trecentos neci dedit,& igne cœlitus euocato, centuriones cum ſuis centu-
rijs ad ſe miſſa combuſsit,quum diceret,Deſcendat ignis de cœlo,hac ratio 4.Reg.1
ne iſtisq; uerbis ad uindictam proceſsit,atq; ita periculis ereptus eſt, ut He
lizæum pro ſe inungeret, & ſeſe formam exemplumq; colendi numinis fi-
lijs Prophetarum exhiberet. Quin & beatus Paulus de ſe ſcribens,ita locu-
tus eſt:Quantas perſecutiones ſuſtinui,& ex omnibus liberauit me Domi- 2.Tim.3
nus,& liberabit:atq; inde magis inualeſcens,dicit,Sed in his omnibus ſupe
ramus.Nihil enim nos ſegregabit à charitate Dei. Tunc enim uſq; ad tertiũ Rom.8
cœlum raptus eſt, & ad paradiſum delatus eſt, ubi audiuit uerba ineffabi- 2.Cor.12
lia,quæ nefas eſt hominem loqui,ideoq; reſeruatus eſt,ut ab Hieroſolymis
uſq; ad Illyricum, Euangelium impleret. Non igitur culpabilis aut ociosa
Sanctorum fuga. Si enim non declinaſſent perſecutores, quomodo ex ſe-
mine Dauidis ortus eſſet Dominus? aut quomodo prædicare potuiſſent
ſermonem ueritatis,quum id agebatur à perſecutoribus, eoq; Sanctos per
ſequerentur, ut tollerent doctorẽ ueritatis? Eo certe animo Iudæi Apoſto-
lis prædicandi facultatem interdicebant. Sancti contra, omnia ſuſtinere ma
lebant,ut Euangelium prædicaretur. Vide igitur,num ita decertantes ocio

se habuerunt tempus suæ fugæ, aut in persecutione utilitatis aliorum obliti fuerunt, imo ut boni uerbi dispensatores, non ueriti sunt illud omnibus cõmunicare, ut qui & inter fugiendum, Euangelium diuulgarent, dolosq; insidiantium, quibus appetebantur, prædicerent, cõfirmarentq; exhortationibus fidelium mentes. Beatus igitur Paulus, qui hoc experimento didicerat, ita inquit, Quotquot uolunt pie uiuere, persecutionẽ patiũtur, statimq; quasi ceromate fugientes inunxit, ita subdens, Per tolerantiam decurrimus propositum nobis certamen. Nam tametsi tribulationes continuæ sint, illa tamen ipsa tribulatio tolerantiam efficit, tolerantia uero probationem, probatio spem, spes porro non pudefacit. Propheta aũt Esaias, quũ talia in expectatione sunt, hoc consilium dedit, Vade populo mi, ingredere in penetralia tua, claude ostium tuum, abscondere pauliſper, donec trãseat ira. Porro Ecclesiastes non ignarus insidiarũ aduersus pios, ita loquitur, Si calumniam pauperis, & iudicij & iustitiæ deprædationẽ uideris in prouincia, ne tibi ea res sit admirationi, quoniã excelsus super excelsum seruatur, & sunt adhuc sublimiores supra eos. Neq; id mirum, habebat enim patrem Dauidem, qui in suis persecutionibus hoc experimentis cognouerat, ac propterea eos, qui affliguntur, his uerbis confirmat, Viriliter agite, & corroboretur cor uestrum, omnes qui speratis in Dominum: huiusmodi enim sustinentibus, non homo, sed Dominus (ut ipse ait) opitulabitur. Siquidem Ego, inquit, sustinens sustinui Dominum, & intendit mihi, & audiuit deprecationem meam, & eduxit me de lacu infimo, & ex luto fecis. Vtilis igitur & non infructuosa populis fuga sanctorum, etiam si id Arianis non uideatur. Quapropter Sancti (quemadmodũ dictum est) fugientes, sese occultabant, & per dispensationem ut medici in usus indigentium, reseruabantur. Reliquis aũt & in uniuersum omnibus ea lex proposita est, ut fugiant, dum in persecutionibus appetuntur, & occultent sese, dũ quæruntur, neq; præcipites, temerarijq; sint in tentando Domino, sed expectent (quemadmodum dixi) donec definitum moriendi tempus aduenerit, aut iudex ille aliquid de ijs, quod sibi rectum uideatur, constituerit, sed tamen nos semper paratos esse uoluit, ut uel uocante tempore, uel apprehẽsi pro Ecclesia usq; ad mortem dimicemus. Hæc & beati martyres, temporibus persecutionũ obseruauerunt, ijdemq; quamdiu in latebris erant, sese obdurabãt. Vbi aũt inuenti essent, martyrium obibant. Quòd si quidam ex ijs se persecutoribus dedidere, nõ temeritate eo rapiebantur, sed passim apud omnes profitebantur à Spiritu Sancto hanc promptitudinem, suiq; oblationem profectam esse. Quum igitur Deus nonnullis præcepta fugiendi dederit, & à Sanctis ita actum sit, dicant mihi (quæso) qui nihil quod dignum est, audiunt, unde ipsi didicerunt persecutiones instituendas esse? certe à Sanctis id non habent. Supereſt igitur ut ab illo acceperint, qui dicit, Persequar & cõprehendam, fugere siquidem Deus iniunxit, & Sancti factitarunt: persequi autem Diaboli inuentum est, qui omnibus infestus ubiq; persequendi uotum cõcipit. Quibus igitur adhærescẽdum, Domini ne uerbis an istorum fabulis? quorum ue acta imitanda sunt, Sanctorum ne an istorũ mendacia? qui fortasse ne inter ista quidem discrimen sentiunt, eo quod mente & conscientia

2. Tim. 3

Esa. 26

Eccl. 5

Psal. 17

(ut inquit

(ut inquit Esaias) occæcati sint, & amarũ dulce, lucemq; tenebras arbitrentur. Vtinam adsit aliquis ex nostro genere Christianus qui istos pudefaciat, & magna uoce pronunciet: Melius est confidere in Dominum, q; intendere istorum stultiloquijs. Domini enim uerba uitam æternã habent: quæ autem ab istis proferuntur, dolis & sanguine plena sunt. Et hæc quidem satis magna sunt, quæ eorum insaniam subruant, & declarent eos nihil aliud studere, q; id solum, ut conuitijs & blasphemijs debacchentur. Sed quia semel bellum ausi sunt in Christum profiteri, supererat, ut etiam curiosi fierẽt. Exquirant igitur modum nostræ recessionis, & rescisc ant à suis: Ariani enim se militibus in cursu illo & eruptione adiunxerunt, ut eos ad sæuitiẽ inflammarent, nosq; ijs latentes proderent. Qui si tum omni affectu cõmiserationis caruerunt, saltẽ nunc auditis suis sceleribus, pudefacti cõquiescant. Nox erat, multiq; ex populo ad proximam synaxim in orationibus peruigilabant, quũ dux exercitus Syrianus ingessit se pluribus q; quinq; millibus, quorum alij arma, alij strictos enses gestabãt, alij arcus, iacula, fustes, quemadmodum prius dictum est, & Ecclesiam, militibus prope inter se consertis manibus, ne quispiam inde exiret, aut elaberetur, cinxit. Ego aũt, quum in tanta tribulatione populos deserere absurdum putarem, & rectius esse, ut pro alijs pericula susciperem, manebam sedens in cathedra mea, Diacono iusso, ut Psalmum recitaret: Quoniam in seculum misericordia eius: & post recitationem quisq; domum abiret. Vbi quum dux istarum cohortium, ui in templum irrupisset, milites q; sacrarium ad me intercipiendũ obsiderent, quotquot ex clero populo ue residui erant, clamitare, obsecrare, ut me subducerem: ego contra, nisi omnibus ad unum digressis, me recessurum pernegabam, quapropter relicta cathedra, iniunctis q; precibus obsecrabam, ut abitum maturarent: melius enim esse, si ipse in periculum uenirem, quàm si quispiam illorum acciperet. Digressis igitur pleriq;, cæteris q; eos subsequentibus, monachi mei & nonnulli ex clericis inter abeundum me secum abstraxerunt. Atq; ita testor ueritatem, per milites quorum alij Sacrarium cingebant, alij per templũ oberrabant, inoffense transiuimus, Domino duce & protectore, nihilq; ipsis sentientibus elapsi sumus: Deum interim magnifice glorificantes, quòd neq; populum prodidissemus, & quòd ijs prius sine noxa dimissis, quærentium manus effugissemus. Quum igitur diuina prouidentia nos ita mirabiliter ex hoc periculo eripuerit, quis mihi id iure uitio uertendum putet, quòd non ultra me in manus quærentiũ reiecerim, aut remenso itinere me eorũ oculis ingesserim? Id enim esset plane se ingratum Deo præstare, & præter eius mandatum agere, & cum actis Sanctorũ pugnare. Aut si quis est, qui in hoc culpam consistere putet, audeat ille eadem opera, etiam magnũ apostolum Petrũ incusare, quòd conclusus & custoditus militari manu, secutus sit Angelum, & post egressionem è carcere, & liberationem, non redierit ad uincula sua, ac sese tradiderit, sine omni cura consideratione q; scelerum Herodis. Crimini det Manes ille Arianus, q; Paulus de muro demissus, & ita elapsus, non mutarit consiliũ: & regressus, aduersarijs sui potestatem fecerit. Sed neq; Moses reuersus est à Madianitis in Aegyptũ, ut apprehenderetur ab ijs, qui ipsum quærebant. Neq; item

Esa. 5

Psal. 105

Act. 9

Dauid in ſpelunca ſe exhibuit Sauli, neq; filij Prophetarum ingeſſerunt ſe Achabi. Id enim erat facere contra Dei præceptum, quum in Scripturis habeatur: Non tentabis Dominum Deum. Id quũ & ego uererer, ut qui hæc è Scripturis didiceram, ad iſtum modum me inſtitui, neq; gratiam Domini erga me, eiuſq; auxilium negligendum putaui, etiam ſi ob id aduerſum nos dentibus frendant. Hic igitur modus meæ receſsionis fuit, in quo exiſtimo nullam omnino culpam eſſe, apud eos ſaltem quibus eſt ſana mens: quũ ſciant à Sanctis huiuſmodi formam ad inſtitutionem noſtri traditam eſſe. Verum iſti ut apparet, nullum audaciæ genus, quantũcunq; illicitum, intactum inauſumq; relinquunt, nihilq; eorum omittent, in quibus malitiã ſuã oſtendere poſſunt, ut uita eorum cum ſententijs uerbisq; probe congruat. Neq; ſi ipſis ſua tanta taliaq; facinora obieceris, pudefiunt. Leontius enim accuſatus de cõmercio cuiuſdam iuuenculæ mulieris, iuſſuſq; proinde ab Euſtotio, ut ab eius cõtubernio abſtineret, ſe ipſum caſtrandum dedit, quo ita libere eius commercio uti poſſet: neq; tamen uel ita ſuſpicionem abluere potuit, quo minus cum presbyter eſſet, deponeretur. Narciſſus uero præter alia multa uitia, quibus inquinatiſsimus eſt, iam tertio ab ordine ſuo reiectus eſt. Et qui inter eos facile teterrimus eſt, Georgius, & ipſe quoq; presbyter à ſuo ordine ſummotus fuit, nec profuit ei quòd ſe Epiſcopum nominarat, quo minus Sardicæ in magno concilio deponeretur. Habet ille & hoc in uitijs ſuis auctarium, q; quum nepotanter uiuat, nec diſsimulare queat, etiã apud ſuos infamia laboret. Singuli igitur ſingulis uitijs excellunt, una tamẽ omnibus in genere & communis macula eſt, quòd pro hæreſi ſua, belloq; in Chriſtum, non Chriſtiani amplius, ſed Ariani appellentur. Quum igitur hoc ſint animo & profeſsione, & innumeris teterrimisq; uitijs ſcateãt, quid miri eſt, aut inexpectati, ſi eos, qui in eorum ſententiam non concedunt, neque Arianam hæreſim plauſibus proſequuntur, ad necem quærant? & ubi necauerint, de facto gaudeant: fruſtrati autem uotis ſuis tumultuentur, æſtuent, doleant, adeo ut ipſi putent ſe iniuriam accepiſſe, quòd in iniurijs inferendis non ſatis polleant: contrà qui eorum perſecutionibus appetiti fuere, Deo gratias agant, & multa cum fiducia loquantur, ea præſertim quæ

Pſal. 6 ſunt in ſexto Pſalmo, Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quẽ timebo?

Ibidem Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? quum appropinquarent aduerſum me nocentes, ut ederent carnes meas, tribulatores mei, & inimici

Ibidem mei infirmati ſunt, & eciderunt. Si conſtituantur aduerſus me caſtra, non ti-

Ibidem mebit cor meum, Si inſurgat aduerſus me prælium, in inexpugnabili dextra

Pſal. 30 Dei ſperabo. Atq; itidem in trigeſimo Pſalmo, Seruaſti ex neceſsitatibus animam meam, poſuiſti in loco ſpacioſo pedes meos, in Chriſto le-

Ibidem ſu Domino noſtro, per quem Patri in Spiritu Sancto, gloria & imperium in ſecula ſeculorum.

ATHANASII

ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE,

AD VBIQVE ORTHODOXOS, QVVM PER *Arianos persecutio fieret*,

EPISTOLA.

MALA quæ passi sumus, & intoleranda sunt, & condigne enarrari nequeunt, sed tamen ut compendiosius uim acerbitatem̃q; earum calamitatũ significẽ, historia mihi ex sacris literis recitanda uidetur. Vir Leuita iniuriã in uxore passus, uim̃q; eius indignitatis secum reputãs (mulier enim Hebræa erat, & ex stirpe Iudę) tantis̃q; contumelijs attonitus, quẽadmodũ diuina iudicũ Scriptura renũciat, uxoris corpus in partes diuisum, ad omnes tribus Israeliticas misit, ut iniuria nõ ad se solũ, sed ad omnes æque pertinere crederetur, ut̃q; uel uicem eius dolentes, uindices se pręberẽt, uel negligẽtes eius sceleris, pudore cõfunderentur. Nũcij aũt rem, ut gesta erat, denarrarunt: illi aũt qui uisu auditu̇q; id cognouissent, in hæc uerba proruperunt: Nunc̃q; tale quid, ex quo filij Israel ex Aegypto adscenderunt, accidisse. Cõcitatę igitur sunt uniuersæ tribus Israel, omnes̃q;, quasi singuli id peculiariter passi essent, in unum coiere. In summa debellati sunt, qui hoc scelus perpetrauerant: non enim ad generis coniunctionem, qui in bellum coiere, sed ad facinus respexere. Scitis istam historiã fratres, & quæcunq; ibi per̃q; diligenter à Scriptura super hoc negocio recensentur. Vltrius aũt ea excutere non est animus, præsertim quum ad eos scripturus sim, qui rem cognitam habent, & ipse ardeam p̃primum ad ea indicanda, quæ magnitudine & numero superent Leuitica ista mala. Ideo enim huius historiæ mentionẽ fecimus, ut rebus eius temporis cum præsentibus in comparationem missis, in quibus tanta & tam immanis crudelitas est, maiorem p̃ illi indignationem aduersus homines nefarios conciperetis. Siquidem acerbitates persecutionum nobis illatæ, ita præponderant, ut exigua uideatur Leuitæ calamitas, præ illis quæ nunc aduersus Ecclesiã designata sunt. Vel potius nunc̃q; quicquã tale auditum est, in orbe terrarum, nec̃q; quisquã unquam istiusmodi mala expertus est. Tunc enim una mulier iniuriam passa est, & non nisi unus Leuita erat, ad quem uis illa referebatur. Nunc aũt uniuersa Ecclesia iniuria est affecta, & sacrarium contumeliose habitum. Et q̃ magis est, pietas ab impietate persecutionem perpetitur. Tunc singulæ tribus singulis partibus mulieris uisis, attonitæ consternatæ̇q; ferebãtur. Nũc aũt totius Ecclesiæ membra diuulsa sunt. Rem ita esse, etiam ex illis cognoscetis, qui alĩ atq; alĩ in diuersas partes, ut iniurias suas exponãt, missi sunt. Obsecro igitur uos, ut ita uestros animos cõmoueat rerũ indignitas, quasi nos nõ tantummodo, sed ipsi quoq; iniuriam accepissetis, quo quisq; uti læsus, opem in cõmune cõferat, ne paulatim Ecclesiastici canones & Ecclesiæ fides corrumpatur, quæ ambo in periculum ueniũt, nisi Deus uestra opera

quàm celerrime delicta castiget, & Ecclesiam uindictæ compotem reddat. Non nupera aut nouitia res est canonũ Ecclesiasticorũ institutio, sed à primis usq; patribus per manibus tradita est, & fundata in Ecclesijs, neq; nunc tandem fides suum initium sumpsit, sed ab ipso Domino opera discipulorum in nostram usq; ætatẽ propagata est. Ne igitur ea, quæ hactenus usq; ad nostra secula in Ecclesijs obseruata sunt, his temporibus pereant, & quæ nobis concredita sunt, à nobis requirantur, agite fratres, ita animo excitemini, eumq; zelum arripite, qui bonis dispensatoribus ministeriorum Dei congruit, & non aliter sitis affecti, q; si in oculis uestris istiusmodi populatio cõmissa esset. Copiosius omnia ex tabellarijs cognoscetis, ego tamen mihi imperare non potui, quin paucis ea quoq; delinearem, quo plane uobis constaret, nullo unq; tempore, talia in Ecclesiam perpetrata esse, ex quo Sal
Mar. 16 uator noster in cœlum subuectus discipulis præcepit, Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Quæ igitur aduersum nos, & Ecclesiam cõmissa sunt, ad istum modum se habent. Solenniter nobis in pace cõuenientibus, populisq; istiusmodi cõuentu lætis, & cõministris Sacrorum secundum Deum uita cõuersationeq; per Aegyptum, Thebaida, Aphricam in melius proficientibus, mutuaq; inter se, & erga nos pace & charitate affectis: ecce ibi statim præfectus Aegypti publice literas proponit in speciem edicti, quibus declarabat Georgium Cappadocem natione, pro successore mihi datum, satellitio stipatoribusq; Comitis in cathedram introducendũ. Fama istius negocij, tũc ut in re noua, & nunc quoq; post rem peractam, perturbauit oẽs. Maior igitur ea de caussa in templa, populi defluxus, & præcipue ob id, quòd nullas querelas, nec à plebe, nec à presbyteris, nec ab Episcopis cõtra me habitas satis scirẽt, nemi nemq; nisi Arianos cum Georgio esse: ipsumq; adeo Arianũ & esse, & ab Ariano Eusebiũ missum esse cognoscerent. Scitis autẽ fratres, Eusebiũ cum suis præsides semper & socios ipsius hæreseos Arianorum fuisse, & per eos nobis perpetuo insidias esse factas, operamq; dedisse ut in Gallias exulatũ abirem. Populus igitur indignari, quæritare sæpe multumq;, tum ad iudices, tum ad uniuersam ciuitatem protestari, nullam aduersum nos querelã ab Ecclesiasticis motam esse: Arianorum hæreticorum opera, hanc insolentiam, legumq; præuaricationẽ in Ecclesiã immitti. Sed ut demus querelam aliquam aduersum me susceptam esse, meumq; nomen inter reos receptum esse, non tamẽ oportuit in mei locum Arianum, aut qui Ariana saperet, surrogari, sed secundum Ecclesiasticos canones, prout Apostolus præcepit, congregatis populis unà cum Spiritu Sancto, qui Episcopum cõstituant, publice & in præsentia clericorum Episcopum postulantium, inquisitionẽ fieri, atq; ita omnia canonice peragi: nõ aũt ad præsentiã, postulationemq; Arianorum, qui ab Ecclesia alieni sunt, quiq; Episcopale nomen nõ uerentur emere, successorem mihi dari, nundinatoremq; Episcopalis tituli, præter consensum eorũ, qui Episcopũ postulare debebant, præterquam uoluntatem cõscientiamq; omnium, qui actis adhibiti non fuere, per uim opesq; iudicum extraneorũ, in hanc dignitatem immittere. Id enim & Ecclesiasticos canones soluit, & ethnicos ad blasphemiam & suspicionẽ cogit, ut putent

rent nõ legibus,ritúq; diuino, sed nundinatiõe & potentia Episcopos constitui.Præclara igitur ista Arianica Georgij constitutio,tale sui exordiũ habuit. Illius porro introitus in Alexandriam, quàm multa nefaria perpetrauerit,quantorṹq; malorũ author extiterit, licebit uobis & ex literis nostris & ab isthuc proficiscentibus rescisci. Populis ergo grauiter ferentibus istarum rerum insolentiam,ideóq; in Ecclesijs cœtus facientibus,ne Arianorum perfidia Ecclesiæ fidei admisceretur:Philagrius iam olim in Ecclesiam, & uirgines iniurius, per id tempus præfectus Ægypti, olim transfuga nostræ religionis,Georgij conterraneus, homo nequaquã spectatis moribus, fretus magistratus sui authoritate,præsidióq; ad quiduis audendum promptus,& quia apostata,in Ecclesiam infestus,& præceps,Ethnicas tribus,Iudæośq; itẽ atq; alios proteruos homines adhortationibus, magniśq; promissis, quæ secundũ pacta pro opera præstita bene persoluit, aduersus Ecclesiam instigatos cuneatim cum gladijs & fustibus,contra populos in Ecclesias immittit.Iam quid inde euenerit, non simplicem posthac sermonem requirit,quum ea res nec satis digne explicari queat, aut sine lachrymis, & planctu,uel ex minima parte recenseri. Vbi enim apud priscos talis tragœdia? aut quid simile in bello & persecutione factum est un̄q;? Siquidem & Ecclesijs & baptisterijs flammæ iniectæ: magnus igitur luctus, eiulatus & planctus per ciuitatem. Ciues ea quæ agebantur, indigne ferre, occlamare præsidi,uim protestari,eò q; uirgines sanctæ & incõtaminatæ nudatis corporibus nefaria paterentur,ijsdeḿq; si contumacius obsisterent, periculum capitis ingereretur,monachi pedibus obtriti expirarẽt,alij fisco addicerentur, alij gladijs fustibuśq; mactarentur, alij uulneribus plagiśq; male mulctati discederent.In sacrosanctam aũt mensam (proh)quanta impietas,& facinora cõmissa? Vidisses enim eos aues & nuces pineas immolare,idola sua laudibus efferre:In Dominum nostrum Saluatorem Iesum Christum & filium uiuentis conuicia,uerboruḿq; contumelias iácere,Sacros Scripturarum libros,quos in Ecclesijs inueniebãt comburere: In sacrum baptisteriũ (proh superi)Christicidas Iudæos,& Atheos Ethnicos nulla cum reuerentia ingressos,eam uerborum factoruḿq; turpitudinem nudatis corporibus designare,ut pudendum,abominanduḿq; sit relatu. Nec defuere impij homines,æmuli acerbissimorum persecutorum,qui uirgines,cõtinenteśq; iectis manibus traherent,raptarent,& ad blasphemiam, dominí́q; abnegationem compellerẽt,eośq; qui id facere recusarent,conciderent, pedibuśq; obtererent.In hoc genere introitus sui splendidus ille & perquam egregius Georgius lætus de istis malis,simuĺq; mercedẽ, præmiáq; pro hac tam scelerata uictoria,Ethnicis,Iudæis,cæteriśq; quorũ opera ad talia usus erat,dispensans, in prædam rapinaśq; Ecclesiam dabat. Semel aut istiusmodi genere scelerum & licentia data, multa tetriora ẽq; in bello, crudeliora quàm in latrocinio cõmittebantur,quum & isti obuia diriperent,illi in cellis reposita diuiderent,magnaḿq; copiam uini aut ebiberent, aut effunderent, aut asportarent,oleuḿq; reconditum prædarentur,fores cancellośq; tanquam reiectamenta gestarent,& candelabra inibi ad parietem deponerent: cereośq; Ecclesiæ,idolis adolerent.In summa,magna ubiq; in Ecclesia depopulatio,

latio, & plurima mortis imago, non tamen ad ista impij Ariani ullo pudore cõmouebantur, quin tetriora adhuc, atrociora q; accumulauere. Vidisses enim presbyteros & Laicos in ius trahi, uirgines à cœtu suo diuulsas, ad tribunal præsidis raptari, & in carcerem conijci, alios fisco addici, alios flagellis cædi, panes sacrificiorum, ministris & uirginibus interdici. Hæc aũt sub Pascha, in sacra quadragesima acta sunt, per quod tempus ieiunijs dediti erant. Interim egregius ille Georgius arrogatis sibi moribus Caiphæ cum præside Pilato, contra pios Christi cultores debacchabatur. Certe ipso die Paraseues ingressus in quandam Ecclesiam cum duce & præside Ethnicorum populorum, intellecto hominum odio, quo illius uiolentũ introitum auersabantur, authorem cõsuasoremq; se præbuit crudelissimo præsidi, ut eadem hora trigintaquatuor uirgines, & matronæ item uiriq; ingenui publice flagellis cæderẽtur, & in uincula cõijcerẽtur, inter quos uirginẽ quandam studiosam literarum, & adhuc Psalterium manibus retinentẽ, publice flagellari iussit, ereptus uirgini à carnificibus liber, ipsa aũt post flagra in carcerem recluſa est. His aũt ad istum modum patratis, ne in reliquum quidem tẽpus ociũ egere, quippe qui in illa alia Ecclesia, in qua ego potissimũ per eos dies cõmorabar, eadem prorsus molientes, furore ipsorũ etiam in templum immisso, nihil non egere, ut ibi me interceptum de medio tollerent, nec aliter eueniſſet, nisi gratiam Christi propitiã, auxiliaremq; mihi expertus fuissem, unde ita elapsus, licuit mihi paucula ista ex innumeris mala recensere. Ego enim uidens eos ad extremam rabiem deueniſſe, mecumq; rationem iniens, quo ne uel Ecclesia noxã acciperet, aut uirgines indigna paterentur, cædesq; denuo cõmitterentur, eademq; iterum iniuria contumeliaq; in populũ incumberet, furtim me populis subduxi, memor uerbi Saluatoris nostri, Si uos persequuti fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam. Noueram enim ex ijs, quæ aduersus primam illam Ecclesiam perpetrauerant, nihil sceleris eos in istam Ecclesiam omissuros, ubi ne ipsam quidem dominicam diem sanctissimi festi, ulla in reuerentia habuere, quo minus eo ipso tẽpore, quo Dominus omnes ex mortis uinculis cõpedibusq; asseruit, homines eius Ecclesiæ in uincula conijcerent. Georgius aũt cum suis gregalibus, ueluti bello in Christum suscepto, fretus, cõfisusq; præsidis potentia, diem illam liberalem, uindicemq; seruis Christi in luctũ & mœrorem uertit. Ethnici contra, oculis animisq; malignis diem illum sanctissimũ intuentes, lætitia gestiebant. Georgius uero, credo ex mandatis Eusebij, uinculis cõpedibusq; per id tempus Christianos, ad luctum, cõplorationemq; compellebat. Hoc genere uiolentiæ Præses Ecclesias diripuit, direptasq; Georgio & furiosis Arianis tradidit. Ergo reiectitij homines, & summoti ab Ecclesia, in Ecclesiarum direptionibus sibi gratulantur: populis aũt Dei & clericis catholicæ Ecclesiæ ea necessitas inflicta est, ut cum impijs hæreticis Arianis cõmunicent, aut ab introitu Ecclesiæ abstineant. Quin & naucleris alijsq; marinas nauigationes obeuntibus, nõ exigua uis adhibita est à Georgio, dum alios opera præsidis in tormentis habet, alios uero compedibus adstringit & in carcerem conijcit, ea de causa, ut & ipsius sceleribus metuerent contradicere, & literas ab eo deferendas acciperent. Verum ne ita quidem

dem

dem contentus, quo se nostro sanguine satiaret, induxit crudelissimū præsi dem facinorum socium, ut decretum sub populi nomine aduersus me odio sissimis uerbis descriptum ad pientissimum imperatorem Constantiū mitteret, unde non solum exilium, uerumetiam mille mortes expectandas putes. Is aūt qui decretum scripsit, transfuga est nostræ religionis, quippe qui relictis Christianis, idola gentium turpiter adoret, qui aūt literis istis subscri pserūt, Ethnici sunt. Et ne multus sim in scribēdo, persecutio adest, caq; persecutio, qualis nunq; antea aduersus Ecclesiam oborta est. Nam in superioribus persecutionibus, quum quis ad fugam adigeretur, erat, ubi suas partes cum alijs coniungeret, & quum occultaretur, nō deerat Baptismatis copia. Hæc autē multa & præsens crudelitas, Babyloniorum impietatem æmulatur. Vt enim illi Danielem, ita præclarus iste Georgius, eos, qui domi orationes faciunt, ad præsidem defert, & ministros Sacrorum insensissime obseruat, adeo ut ex ista uiolentia multi destituti inopia Baptismatis, periclitentur, multiq; sine uisitatoribus ægrotent, & lamententur: acerbiorem sibi calamitatem q; morbum arbitrantes, populiq; Sacrorū ministris abactis, non ignari impietatis Arianorum, præoptant potius ita ægrotare, & periclitari, q; ut Arianorum manus capitibus suis imponi sustineant. Vt igitur Arianus est Georgius, ita & ab Arianis missus est, eumq; nemo in Episcopum postulauit, nisi soli Ariani, ac proinde uti mercenarius & externus grauia & perq; acerba in populos catholicæ Ecclesiæ, quasi alienos & non sui gregis per fidem facit. Ego aūt, quia iam pridem, quum eum Ariani ut fidum sibi in Episcopum promouebant, scripto edideram, nemini uestrūm, catholicis Episcopis ignotū esse Georgium, eumq; merito à uobis pro impietate sua excōmunicatum esse, & anathema edicto Ecclesiæ proclamatū, nec aliam esse causam cur eum Ariani pro Episcopo mittant, nisi ne denuo ex meis scriptis similia conuitia paterentur, barbara, & exotica ui in me coorti, Ecclesias in suam potestatem redegere: ut ita Arianismi suspicionē uitarent. Verum & hic quoq; magnopere frustrati sunt. Nemo enim Ecclesiasticorum hominum Georgio se adiunxit, exceptis hæreticis, cæterisq; ob crimina sua ab Ecclesia reiectis, illisq; item qui metu præsidis cōmunionē simulant. Hanc tragœdiam ille iam olim quidē cum suis meditatus est: sed nunc eius dramatis agēdi facultatem per calumnias nactus est, quibus nos apud Imperatorem accusauit. Sed enim ne ita quidem cōquiescere potuit, ut qui etiam nunc mei cædem quærat, & notis amicisq; nostris adeo se terribilem infestumq; præbet, ut nemo nō metu mortis in exilium fugiat. Verum non ideo de sceleribus eorum formidinem, sed potius indignationem & uindictæ cupidinem concipere debetis, quū hoc nouo genere scelerum aduersum nos sint usi. Si enim patiente uno mēbro cōpatiuntur & reliqua membra, & secundum beatū Paulum, flendum est cum flentibus, certe tanta Ecclesia læsa, quisq; quasi ipse læsus esset, ad uindictam se accingere debet. Cōmunis enim omnium Saluator est, qui ab illis blasphematur, & omnes quotquot sunt canones, ab ijsdem uiolantur. Si uobis in Ecclesia siue ullius querela sedentibus subito per edictum principis successor mittatur, & talia cōtra uos designarētur, an id quæso, sine indignatiōe toleraturi essetis, Rom. 13

an non

an non potius uindicandum cenſeretis? Eſt igitur æquum ueſtram indignationem commoueri, ne ſi ita res ſilentio tranſmittatur, paulatim in ſingulas Eccleſias idem malum propagetur: noſtraq; diſciplina in mercatus & nundinationes abeat. Quod igitur ad Arianos pertinet, rem uobis compertam dico. Sæpe enim eorum impietatem, publice priuatimq; damnaſtis, neq; ignari eſtis, qualis ſit Euſebius cum ſuis, & quantopere cum Arianis eandē hæreſim foueat. Quæ res in cauſa fuit, cur nobis olim inſidiatus ſit. Porro quæ per eum eiusq; ſocios deſignata ſunt, quātoq; ea ſint acerbiora uel belicis calamitatib. ideo meis ſcriptis oſtendi, ut ſtatim à rebus narratis aſſumpto zelo, rectà tenderetis ad tollendos talium ſcelerum in Eccleſiam authores. Certe fratres noſtri Romæ anno ſuperiori infenſi prioribus eorum hominum factis, quum nondum ſcelera iſta acceſſerant, pro ultione ſumenda, concilium indici celebrariq; uoluerunt, & rem perfeciſſent, niſi Euſebiā Eccleſiam turbaſſent, nosq; intercipere conati eſſent, ut libere, ſine reprehenſore in ſceleribus ſuis pergerent. Quòd ſi Epiſcopi illi Romæ tum temporis in hæreticos iras ſumpſere, quanto iuſtior grauiorq; ueſtra & ira & indignatio fuerit, quum prioribus maleficijs tantum ſcelerum addiderint? Obſecro uos igitur, ne tanta facinora leuia, aut negligenda putetis, néue inclytam Alexandrinorū Eccleſiā hæreticorū pedibus obteri conculcariq; ſinatis. Certe iſta indignitas rerū in cauſa eſt, q populi, ſacerdotesq; ſeorſum ſine ſynaxibus uiuant, taciti quidem ob uim præſidis, animo tamen, impietatem Arianorū execrantes. Si igitur aut ipſe Georgius, aut alius quiſpiam ipſius nomine ad nos ſcribat, ne recipiatis fratres illorum literas, ſed oblatas diſrumpite, eorumq; tabellarios ut impios & ſcelerum adminiſtros eijcite. Quòd ſi formulam pacificatoriā ſcribat, ne illam quoq; recipiatis: metu enim præſidis uiolentiaq; Georgij, ad has literas perferendas compulſi ſunt. Ego autē, quia ueriſimile eſt Georgij gregales de Georgio ſcripturos eſſe, meis literis uos præmonere ſtudui, ut reiecto perſonarū delectu, ſicuti Dei æmulatorib. cōgruit, ſubornatos, ſummiſſosq; ab hoc genere hominū, expellatis, qui hoc ipſo tempore in Arianorum gratiam, Iudæos, Ethnicosq; homines, ad perſecutiones, uirginum ſtupra, cædes, Eccleſiarū populationes, incendia, blaſphemias inſtigarunt. Neq; enim impius & furioſus Georgius, quòd Arianus non ſit, inficiari poterit, quum is qui literis eius ſubſcribit, pro documento in contrariū ſit. Ammon enim iſte eius ſubſcriptor, iam olim à beato Alexandro ante me Epiſcopo, ob multa mala, impietatemq; ab Eccleſia eiectus eſt. Ob hæc omnia, quæſo, reſcribite, & impios condemnate, ut ſacerdotes, qui hic ſunt, populiq; orthodoxam ueſtram religionem, zelumq; ueſtrum aduerſus malos cōſpicientes, de ueſtra gaudeant concordi fide, iſtiq; ſcelerum in Eccleſiam Authores ueſtris literis uel ſero errorē ſuum dedoceantur, & pœnitudine capiantur. Salutate eam quę apud uos eſt, fraternitatem: qui mecum ſunt fratres uos ſalutant.

Dominus autem uos ſanos, noſtriq; memores conſeruet, domini uerè deſideratiſsimi.

ATHANA-

ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE, DE SENTENTIA DIONYSII EPISCOPI ALEXANDRINI ADVERSVS ARIANOS, & QVOD FALSO EVM ARIANI SIBI ADSTIPULATOREM HAERESEOS FINGUNT,

EPISTOLA.



ERO mihi significasti de colloquio isthic cũ Christi perduellibus habito: nam antequã tua id mihi charitas scriberet, totũ negocium studiose cognouerã, interimq; dum ista nõ illibẽter audirẽ, placuit mihi summopere tui animi pietas, recte de Patribus nostris sentientis, simulq; Arianorũ uecordiam etiã in hoc negocio agnoui. Qui quũ nihil ratione cõsentaneũ, aut certi ex Scripturis Sacris in hæresi sua habeant, ac proinde improbas semper causificatiões, & callida sophismata in mediũ proferãt, nunc eò audaciæ processere, ut etiã patres nostros in calumniã uocent: minime id alienũ ab ipsorum moribus, & propriũ omnino eorũ prauitatis ingenij. Qui enim aduersus Dominũ & Christum sua studia intendũt, quid miri si beatæ memoriæ Dionysiũ Episcopum Alexandriæ adstipulatorem suffragatoremq; suæ sententiæ fingãt? eundemq; & ad cõmendationem suæ hæreseos laudibus ornant, beatumq; deprædicant, & magnis criminib. impetũt, nõ aliter q; prædones ac improbi homines, qui cũ de studijs suis male audiũt, probos, modestosq; sibi socios fingunt, falsa de alterius probitate mentientes. Si bene fidunt suæ sectæ, uerbisq; quæ loquuntur, nudam nobis suam hæresim proferant, ostendantq;, si quid pro ea defendenda, uel ex Sacris literis, uel ex aliqua humana saltẽ ratione, quæ quidem pia sit, deducere possint, aut si non possint, taceant. Nusquã em̃ quicq; inuenturi sunt, nisi quod faciat ad grauiorem ipsorum refutationem, saltem ex Scripturis Sacris: Ioanne quidem dicente, In principio erat Verbũ, ipsis aũt oblatrantibus eum non fuisse, antequã nasceretur: Dauide uero ex persona Patris ita recinente, Eructauit cor meum Verbum bonum, ipsis uicissim obgannientibus, Verbum illud duntaxat esse mentis cogitationem, & ex non entibus extitisse. Ediuerso Ioanne Euangelizante, omnia per ipsum facta esse, & sine ipso factum esse nihil. Paulo quoq; ad istum modum scribente, Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, eodemq; ita alibi loquente, Quoniam in eo cõdita sunt omnia. Quid igitur ijs supereſt fiduciæ, ac non potius quod conuicium, non merentur, dum deblaterant creaturam esse opificem omnium, & opus esse eum in quo sunt omnia condita & consistunt? ne humana quidem ulla ratio, quæ pietatem sapiat, illis ad sui defensionem relinquitur. Quis enim hominum, siue Græcus, siue Barbarus, eum quem pro Deo agnoscit, creaturam esse, aut non fuisse antequam gigneretur, dixerit? Aut quis hominum auditis eius nominis uerbis, quod solum pro Deo ueneratur, Hic est Filius meus dilectus: rursumq;, Eructauit cor meum Psal. 44 Ioan. 1 Rom. 11 Psal. 44

meum uerbum bonum, auſit dicere uerbum, quòd ex corde Dei progreſſum eſt, ex non entibus exiſtere, neq; id eſſe eius, qui loquitur partum? Aut
Ioan. 14 rurſum audiens ex eius quem Saluatorem credit, ſermone: Ego in Patre, &
Ioan. 10 Pater in me, &, Ego & Pater ſumus unum, ea dirimere conetur, quæ ille unita aſſeuerat, & ſine diuiſione conſeruauit. Illi igitur certi, quàm nihil ſit fiduciæ in ſua ſecta, ad mendacia de pijs hominibus fingenda confugiũt. Atqui magis decuit eos omniũ nudos inopesq;, & ubiq; ad interrogationes hæſitantes, quum nihil habeant quod hiſcant, ſententiã mutare & auerti à uia erroris, quàm homines ignotos ſuorum catalogo adſcribere, ne ab illis ipſis de mendacijs cõuicti, plus dedecoris referant. Verum illi ab huiuſmodi dolis nunc̃q; abſtinuerint, utpote æmuli Caiphæ, & ſociorum eius, à quibus etiam Chriſti abnegationẽ didicerunt. Siquidem illi poſt tot opera Domini unde eum conſtabat Chriſtum eſſe, Filium Dei uiuentis, poſt tot argumenta quibus cõuincebantur, nihil non præter Scripturæ intellectum, & animo ſentientes, & uerbis loquentes, non tamen uel pauliſper contra eius rationes oculos attollere auſi, ad Patriarcham Abraham ſe recipiebant, dicentes: Nos patrem Abraham habemus, quaſi ita ſtultam uerborum temeritatem occultare poſſent. Cæterum nec illis quic̃q; iſtiuſmodi uerba profuere, necq; iſtis, q; Dionyſium ſibi aſſociãt, quo in eadem culpa cum eo eſſe uideantur, profuturum eſt. Nam & illos de præuaricatione legis conuicit Dominus, dicens: Hæc Abraham non fecit: & iſtos impietatis & mendaciorum eadem ueritas conuincet, docebitq; Dionyſium Epiſcopum non fuiſſe Arianicæ ſententiæ, aut ueritatem ignoraſſe, ſed & eius temporis, & nouos iſtius ſeculi ludæos, à patre ſuo diabolo furorem iſtum Chriſto hoſtilem mutuatos eſſe. Magni certe argumenti eſt nihil eos ueri dicere, & calumnijs uirum premere, q; ille nunc̃q; ab alijs Epiſcopis de impietate conuictus eſt, neq; hæreſim propugnando ab Eccleſia ſeceſſit, ſed in ea cum pietate obdormiuit, quod̃q; eius memoria hactenus cum patribus huc uſq; celebrata eſt, & in catalogum relata: qui ſi cum iſtis eiuſdem opinionis fuiſſet, aut ſi ſcriptorum ſuorum rationem non reddidiſſet, minime dubium, quin eadem, quæ illi, paſſurus fuiſſet. Atq; iſta ſuffecerint ad plenam confutationem nouorum ludæorum, qui & Dominum noſtrum inficiantur, & patres noſtros calumniantur, omnesq; Chriſtianos decipere ſatagunt. Cæterum quia occaſionem calumniandi Epiſcopi ex quibuſdam particulis ipſius epiſtolæ ſeſe habere arbitrantur, age particulas illas inſpiciamus, ut inde eorũ uanitas appareat, & deſinant uel ſero tandem inter ſe blaſphemare Dominum, & confiteantur Ieſum uel cum militibus, cõſpecto rei naturæ teſtimonio, uerè eſſe Filium Dei, & nequaq; creaturã. Dicunt igitur in epiſtola beati Dionyſij ſcriptum haberi, Filiũ Dei opus & quiddam factitium eſſe: neq; Patri naturaliter ſuum ac proprium, ſed alienum ab illius ſubſtantia, qualis eſt uitis à natura agricolæ, aut nauis fabri: eundem̃q;, quia opus eſt quoddã conditum, non fuiſſe, ante q; fieret. Scripſiſſe Dionyſium iſtius generis epiſtolam agnoſcimus, uerum nõ hanc ſolam, ſed plurimas ab eo poſtmodum ſcriptas eſſe dicimus, quas ab iſtis quoq; legi oportuit, ut ex omnib. ſimul, non ex unica duntaxat iudiciũ de eius fide conſtitui poſſet. Non enim fabri

peritia

peritia ſolertiaq́;,qui multas triremes ædificauit ex unica naue, ſed ex omnibus ſimul dijudicari debet. Si igitur ſimpliciter,tanquã qui fidem ſuam ederet,profiterentur hanc epiſtolam, ſcripſit, eſto, accuſent eum ut uelint, non enim crimine caruerit iſtiuſmodi ſententia. Quòd ſi temporis & perſonæ ratio eum ad talia ſcribenda traxit, aliasq́; poſtmodum epiſtolas ſubdidit, quibus ſe de ſuſpicione purgat,non oportuit omiſsis cauſsis cur ita ſcribendum fuerat,homini temere odium conciliare,ne alioqui uideantur, nihil niſi dictiunculas aucupari,& ueritatem & fidem rerum, quæ ex alijs epiſtolis elucet, prætermittere. Agricola certe, qui alias atq; alias arbores aliter pro ſubiecti ſoli ratione curat,minime culpari debet,q; hãc amputet,illam inſerat,iſtã plantet,aliam rurſus euellat, ſed potius ob multiplicẽ ſolertiã in admiratione eſſe. Quapropter ſi non obiter & perfunctoriè eius uiri ſcripta legerint, indicent mihi quale argumentũ ſcopumq́; epiſtolæ ſecutus ſit, id ſi fecerint, calumniam ſuam animiq́; prauitatem in lucem proferent. Cæterũ quia iſthic tergiuerſaturi ſunt,uel inſcitia eius ſcopi,uel uerecundia,neceſſarium uidetur,ut ego illud dicam,In Pentapole ſuperioris Libyæ quidã Epiſcoporum ſententias Sabellij amplectebantur, tantumq́; eorum cõmenta inualuerant,ut uix ulterius Filius Dei in Eccleſijs prædicaretur. Re cognita,Dionyſius,ad cuius curam eæ Eccleſiæ pertinebant,legatos miſit,qui authores harum rerum ab illis prauis opinionibus retraherent. Illis autem de ſtultitia ſua remittentibus,impudentiusq́; in impietate pergẽtibus,coactus eſt ad illorum improbitatem retundendam iſtiuſmodi epiſtolam ſcribere, & humanitatem Chriſti ex Euangelijs cõmonſtrare, ut illis audacius Filiũ Dei abnegantibus,& humana eius Patri imputantibus,cõmonſtrata rei ueritate,non Patrem,ſed Filium pro nobis hominem eſſe genitum,rudibus illis & inſcitis hominibus Patrem non eſſe Filium perſuaderet, & paulatim ad ueram Filij Deitatem credendam,& Patris cognitionem euehere poſsit. Hic nimirum ſcopus eſt eius epiſtolæ, quæ ad retundendam eorum peruicaciam,qui ueritatem Fidei mutare uolebant,ſcripta eſt. Quid igitur ſimile habet Arij hæreſis & Dionyſij ſentẽtia? aut quid eſt cur Dionyſius,ut Arianus nominari debeat,in tanto inter utrunq́; diſcrimine,quum hic ſit catholicæ Eccleſiæ magiſter,ille autẽ nouæ hæreſeos inuentor, ac deprauati animi index,hæreſimq́; Thaleia effœminatis ridiculisq́; numeris,ad ſimilitudinem Ægyptij Soſatæ conſcripta in lucem promulgarit. Hic autem alijs epiſtolis conſcriptis purgata ſuſpicione,recte ſe ſentire edocuerit. Qui ſi ſecum in ſcriptis ſuis diſsidet,non debet in ea parte qua fidem nõ meretur, ad commilitium ab illis trahi. Rurſus ſi idem ſe de epiſtola ſua ad Ammonium,unde ſuſpicio nata eſt,adhibito remedio excuſarit, neq; poſt excuſationem de ſententia orthodoxa deceſsit,certum eſt eum,ea quæ ſuſpecta fuere, ex uſu rerum pro negocij conditione cõſcripſiſſe, neq; iſtiuſmodi ſcripta quæ negocijs attemperata ſunt,oportuit maligne odioſeq́; interpretari, aut ad cuiuslibet libidinem ſtudiumq́; torqueri. Medicus ſubinde ea remedia, quæ alijs inter ſe congruere non uidentur, pro ſua peritia uulneribus adhibet, non alió tamen quàm ad curationem mali reſpiciens. Probi itidem præceptoris eſt, omnia in erudiendo ad mores diſcipulorum diſpenſare, donec

eos ad profectum absolutæ eruditionis euehat. Quòd si beatum uirum ob hoc scripti genus in culpa ponunt, nulla alia re ipsis ad criminationẽ suppetente, quid facient de beatis & magnis Apostolis, quorum Petrus in Actis
Act.2 hæc uerba facit, Viri Israelitæ, audite sermones istos, Iesum Nazarenum hominem uobis à Deo uirtutibus & miraculis & signis declaratum, quæ fecit
Ibid. Deus per eum in medio uestri, quemadmodũ scitis. Hunc definito consilio & præscientia Dei, deditum per manus iniquorum, cruci affigentes sustulistis. Et rursum, In nomine Iesu Christi Nazareni à uobis crucifixi, quem Deus excitauit ex mortuis, hic corã uobis sanus consistit. Paulus uero Antiochiæ, quæ in Pisidia est, in enarranda historia de Saul amoto, & in locum eius Dauide rege suffecto, sub uerbis Patris ita loquitur, Inueni Dauidem
Act.13 Iessæ filium, uirum secundum cor meum, qui faciet uoluntates meas. Deus aũt ex huius semine excitauit Israeli secundum repromissiones Seruatorẽ. Idem rursus apud Athenienses dixit, Deus igitur temporibus amentię contemptus, in præsentia ubicꝙ omnibus pœnitentiam mandat, pro die illa in qua iudicaturus est orbem in iustitia, per uirum à se ad id muneris constitutum, atcꝙ id ita esse, fidem omnibus faciens, eò quòd illum è mortuis suscitarit: aut quid denicꝙ facient, si Stephanum illum magnum martyrem ita au-
Act.15 diant loquentem? Ecce uideo cœlos apertos, & filium hominis à dextris Dei cõsistentem. Iam nimirum ferocient, affirmabuntcꝙ (nihil enim illis inausum) etiam ipsos Apostolos cum Ario sensisse, quũ Christum hominem è Nazaret oriundũ & patibilem esse prædicent. An quia ita isti calumniantur, suspicandũ est Apostolos his uerbis utentes, Christum tantummodo hominẽ esse existimauisse, necꝙ quicquã sublimius de eo cogitasse? absit, ut hoc cuiquam in mentem ueniat, illi ut architectores periti, & dispensatores mysteriorum Dei, non sine iusta ratione, rem ita temperarunt: Iudæi enim eius temporis, partim ipsi errantes, partim ethnicos in errorem abducentes, Iesum nudum, & merum duntaxat hominem, ex semine Dauidis prodijsse credebant, eo modo quo cætera illius posteritas, necꝙ eum Deum, aut Verbum esse carnem factum opinabantur. Hac de causa beati Apostoli prudenter admodum humana Saluatoris primũ Iudæis attulere, ut eos iam Christum ueniisse ex signis miraculiscꝙ persuasos, paulatim ad credendã eius diuinitatem producerent, demonstrantes certissimis rationibus, istiusmodi opera non hominis sed Dei esse. Certe Petrus quũ diceret hominem passibilem Christum, statim adiunxit, Hic autor uitæ est. Idemcꝙ & in Euãgelio
Matth.16 fatetur, dum inquit, Tu es Christus filius Dei uiuentis: & in epistola, eum Episcopum animarum & dominum suum, & Angelorum & potestatũ pronunciat. Ita quocꝙ & Paulus, qui dicit Christum uirum ex semine Dauidis
Hebr.1 oriundum esse, in epistola ad Hebræos uocat eum splendorem gloriæ & sigillum substantiæ eius. Philippensibus uero ita scribit, Qui in forma Dei
Philip.2 existens, non rapinam arbitratus est, esse se æqualẽ Deo. Iam hæc dicta, authorem uitæ & Filium Dei, & Splendorẽ, & Sigillum, & parem esse Deo, & Dominum & Episcopum, quid aliud sibi uolunt, quàm uerbum Dei in corpore esse, per quod omnia facta sunt, eumcꝙ indiuisibilem esse à Patre, quemadmodũ splendor à luce? Idẽ igitur Dionysius ab Apostolis edoctus

fecit,

fecit,coactus ob Sabellij hæresim,quæ iam irrepserat,istiusmodi epistolam scribere,uerbaq; illis,quæ humanitus & humiliter de Seruatore sonant,ob ijcere,ut rebus humanitatis eius intersepirentur. quo minus Filium Patrem esse dicerēt, faciliorem illis uiam ad credendam Filij diuinitatem strueret in illis epistolis, ubi ex Sacris Scripturis Verbum eum esse sapientiam, uirtutem,uaporem,splendoremq; Patris esse demonstrat. Certè in scriptis suæ apologiæ propalam & ingenue piam fidem in Christū confitetur. Vt igitur Apostoli ob humana de Christo uerba homine facto culpādi nō sunt, sed potius ob doctrinam pro tempore dispensatā admirationi esse debent, ita Dionysius quoq; ob Epistolam, Euphranori & Ammonio contra Sabellium scriptā,culpandus non est. Quòd enim uerbis humilibus & exemplis usus est,id Euangelij unde illa mutuata sunt,debet,simulq; eius rei causam præbuit,Saluatoris in carnem aduentus. Nam ut Verbum est Dei, ita postmodum quoq; caro factus est. Et ut in principio Verbum erat, ita q̄q; eum uirgo in cōsummatione seculorum in utero gestauit, & homo factus est, atq; ita utraq; pars dictorum, ad unum eundemq; referuntur,eò quòd ille qui Verbum erat,caro sit factus,sed tamen quæ de illius diuinitate & incarnatione recensentur,suo peculiari & mutuo sensu constant, adeo ut qui res humanas de Verbo scribat, eius quoq; interim diuinitatem agnoscat,idemq; quum de diuinitate mentionem facit,animo cōplectatur, quæ ad illius in carnem aduentū spectent. Interim tamē unum quodq;, ut peritus & probus trapezita distinguens recta ad pietatem contendit. Quum igitur eum lachrymantem dicit, sentit Dominum hominem factum lachrymis id uoluisse ostendere,quod hominis esset, eundemq; rursus Lazarum ut Deum resuscitare cōmemorat, nunc esurire & sitire corporaliter,nunc diuinitus quinq; panibus satiare quinq; milia,& quidem corpus humanū in monumento iacuisse, sed tamen illud ipsum à uerbo uti Dei corpus excitatum fuisse. Eadem ratione docendi in epistola sua Dionysius ad Euphranorem & Ammonium usus est, quum ea quæ humanitus de Seruatore dicuntur, ob Sabelliū scriberet,qualia sunt ista, quæ humano more de eo referuntur, Ego uitis,& pater meus agricola. Quale & illud,fidelem ei,qui fecit ipsum, Ioan.15 nec non & illud: Qui creauit me, & tanto præstantior Angelis factus: nec tamen interim illud de eo in cōtrarium dictum ignorat, Ego in Patre & Pa Ioan.14 ter in me,& qui uidet me,uidet & Patrem meum. Hæc enim eum in alijs epistolis allegasse uidemus, nihilo tamen minus etiā inter eas citationes humanorū Domini meminit. Vt enim ista de eo eulogia sublimia sunt & magnifica,& Diuinitatem eius sapiunt. Qui quum in forma Dei esset, non ra- Philip.2 pinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed seipsum exinaniuit, formam serui accipiens: & diues quum esset,inops propter nos factus est,Ita rursus humiles,uilesq; sententiæ sunt,quę de aduentu eius in carnem mentionem faciunt. Ea autē de humanitate Seruatoris dicta, uel hinc sentiri animaduertiq; licet,quandoquidem agricola, quantum ad substantiam uitis pertinet, natura ab ea externus & alienigena censeri debet, palmites contrà, congeneres cum uite,indiuisimq; cohærentes,& ipsi interim eandem naturam & parem cum uite possident. Si igitur Filium eiusdem nobiscum substantiæ

esse uelitis, eandemq; naturã possidere, sit igitur eatenus alienus à substantia Patris, eo modo, quo uitis ab agricola. Sin autẽ Filius aliud est, & diuersum à nobis, nimirum uerbum, ratioq; Patris, nos contra, nil nisi terrigenæ & posteri Adæ: certum est illud dictum de uite & agricola, non referri debere ad Deitatem uerbi, sed ad eius humanitatem, quum ad istum modum
Ioan.15 Dominus sua uerba temperarit, Ego sum uitis, & uos palmites, Pater uero meus agricola est. Nos enim respectu corporis nostri domini cognati sumus ac proinde ab illo dictum est, Annunciabo nomen tuum fratribus meis. Et ut palmites ex uite sunt, eiq; consubstantiales habentur, ita & nos co-
2.Pet.1. gnata cum Domino corpora sortiti, incrementum ex eius plenitudine accipimus, eiusq; radice ad resurrectionem & salutem nitimur. Pater uero agricolæ nomen meretur, eò quòd ipse per Verbum, uitem, quæ est humanitas Saluatoris, condiderit, atq; ideo nemo ad Dominum uenire potest, nisi Pater eò illum traxerit. Cum igitur iste sit huius sententiæ intellectus, oportunissime ea de hac uite scribuntur, fidelem eum fuisse illi, qui ipsum fecerat, & tanto præstantiorem Angelis factum: necnon & illud, Dominus creauit me. Quo em̃ tempore illud acceperat, quod pro nobis oblaturus erat, corpus scilicet suum sacrosanctum ex Maria uirgine natum, eo nimirum tempore de illo scriptum oportuit, ipsum conditum & creatũ fuisse, siquidem huiusmodi dicta hominibus congruunt, & attemperata sunt, neq; post corpus assumptum Angelis præstantior factus est, ne antea minor illis aut par fuisse uideatur: ac proinde Paulus in epistola ad Hebræos, eius humanũ ministerium, cum Mosis ministerio in comparationẽ mittens, ad istum modũ
Hebr.8 locutus est, tanto præstantior Angelis factus, quũ certum sit, per Angelos
Ioan.1 legem promulgatam, quam Moses induxit: gratiam autem per Iesum Chri-
Ibid. stum Patre suppeditante donatã esse. Atqui ne tunc quidem lex à Dan usq; ad Bersabeam prorogata fuit, quum iam in omnẽ terram exierit sonus eorum, & gentes Christum adorent, & per eum patrem cognoscant. Eo modo scilicet & non alio illa ipsa de Saluatore scripta sunt. Quid ergo, num quemadmodũ Christi perduelles iactitant, Dionysius humana de Filio scribens, quodq; creatus esset recensens, eum hominẽ arbitratus est? aut quum diceret Verbum non esse proprium substantiæ Patris, existimauit illud unius nobiscum substantiæ esse? Certe in alijs epistolis ita non scripsit, ubi & recte sentire intelligitur, aciure his uerbis contra hæreticos occlamauerit: Non sum uobiscum eiusdem opinionis ô Christi rebelles, neq; nostra scripta Ario occasionẽ dedere suæ impietatis. In scriptis ad Euphranorem & Ammonium propter Sabellianos mentionem de agricola & uite feci, alijsq; istiusmodi generis exemplis, ut humanis Domini ob oculos positis, persuaderem ijs ut absisterent dicere, Patrem esse hominem factum. Vt em̃ agricola in uite non est, ita non pater, sed Verbũ in carne fuit, & quia Verbum in uite erat, ob corporalem cum palmitibus, hoc est, nobiscum cognationem, uitis nominatus est. Hoc quidem animo ad Ammoniũ & Euphranorem scripsi, aduersus uestram aũt improbitatem alias meas epistolas oppono, ut agnoscant sapientes meam inibi defensionem, & rectam fidei in Christo sententiam. Oportuit igitur Arianos, si modo habeant sanam men-

tem,

tem, istiusmodi cogitare & sentire de Episcopo: omnia enim clara sunt intelligentibus,& recta scientiam inuenientibus. Postq̃ autem non percepta fide catholicæ Ecclesiæ,delapsi sunt ad impietatem, animo mentecq̃ occæcati,arbitrantur ea quę recta sunt,praua: & lucem tenebras:& tenebras lucem esse:necessum est,ut alia ex epistolis Dionysij adhibeamus,&causam earum rerum,ad maiorem hæreticorum confutationem subiiciamus. Ea enim res nos induxit,ut ita de uiro illo & sentiamus & scribendum putemus.

CAVSA CVR ALIAS EPISTOLAS SCRIPSERIT, HAEC EST.

QVVM igitur Dionysius Episcopus certior factus de Pentapolitanis,zelo religionis epistolam hanc, quemadmodũ dixi,contra hæresim Sabellij ad Ammoniũ & Euphranorem scripsisset, quidam ex Ecclesia recte quidem sentiẽtes,sed tamẽ ignari eius causæ,cur ita ab eo scriptum esset,Romam adscenderunt,ibiq̃ eum apud Dionysium eiusdem nominis Romanum Præsulem accusauerunt: re comperta Alexandrinus,simul & contra Sabellij sectatores,& Arij dogmata, propter quæ ab Ecclesia eiectus fuit,uolumen composuit, ubi æquales, sed tamen contrarias hæreses esse docet in Sabellij dogmatis,& blasphemijs eorũ,qui dicunt Dei Verbum opus aut creaturam esse, postulauitq̃ à Romano præsule ut obiecta sibi indicarent, quibus acceptis opus edidit sub nomine elenchi & apologiæ,ubi sceleratam officinam Christi rebelliũ redarguit,& quo pacto hanc infamiã contra ipsum excitarint,demonstrat. Porro ex Dionysij Romani Episcopi uoluminibus contra eos qui Filium Dei opus aut creaturam asseuerant scriptis,clare ostenditur hæresim Christo rebellium Arianorum non iam primum,sed olim ab omnibus damnatam fuisse. Quòd aũt ad præsulem Alexandrinum Dionysium attinet, ex apologia eius satis apparet,eum non illius sententiæ, cuius isti dicunt, fuisse, aut quicq̃ prauarum opinionum Arij recepisse:imo, potius scripta illius efficaciter demonstrant,calumnias esse, quibus uulgo impetitus sit. Non enim rixandi animo,sed sui purgandi apologiam scripsit. Certe qui suam innocentiam purgat,quid aliud facit quàm quòd crimen diluit, & Arianos sycophantas ostendit? Cæterum ut ea ipsa innocentissimi uiri apologia grauius confundantur,appareatq̃ & ipsos malitiosos, Dionysium uero liberum ab eorum erroribus, operam dabo, ut ipsius uerba in medium proponantur. Principio epistolæ suæ,nomen refutationis & excusationis inditum uoluit,ut intelligas eum & mentientes refellere, & sese de suis scriptis excusare, nec eadem mente,qua Arius eum suspicatur scripsisse, sed in recensendo dicta quæ humanitatem Saluatoris sapiunt, non ignorasse Christum Verbũ & Sapientiam esse,minimeq̃ à Patre diuisum. Et quod magis est, conqueritur de obtrectatoribus suis,quòd non integre ipsius scripta, sed trũcatim adducãt,neq̃ bona cõscientia, aut synceriter, sed pro libidine rem tractent, illosq̃ similes pronunciat beati Apostoli obtrectatoribus. Ista nimirum ex postulatio eum ab omni suspicione liberat. Si enim Pauli calũniatores suis

calumniatoribus pares arbitratur, nihil aliud præ se fert, quàm se pro Pauli opinione sua conscripsisse. Certe ad singula accusatorum uerba occurrens, omnibus quæ ab illis proferuntur, remedium apponit, & Sabellium subruit, unde satis liquere uidetur, ꝙ fuerit religiosæ fidei. Vide mihi igitur, quid ad hanc calumniam responderit, qua dicunt eum sensisse Deum non usque quaqꝫ patrem, nec filium usquequaqꝫ dum nondum genitus esset, filium fuisse, sed intercesisse tempus, quum ille nondum esset: neqꝫ enim eum æternum fuisse, sed postmodum extitisse. Sed nos maxima parte uerborum ob prolixitatem omissa dum uel in disputando rem examinat, aut ratiocinando colligit aut per sciscitandi instantias redarguit, sola ea quæ faciunt ad illius excusationẽ in mediũ proferamus. Sunt aũt ea quæ in primo uolumine Elenchi & Apologiæ post cætera scripta reperias. Nunc̃ꝫ fuit, quando Deus non erat Pater, & in sequentibus agnoscit semper Christum Verbũ & Sapientiã & Virtutem fuisse: nihil enim horum, quum Deus existeret, factum esse, neqꝫ posterius Filiũ genuisse, Filiumq́ꝫ nõ ex se, sed ex Patre essentiam nactũ esse, & paulo post ita de eodem dicit: Iam quia splẽdor est æternæ lucis, omnibus modis ipse quoqꝫ æternus est. Luce enim semper existente certum est & splendorem semper existere, eo enim ipso lucem esse, quòd splendeat, intelligitur: non enim fieri potest, ut lux non luceat. Rursus ad cõparationes exemplorũ redeamus. Si sol est, est & splendor & dies, ꝙ si horum nihil est, magnopere abest, ut sol possit dici adesse. Quòd si sol æternus esset, indesinenter & dies esset, nunc aũt non est, incipiente igitur sole, incipit & dies, & desinente desinit. Deus autẽ æterna lux est, nec incipiens unc̃ꝫ nec desinẽs. Igitur æternus cohæret illi & cõiunctus est splendor qui sine principio genitus semper, ab eodem promicat, hoc est, sapientia, cuius hæc sunt uerba: Ego eram cui gratulabatur, quotidie aũt per omne tempus gestiebam coram eo. Atqꝫ iterum Dionysius paulo post ista de eodem loquitur, Existente igitur æterno Patre, existit & æternus Filius, lumen de lumine: nam si Pater est, necessario & Filius est: si enim nullus Filius genitus est, quomodo ipse Pater, aut cuius tandem pater fuerit? Atqui ambo sunt, & ab æterno sunt: deinde hæc addit, Si Deũ lucẽ uoces, Filium splendorem esse dices: si Spiritum (siquidem Deus Spiritus quoqꝫ dicitur) Filium uaporem appellabis. Est enim (ut inquit ille) uapor potẽtiæ Dei. Et mox hæc à Dionysio inferuntur, Solus Filius cũ Patre semper coexistit, plenusq́ꝫ existentis est, & ipse ex Patre existit. Hæc si ambigue dicta fuissent, haberent interpretatione opus, nunc quia euidenter dicta sunt, & subinde ab eo repetita, est, cur Arius dentibus strideat, quum suam hæresim à Dionysio subrui uideat, eumq́ꝫ sibi, quod minime cupit, inclamantem audiat, semper Deus Pater erat, & Filius non aliquo leui modo æternus censendus est, sed eo modo, quo Pater æternus est, & ipse quoqꝫ æternus est, & pariter cum eo coexistit, ut splendor cum lumine. Illi uero uel sola duntaxat suspicione ducti, ꝙ putarent Dionysium Arianicè sentire, hanc famosam calumniam de eo sparserunt. Sed quid cõmunionis inter se habẽt utriusqꝫ sententiæ, quũ Arius dicat, Erat, quando non erat Filius, & priusq́ꝫ gigneretur, erat quando non erat. Dionysius contra Deum æternam lucem, nunc̃ꝫ inchoatam,

& nunc̃ꝫ

& nunq̃ desinentem,ac proinde eum æternaliter cum Deo esse, eiusq̃ indissociabilem splendorem, sine principio, semper genitum & è Patre promicantem referat. Porro de altera suspicione, qua eum in crimen uocabant, q̃ Patrẽ nominasset,& nõ ibidẽ nominasset Filiũ, rursumq̃ q̃ in mentione Filij nomẽ Patris reticuisset,ac proinde eũ disiũgere,elõgare,ac diuidere Filiũ à Patre,redditis rationib.falsum ostendit,idq̃ in secundo uolumine,ubi hæc uerba refert:Singula illa nomina, de quib.locutus sum ,insegregabilia à se inuicem sunt,nec diuidi queunt,Patrem quũ dico, etiã sine mentione Filij,Filium sub Patris uocabulo indicatum uolui,contra, si in mentione Filij Patrem omisissem, tamen ille sub nomine Filij præintelligi debuit. Sancti Spiritus mentionem feci,sed ita ut pariter adiũgerem, undénam ille, & per quem uenerit,sed isti ignorant Patrem à Filio alienari non posse, & sub Patris uocabulo primarium cõiunctionis authorem contineri,& Filium à Patre quasi domicilio disgregatum non esse,eò quòd Patris uocabulum hanc cõmunionem indicet, & in Patris Filijq̃ manibus esse Spiritũ Sanctũ, sed ita,ut neq̃ à mittente,neq̃ à ferente segregentur. Qui fieri igitur posset, ut cum istis nominibus utar,suspectus habear,quasi ista separari,diuidiq̃ existimauerim? Idem paulo post addit,Hoc scilicet pacto unitatem, quæ indiuisibilis est,in Trinitatem dilatamus:& Trinitatem, quæ diminui non potest,in unitatem cõsummamus,& tamen scilicet accusamur, quasi qui dicamus filium unum esse ex numero rerum factarum, & nequaq̃ Patri suo consubstantialem.Idem rursus in primo libro, ubi talia dicentes coarguit: Verumtamen ego quum quædam creata, quædam facta intelligenda esse dixissem , & rerum earum ut magni operæ precij exempla obiter & in transcursu recensuissem,plantam scilicet & agricolam, nauem & nauis fabricatorem,in rebus serijs & negocio congruis moram traxi, plenius ea,quę certioris fidei erant,exponens, pluribus ad id excogitatis exemplis rem instruxi, quæ tibi in alia epistola descripsi,qua ostendo falsum esse crimen, quo mihi obijciunt,q̃ Christum Deo consubstantialem esse negassem. Nam tametsi dico me id uocabuli in Sacris literis,nec legisse, nec reperisse, uerumtamen argumenta mea,quæ postmodũ subiunxi,& ab illis tacita sunt,nónne prorsus ab hac sententia discrepant? qui & humanam sobolem pro exemplo allegaui,de qua nihil dubium,quin sit cum genitore eiusdem generis,atq̃ eo solo parentes à liberis alios esse,q̃ ipsi liberi sui non sint. Ego autem eam epistolam ob temporum calamitates proferre nequeo,q̃ si tibi ipsa uerba libens misi,multo libentius authographum misissem,missurus tamen, quandocunq̃ mihi eius copia fuerit. Bene aũt memor sum me q̃ plurimas ex cognatis rebus similitudines congessisse. Nam & plantam ibi dixi siue ex semínio,siue ex radice succrescentem,aliam quidem esse ab eo unde pullulauerit,sed tamen,ut cum eo eiusdem naturæ maneat:& fluuium à fonte profluentem,aliam formam & nomen accipere,neq̃ enim aut fontem fluuium, aut fluuium fontem dici,& ambos ita existere ut fontem quasi Patrem esse, & flumen esse aquam ex fonte dicas. Cæterum hæc & istiusmodi à me scripta quasi cæcutientes dissimulant se uidere,sententiolisq̃ inconditis, uelut saxis, eminus me lapidare conantur, ignari à rebus ignoratis, & quibus

opus

opus est tractatu, ut innotescant, non solum aliena subinde, sed & subcontraria argumenta in quæstionibus adduci. In tertio deinde libro dicit, Vita ex uita genita est, & ut flumē à fonte defluxit, & à luce inextinguibili, splendida lux accensa est. Quis igitur hæc audiens eos suspicantes Dionysium Arianicæ sententiæ esse, nō bono iure furoris insimulauerit? Ecce per hæc propalam omnem eorum hæresim rationibus ueritatis conculcat. Nam illud, Non erat, priusquā gigneretur: & erat, quando non erat, tollitur ab ipso per splendoris cōparationem, quum dicit Patrem nullo unq̄ tempore fuisse orbum. Porro illud, quòd aiunt Filium ex nō entibus extitisse, subruitur ab eo per hanc cōparationem, qua dicit Verbum quasi fluuium ex fonte, & germen ex radice, & sobolem ex parente, & lumen de lumine, & uitam ex uita esse. Diuisionem quoq̄ Arianicam, qua Verbum à Deo seiungunt, isti usmodi sermone reprehendit, indiuisibilem & indiminutam Trinitatem, in Vnitatem cōsummari. Porro, q̄ dicunt alienū Filium esse à Patris substantia prorsus subplodit, quum dicit, cōsubstantialem Patri esse Filium. merito igitur hæreticorum improbitatem stupeas, q̄ Dionysium dicentem Filium esse Patri cōsubstantialem, secum affirment eiusdem esse sententiæ, & in orbem bombis circūstrepentes, ueluti culices musitant, non recte à Synodo cōsubstantialitatē inductam esse. Si enim illis Dionysius est amicus, ne negent sententiam sui gregalis, & si recte esse dictum putant, cur se de Dionysio eandem uocem usurpante, quasi de suffragatore suæ sententiæ uendi tant? quum ille ista non obiter tractet, sed scriptis in id iam antea epistolis, tum eos qui eum notauerant, quasi Patri Filium consubstantialem esse negasset, mendacij coarguit, tum illos qui eum suspicati fuerant, quasi Verbū esse conditum dixisset, à se excutit & profligat, docens se nequaq̄, ita ut illi arbitrantur, sensisse, sed uoces illas in eum usum adhibuisse, ut ostenderet non Patrem esse, sed Filium, qui creatum, conditum & factum corpus induerit, ac proinde eum creatum, conditum, & factum esse recēseri: certe quum hæc uerba in prioribus scriptis usurpasset, Arianis longum ualere iussis, ab auditoribus suis rectam cōscientiam, animiq̄ benignitatem exigit, difficultatem uel potius incōprehensibilitatē illarum quæstionum prætendens, oratq̄ ne uerba sua, sed mentem, quum pleraq̄ ipsius uerba eò tendant, explorandam dijudicandamq̄ putent. Exempla enim de planta & agricola, ut res non magnopere utiles, se obiter & in transcursu attigisse: contra quæ grauiora erant, magisq̄ accōmoda, ibi se longiorem moram impendisse, & quæ ueriora erant, pleniore tractatu executum fuisse. Iam qui ita uerba sua moderatur, satis declarat se in ea sententia esse, uerius dici Filium ex Patre æternum, q̄ creatum, eò quòd hac uoce eius corporalitas, illa uero ipsius diuinitas significetur. Liquet certe ex istis dictis criminatores illius de negata Filij cum Patre cōsubstantialitate, non leuibus sed bonis rationibus documentisq̄ refutatos esse, quippe qui ita loquatur, tametsi meum dictum sit, quòd non inuenerim hanc uocem cōsubstantialitatis in literis Sacris, rem tamen ipsam inibi deprehendi, cognouiq̄ Filium, qui Verbum est, non alienum à Patris substātia esse. Quòd aūt idem ille non arbitretur Filium opus aut creaturam esse, quod de eo sparserunt inimici, ostenditur ex eius secun-

do uo-

do uolumine, ubi sic ait: Si quis igitur sycophantarum, eò quòd Deum omnium creatorem & opificē dixerim, arbitretur à me eum quoq; Christi creatorem dici, audiat quæso, cur de creatore loquens, eum Patrem appellarim, sub quo nomine etiam Filius, quasi eodem scripto comprehensus intelligitur. Postq; enim Patrem rerum creatorē appellaueram, subintuli, neq; Pater eorum quæ genuit, creator haberi potest, si modo eum qui genuit, Patrem uoces: amplitudinē enim huius uocabuli, Patris, in sequentibus pertractabimus. Neq; rursum creator Pater, si modo de operis authore mentionem facias, certe apud Græcos id receptum est, ut docti suorum librorum factores & opifices nominentur. Quin & Apostolus dixit, factor legis, itidem quoq; eorum quæ ex corde proficiscuntur, uirtutis aut uitij factores dicimur, prout locutus est Dominus, Expectaui ut faceret iudicium, sed fecit iniquitatem. Hæc quum audias, facile tibi in mentem uenerit, diuinum illud oraculū, Quocūq; se uertat impius, subruitur, quippe qui ne hic quidē ullam criminandi Dionysij causam habeant: clare enim docet Filium neq; creaturam, neq; rem conditam esse, atq; eo nomine cum criminatoribus expostulat, calumnijsq; illis, quibus ipsum insimulabant, quòd Deum creatorem appellasset, remedium adhibet, obijciēs calumniatoribus suis, ipsos nihil considerare, quòd prius Deum patrem nominasset, sub quo nomine Filius unà intelligi debuit. Hoc quum dicat, ostendit Filium nō esse in numero rerum factarum, neq; Deum factorem Verbi sui, sed genitorem esse. Et quia maligne obiectum erat, q; Deum dixisset factorem Christi, multiplici ratione ad se defendendum usus est: dicit ne ita quidem suum sermonē deprehendi debere: respectu enim carnis creatitiæ, quam Verbum assumpsit, Deum Christi factorem appellasse. Quòd si de Verbo quispiam hoc dictū esse suspicetur, modo benigne audiat, intelliget me nequaq; sentire Verbū creaturam esse, quum Deum eius nō conditorem, sed Patrē appellem. Nam tametsi obiter à me Deus Filij sui creator nominetur, tamē uel ita quoq; res non caruerit sua defensione: Nam Græci sapientes sese suorum uerborum, quorum parentes genitoresq; sint, factores nuncupant. Quin etiam Sacra Scriptura motuum nostrorum ex nostro corde prodeuntium, factores nos appellat, factoresq; item legis, iudicij & iustitiæ, adeo ut undecūq; appareat, magnum illum Filium, nec creaturam, nec opus esse, ac proinde se alienū esse ab Arianica prauitate. Imo ne hic quidem quispiam Arianorū male de eo sentire debet, quum dicit ita unà cum Patre Filium esse, uti ipsa nomina, quæ quum inuicem cohæreant, re tamen inter se plurimum distant, & non semper Filium cum Patre fuisse: ex quo enim genitus est Filius, ex eo Deum Patrem uocari, atq; iam inde Filium illi coadesse, sicuti in hominibus euenire solet. Cæterum reminiscaris mihi uelim superius dictorū, & uidebis Dionysij rectam fidem. Nam quum dicat, Non erat, quando non erat Deus Pater, ac rursum: Deus aūt æterna lux est, quæ nunq; incepit, nec unq; desinet, quapropter & æternus accubat illi & coadest splendor, nullo initio inchoatus, semper genitus & ex ipso promicans. Atque ideo par est, ut nemo omnium de ipso male suspicetur. Nam exempla de fonte, fluuio, de radice, de germine, & de Spiritu & uapore, pudefaciunt Christi hostes, contrarios

de illo

de illo rumuſculos ſpargentes. Quandoquidem aũt ad cætera mala ſua & hanc quoq; ſententiolam Arius ueluti ex ſterquilinio depromptã adiecit, Verbum non eſſe Patri ſuum ac propriũ, ſed alterũ eſſe Verbum in Deo: hunc autem Dominum noſtrum alienum eſſe à Patris ſubſtantia, imaginari uḿq; uerbum dici, neq; eſſe naturaliter uerum Filium Dei, ſed adoptione hoc nomen obtinuiſſe, utpote creaturam: Atq; interim quum hæc dicat, iactat uenditat́q; ſe apud ignaros, quaſi in hac ſententia Dionyſium ſuffragatorem habeat. Sed tu mihi uide q̃ hac in parte ſyncera ſit Dionyſij fides, & quomodo cum tam prauis Arij opinionibus dimicet, id́q; in primo uolumine, ubi ſcribit, Dictum eſt ſuperius fontem omnium bonorum Deũ eſſe, fluuiuḿq;, quem inde exundantem reperimus in Scripturis, Filium eſſe. Si quidem Verbũ promanationẽ mentis nominari conuenit, ideḿq; ut quaſi de hominib. loquamur, ex corde per os effunditur, diuerſáq; iam indem ẽs ea eſt, quæ ita per linguam proſilit, ab ea ratione ſiue uerbo quod in corde eſt. Hoc enim poſt alterius emiſſionem remanet, & eſt, quale antea erat: illud aũt in omnem partem fertur, atq; ita, quanq̃ alterũ ab altero diuerſum eſt, utrumq; tamen in altero ſubſiſtit, & quum duo ſint, unũ tamen habenda ſunt: Eodem modo Pater & Filius unum ſunt, & in ſe inuicem dicuntur eſſe. In ſecundo aũt uolumine ita dicit, Noſtra enim mens eructat ex ſe Ver-
Pſal. 44 bum, quemadmodũ loquutus eſt Propheta, Eructauit cor meum Verbum bonum, & utrunq; alterum ab altero ſuum proprium & diſtinctum locum poſſidet, quum hoc in corde, illud in lingua & ore cõmoretur, & motum ſuum habeat, ſed non tamen ut diſtent, ac ſeinuicem careant, neq; eſt mens irrationalis, hoc eſt, ſine Verbo & ſine Ratione, neq; Verbũ amens, hoc eſt, ſine mente, ſed mens uerbum facit, & in uerbo apparet, & uerbum mentem, quæ in ipſo conſiſtit, declarat, & mens eſt, quaſi uerbum quietum: uerbum uero, quaſi mens proſiliens, & tranſit mens in uerbum, uerbum aũt mentem in auditores inſinuat, atq; ita mens in auditorũ animis collocatur, unà cum uerbo intrans, eſt́q; mens, quia per ſe exiſtit uerbi pater, uerbum aũt ueluti filius mentis: quod, ut ante mentem extiterit, impoſſibile eſt, ita nequaq̃ ſine ea, ſed unà cum ea extitit, & ab illa progerminatũ eſt. Eodem q̃q; modo Pater maximus, & in ſolidum mens, Filium ſuum Verbum, interpretem & nuncium ſui habet. Hæc uel nunq̃ audiuit Arius, uel ſi audiuit, non intellexit homo inſcitus. Nam ſi ea intellexiſſet, non tot falſa de homine Epiſcopo finxiſſet, neq; illũ, uti & nos ſolet, conuitijs ueritatis odio inſectatus fuiſſet. Verum quia Chriſti perduellis eſt, nuſq̃ ſegnis eſt, aduerſus eos, qui quæ Chriſti ſunt, ſapiunt, perſequendos. Id enim prædictum eſt à Saluatore, Si me perſequuti ſunt, & uos perſequentur. Aut igitur agnoſcant eum proaduerſario principes iſtius impietatis, aut ſi ſibi ſuffragatorem Dionyſium uelint, ſcribant eadem, quæ ille ſcripſit, confiteantur eadem quæ ille confeſſus eſt, faciant́q; mentionem de uite & agricola, de naue & nauis fabricatore, profiteantuŕq; eadem, quæ ille profeſſus eſt, in defendenda conſubſtantialitate, & in aſſerenda Filij natura, quem ex Patris ſubſtantia genitum, æternuḿq; eſſe docuit, quum mentis & uerbi, fontis & fluuij cõparationem induceret, quo ſaltem ex ipſa uerborum diuerſitate intelligant, illa ab eo per

œcono-

œconomiam,& pro ratione temporis scripta esse, ista aũt, prout usus sacro sanctæ fidei exigebat,pronunciasse, ijsq; perlectis,tollant ea, quæ contra ipsum sensere. Quid enim habet Dionysij fides, quod uel ex tantillo finitimum sit Arij malis,quum Arius Dominum imaginarium, Dionysius contra,uerum & naturale Dei Verbum esse pronunciet: ille Verbum alienet à Patre,iste aũt indiuisibilem & proprium eum substantiæ Patris esse doceat, idq; eadem ratione, qua Verbum ex mentis substantia, fluuiusq; è fonte promanat. Qui igitur Verbum à mente diuidere & alienare, fluuium à fonte dirimere,ac fluuium alterius substantiæ esse q̃ fontem, & alienas inter se utriusq; aquas dicere ausit,& distrahere splendorem à luce, quasi alienæ naturæ & nõ ex luce prodeuntem, iungat ille quisquis est suas furias cum Ario,quum ne sensum quidem cõmunem habere uideatur. Quòd si hæc indiuisibilia esse natura agnoscit, quodq; ab ipsis nascitur ipsorum esse proprium,ne quæ Arij sunt sentiat,aut Dionysiũ calumnietur, sed potius in eo admiretur & dictionis claritatem & fidei rectitudinem. Porro aduersus illam Arij insaniam, qua dicit aliud esse in Deo Verbum, & aliud de quo locutus est Ioannes Euangelista,dum diceret,In principio erat Verbum,& a- Ioan.1
liam sapientiam esse, quæ est in Deo, & aliam de qua Apostolus mentionem facit sub his uocibus, Christus Dei Virtus, & Dei Sapientia: iterum 1.Cor.1
prodeat in certamen Dionysius, & redarguat istiusmodi prauam opinionem, ac uide quid denuo de istis opinionibus in secundo suo uolumine scribat,In principio inquit erat Verbum, sed non erat aliud uerbum,quod hoc uerbum proferret: erat enim Verbum apud Deum: sapientia est Dominus,non tamen alia sapientia erat, quæ hanc sapiẽtiam produceret, Ego inquit eram in qua oblectabatur. Veritas est Christus. Benedictus aũt ut in Scripturis habetur Deus ueritatis,quibus dictis Sabellium cum Ario subuertit,& utramq; hæresim æqualem inter se impietate ostendit. Non enim Verbum est Verbi Pater:nec opus est Patris, quod ex Patre est, sed ipsius fœtus. Rursum non est Pater Verbũ quod procedit, neq; aliquod ex multis est istud uerbum, sed unicum & solum Patris sui Filius uerus & natura genuinus,qui erat in illo & in æternum,& indiuisibiliter ex eo est: Ita Sapientia & ueritas est,Dominus,neq; est secundus ab altera Sapientia, sed solus ipse est,per quem omnia fecit Pater,& in eo multiplices rerum substantias condidit,& per eum innotescit,quibus uult,& in eo omnium rerum curam prouidentiamq; & agit & exercet. Hoc unicum Verbum Dei agnoscebat Dionysius,eaq; Dionysij fides fuit. Pauca nimirum ex epistolis illius in unum collata conscripsi,tibi quidem,ut haberes occasionẽ plura addendi,Arianis uero ad cõfusionem eius calumniæ, quam aduersus Episcopum instituerunt. Vbiq; enim in genere & seorsum in singulis scriptis stolliditatem eorum redarguit,& hæresim traducit. Quapropter epistolam ad Euphranorem & Ammonium satis apparet,alia mente, & pro ratione negocij ab eo scriptã esse. Nam id eius Apologia præ se fert, & est reuera bona persuadendi forma ad subruendum Sabellij furorem, ut qui uelint quàm citissime conuincere istiusmodi homines,non initiũ faciant, ab ijs quæ demonstrant Verbi Diuinitatem,nimirum Verbum Sapientiam,& Potentiam,&

Filium esse: Patremq; cum eo unũ esse, ne illi recte dicta praue interpretantes, inde sibi occasionẽ suppeditent improbæ suæ contentionis, quum audiant, Ego & Pater unum sumus, & qui uidet me, uidet & Patrem meũ. Sed præmittãt ea, quæ de Saluatore humanitus dicta sunt, quemadmodũ Dionysius fecit, quale est, ꝙ esurierit, quòd delassatus fuerit, quòd uitis sit, quòd precatus sit, & passus: quãto enim ista humiliora sunt dictu, tanto magis ostenditur Patrem hominẽ non esse factum. Necessum enim, quũ Dominus uitis appelletur, esse uinitorem: & quũ precetur, esse qui donet. Hæc enim longe liquidius Sabellianorũ furorem probant, ꝙ alius sit, qui precetur: alius, qui audiat: alius uitis, alius agricola. Quæcunq; enim uerba filiũ alienũ à patre ostendunt, ea de illo ob carnẽ, quam propter nos gestauit, dicta fuere. Creaturæ enim alienæ peregrinæq; sunt à natura Dei. Ideo enim quia caro ex genere eorũ est, quæ facta sint: Caro (ut inquit Ioannes) factus est. Et quanq; pro ratione naturæ suæ proprius erat filius sui patris, & ab eo indiuisus, tamen ob carnẽ Pater ab eo longinquus esse dicitur. Quę enim carnis propria sunt, ipse sustinet de se dici, ut declaretur hoc corpus nõ alterius, sed suum ipsius esse. Iam quum hic istiusmodi sit intellectus, citius refutabitur Sabellius, non Patrem, sed Patris Verbum carnem esse factũ, quod & carnẽ redemit, quam Patri obtulit. Deinde quum eum ita refutauerit, & persuaserit expeditius in posterũ de deitate Verbi, demonstrationes faciet, eum Sapientiam, Filium & Potentiã, Splendorem & Sigillum esse. Nam necesse est ut hæc denuo cogites, quum Verbum sit, esse quoq; eius uerbi Patrem: & quum Sapientia sit, esse istius sapientiæ parentem: & Splendor quũ sit, esse & lucem, atq; ita Patrem & Filium unũ esse. Cum hac igitur consideratione Dionysius scripsit, & per illa Sabellij os obturauit, ijsdemq; Arij hæresim euertit. Quemadmodũ enim humana Saluatoris Sabellium euertunt, ita ad refutandos Ariomanitas documenta non ex humanis, sed ex illis, qui Verbi Deitatem declarant, mutuanda sunt: ne illi per ea quæ de Christo ob corpus referuntur, praue interpretantes, existiment tale esse Verbũ Dei, quales nos homines sumus, ac iam inde in suo furore permaneant, qui si doceantur de Diuinitate Verbi, suummetipsi errorẽ improbabunt: faciliusq; ubi didicerint Verbum carnẽ esse factũ, discriminabunt, tum quę humana sunt, tum quæ eius diuinitati congruunt. Quũ igitur res ita se habeat, Dionysiusq; ex suis scriptis pius & religiosus appareat, quid iam in posterũ tentabunt facere Ariomanitæ, cuiúe hic conuicti mendacia sua allinent? fieri enim nequit, quin lapsi è fundamento Apostolorũ, ac proinde hallucinãtes, caduca, nutantiq; mente rixas quærant, ijsq; non inuentis, mendacia de patribus spargant. Sed nemo illis credet, etiã si summa ui calumnientur: ab omnibus enim improba sceleratáq; eorum hæresis habetur, nec est, quem suffragatorẽ allegent, nisi diabolũ, qui solus illis residuus esse possit adstipulator, uel potius ipsius hæreseos suppeditator. Quis igitur istos, quorum dux est diabolus, Christianos, ac non potius diabolicos putet, ut iam deinceps non Christo perduelles, sed etiam diabolici appellentur, nisi se immutent, & impietatem quam commenti sunt, abnegent, & ueritatem agnoscant, quod & illis utile fuerit, & nobis decorum pro omnibus errantibus exoptare.

Ioan. 10
Ioan. 14

ATHANA-

ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE, QVOD NICENA SYNODVS, ANIMADVERSA EVSEBII CALLIDITATE, CONGRUIS & PIJS VERBIS DECRETA SVA SUPER ARIANA HÆRESI EXPOSVERIT,

EPISTOLA.

RECTE à te factum est, quòd mihi tuam cum legatis disputationem declaraueris, inter quos erant tum nonnulli Eusebij sodales, tum quàm plurimi fratres Ecclesiastícæ fidei. Ego igitur ut tuam Christianam uigilantiam, eximiam impiæ hæreseos refutatricem gratam acceptamq; habeo, ita illorum impudentiam admiror, quòd rationibus Arianicis friuolis inanibusq; deprehensis, ipsiq; adeo de erroribus omnigenis, ab omnibus condemnati, etiã nunc quoq; more ludæorum obmurmurare ausint, expostulantes scilicet cur patres, qui Niceæ conuenerãt, has uoces, essentiam & consubstantialitatẽ, nusquam in Sacris literis repertas, usurparint: tu contra ut uirũ eruditũ oportuit, illos ipsos ostendisti ad istum modum cauillantes multo magis nouas & inauditas uoces in usu habere. Veruntamẽ illi, in cõminiscendis uitilitigationibus nihil alienũ à prauitate suæ indolis faciunt, neq; id mirũ, quũ tam uario sint & uersipelli animo q; Chamæleontes sunt in mutandis coloribus, quippe quibus tantisper pudor adsit, dũ refutantur: inopia hæsitationeq; respondendi, sed mox tamen resumpta audacia ad causificationes fingendas recurrant: quos si denuo cõuincas, fatiscunt illi quidẽ, uerum non diutius, q; ut denuo ea, quæ nusquã sunt, mẽdacijs fingant, & ut in Psalmis est, inania cogitent, non alia de causa, quã ut in sua hæresi perdurent. Atqui in istiusmodi conatibus, nihil æque produnt ac dementiã suam, & imitationẽ Iudaicæ prauitatis. Nam illi refutati à ueritate, neq; audentes contra eam oculos attollere, ad istas causificationes perfugiebant, Quod signũ facis, ut uideamus, & credamus tibi? & quid operaris? quum interim tot signa ederentur, ut & illi ipsi dicerent: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit: nam & mortui resuscitabantur, claudi ambulabant, cæci uisum recuperabant, leprosi mundabantur, aqua uinũ fiebat, & quinq; panibus saturabantur quinq; milia hominũ: quapropter cæteri admiratione percellebantur, ac Dominum adorabant, confitentes in eo cõpleri Prophetias, ipsumq; esse Deũ Dei Filium, Pharisæi contra, & si sole clariora signa erant, nihilominus tamen obmurmurabant, ut insciti & indociles: & Cur (inquiunt) homo cum sis, temetipsum Deum facis? stulti & prorsus animo obcæcati, quippe quos oporteret inuertere sermones, in hũc modum, Cur tu cũ Deus esses, homo factus es? nam opera eum Deum esse declarabant, ut & bonitatem Patris adorarent, eiusq; propter nos œconomiam admirarentur. Sed hoc neq; dicebant, neq; quæ fierent, inspicere uole-

Psal. 2

Ioan. 11

bant,aut si cõspicerent,quum ea ipsa eorum oculis ingererentur, sub alio tamen prætextu obtrectationes faciebant, Cur tu (inquientes) in sabbato paralyticum sanas? & cæco à natiuitate, uisum restituis? Hæc iam eorum secunda cauillatio, & nihil aliud nisi mera calumnia, quum alijs diebus Domino omnem morbum & omnem languorem sanante, æque in suis querimonijs & criminationibus persisterent,malebantq; se potius impios haberi,dum Beelzebulem operum Christi authorem uolũt, quàm repudiare suam ipsorum malitiam. Quapropter Saluatori nostro multifariam,multipliciterq; Deitatem suam demonstranti, & Patrem omnibus euangelizanti, nihilominus stultiloquijs suis ueluti in stimulos calcitrantes, calumnias faciebant,non alia de causa,q; ut (iuxta prouerbium) tergiuersationes cõminiscentes,sese separarent à ueritate.Iudæi igitur eius temporis hac prauitate animi Deum abnegãtes, merito foras à lege & promissione patrum reiecti sunt. Ariani uero nostro tempore Iudaizantes,idem mihi uidẽtur cum Caipha & pharisæis pati,qui quoniam nihil in sua hæresi consentaneum uidẽt, tergiuersationes comminiscuntur, cur hoc scilicet, & non illud potius scriptum sit.Sed id tibi admirationi esse non debet, si nunc talia machinentur, qui primum ad contumelias faciendas excurrent, postea cohortes, & Tribunos inter minas iactaturi.In istiusmodi rebus illorum conspiratio,ad errores suos defendendos consistere uidetur.Recte igitur, omni ratione destituuntur, qui Dei Verbum,Rationemq; inficiantur.Hæc quum mihi explorata essent, nihil quidem illis quæstionem mouentibus respondere uolebam : tibi uero ea quæ in concilio acta essent sciscitanti, nullam mihi moram interponẽdam putaui,quin statim uti res gesta esset,perscriberem, quo statim intelligeres quàm prorsus pio sensu hæresis Ariana destitueretur,& quàm nihil nisi cauillationes captarent. Tu autẽ uir omnium charissime dispicias uelim,num nam ita sese res habeat.Nam si malis suis inuentionibus, quibus diabolus errorem affeminauit,bene confidunt,age purgent se prius de illis criminibus,ob quæ hæretici pronunciati sunt, & tum denicq; si poterint,accusent decreta contra ipsos facta.Non enim homicidæ aut adultero post iudicium datum locus cõceditur, ut sententiam Iudicis criminetur, quòd non hac,sed illa formula concepta sit: Ea enim tergiuersatio damnatũ non liberat, sed potius damnati crimen ob eius proteruitatem audaciamq; exaggerat.Quare & isti quoq; ostendant sententiã suam piam esse, de qua in iudicio conuicti sunt,quo tempore nihil istiusmodi cõquerebantur. Æquum enim est reos nihil aliud conari,q; sui purgationem,aut si conscientiam habeant sordidatã,& se sentiant impie egisse,ne uerba damnationis culpent,alioqui duplex uitium simul,crimen scilicet impietatis,& culpam imperitiæ relaturi, sed potius in id studio incumbant, ut cognitis ijs, quorum prius ignari fuere, impias aures suas lauacro ueritatis, & pietatis dogmatibus abluant: ita enim in Nicena synodo cum Eusebio eiusq; gregalibus actum est, quum principio in hæresi sua contumaces in Deum bella pugnasq; meditarentur.Nam quæ ab illis proferebãtur, hæresis impietate scatebant.Episcopi contra, qui cõuenerant (erant aũt illi plus minus trecenti) placide & humaniter postulabant, ut suorum dictorum rationes redderẽt,

scq;

seq̃ non impios esse demonstrarent: illi autẽ uix inceperant hiscere, quum iam & improbarentur, & ipsi quoq; inter sese depugnarẽt, agnitaq; suæ hæ reseos perplexitate, muti prorsus reddebantur, ipsoq; silentio suæ opinionis uitia, flagitiaq; prodebant. Episcopi igitur sublatis Eusebianorum uocabulis istam formulam sanæ fidei conceperunt, omnibusq; subscribentibus subscripserunt & ipsi Eusebiani ijs uerbis, quæ nunc culpant. Loquor autẽ de uocabulis substantia, & cõsubstantialitate, approbantes Dei Filium nullo modo facturam aut creaturam esse, sed fœtum Verbumq; ex Patris substantia. Quodq; maioris admirationis est, Eusebius ex Cæsaria Palæstines, quum pridie abnegasset, in eandem sentẽtiam tamen postridie subscripsit, quam etiam Ecclesiæ legendam misit, dicens eam esse Ecclesiæ fidem, & Patrum traditionem, omnibusq; manifesto apparuit, eum prius & temere errasse, & frustra cõtra ueritatem pugnasse. Nam tametsi eum puduit scriptis errorẽ fateri, & ut potuit, se Ecclesiæ excusarit, in epistola tamen in qua Dei Filium cõsubstantialem, & ex substantia Patris existere non inficiatur, clare se in errore fuisse, demõstrat, miserq; prorsus in eo fuit, q; ut se purgaret, coactus sit Arianos accusare, quòd illi scriptum reliquissent, non fuisse Filium, anteq; gigneretur, indeq; ratiocinari uellẽt, eum ne ante carnis quidem natiuitatẽ extitisse. Et hoc ipsum scit Acatius, nisi & ille quoq; nunc metu temporum id dissimulandum putet, ueritatemq; inficiari uelit. Certe & is in fine subiunxit epistolam Eusebij, unde eos & Christi perduelles uideas, & in primis Acatij aduersus præceptores suos stoliditatem deprehendas. Qui igitur fieri potest, ut non scelerati habendi sint, si tanto, & tam œcumenico concilio uel cõtradicere cogitent? aut non pro legirupis existimandi, si malignis oculis non uereantur à decretis illis rite contra Arianicam hæresim factis obtrectare? quibus illorum antea in hac impietate magistri sua manu subscripserunt, licet postmodum Eusebiani mutato animo, tanq; canes ad uomitum regressi sint: uel potius quomodo non odio digni sunt, qui nunc tandem contradicunt, eosq; quos prodiderunt, duces suæ hæreseos habere uolunt: homines nimirum tales, quales Diuus Iacobus duplices corde, & instabiles in omnibus suis uijs appellat, nunquam unam, eandemq; sententiam, sed aliàs aliam fouentes, dictaq; sua nunc laude, nũc uituperio prosequuntur, ut quod iam probarint euestigio damnent. Hi sunt ut Pastor dixit, Progenies diaboli, quiq; specimen potius cauponum, quàm magistrorum præ se ferant. Est enim ibi, ut Patres tradiderũt, ueræ disciplinæ & magisterij argumentum, ubi eadem confitentur, nec à se inuicem, nec à maioribus dissentiunt. Qui igitur hoc animo non sunt, mali potius q; ueri præceptores appellari debent. Certe Ethnici, quum nec eadem profiteantur, sed inter se discrepent, ueram disciplinam non habent. Sancti contra, synceræ sunt ueritatis præcones, eò quòd inter se sententijs cõueniunt, & nullo dissidio laborant. Qui tametsi diuersis temporibus uixerint, æque tamẽ simul eodem tendunt, ut unius Dei Prophetæ, & eiusdem sermonis interpretes. Quæ enim Moses docuit, eadem ab Abrahamo obseruata sunt, quæ porro Abraham obseruauit, eadem Noe & Enoch agnouerunt, distinguentes munda & immunda, & gratiosi apud Deũ fuerũt. Abel quoq; huius rei testis ha-

Matth. 12

stis habendus est, qui ea quæ ab Adam perceperat, Deo obtulit. Adam aũt magisterio Dei instructus fuit. Idem igitur Deus, quum sub cõsummatione seculorum ueniisset ad reprobationẽ peccati, dixit: Non præceptum nouum dedi uobis, sed præceptum uetus, quod audistis ab initio, ideoq; qui eo ipso magistro usus est, apostolus Paulus in præscribenda Ecclesiasticæ uitæ forma ne diaconos quidem uoluit bilingues, nedum Episcopos esse uoluit, & Galatas obiurgans, in uniuersum simul omnia complexus est, his uerbis, Si quis uobis euangelizauerit præter hoc quod accepistis, anathema sit, quemadmodũ prædixi & rursum dico, imo si Angelus uobis è cœlo euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit. Quum igitur Apostolus ita dicat, aut isti Eusebiũ cum suis sibi non constantem, alia diuersaq; ab ijs, quæ subscriptione approbauit, dicentem, pro anathemate habeant, aut si putent eum recte subscripsisse, ne obmurmurent tanto consilio. Quòd si neq; hoc, neque illud faciant, certum est eos omni uento, & fluctu circumferri, neq; suis sed alienis sententijs duci. Quapropter qui tales sint in suis istis causificationibus, indigni sunt quibus fides habeatur. Desinant igitur ea culpare, quæ non intelligunt, aut potius quæ distinguere nequeunt. Nam prorsus, quod malum est, bonum, quodq; bonum est, malum esse pronunciant: & q̃ amarum est, dulce, & quod dulce est, amarum esse dictitant. Certe quæ reprobata sunt, & pro malis damnata, obtinere uolũt, quæ aũt recte definita sunt, calumniantur. Oportuit igitur nos, neq; ullam omnino defensionem istarum rerum instituere, aut ad uanas illorum cauillationes respondere, neq; illos contentiosius agere, sed approbare ea, quibus duces suæ hæreseos subscripserunt, quum non ignari sint reuocationẽ subscriptionis malitiosam, suspectamq; uideri. Nam quod subscripserunt, quũ illis liceret saltem aliquid pro defensione dicere, id reuera, q̃ impia sit eorũ hæresis, declarat, siquidem subscriptionẽ nõ subijssent, nisi eam hæresim damnassent, nec antea damnauerunt, quàm omnis rationis inopes præ pudore defecissent, quapropter ex reuocatione subscriptionis, nihil nisi pertinaciam impietatis defendendæ colligas. Quamobrem uti dixi, oportebat illos quiescere, uerum quandoquidẽ tam uehemẽter audaces sunt, & fortasse arbitrantur se magis q̃ illi hanc diabolicam impietatem propugnare posse: age tametsi superiori epistola ad te scripta, cumulatiore eos refutatione aggressus sim, nunc tamen denuo istos, quemadmodũ antea & illos, in singulis ipsorum uerbis profligemus. Liquebit enim æque nunc ut antea, eorum hæresim non sanam, sed dæmoniacam esse. Aiunt igitur isti, ut etiã illis placebat, magna cum temeritate. Non semper Filius, quoniam non erat Filius, priusq; existeret, quin ex non entibus, & ipse quoq; extitit, quapropter Deus non semper fuit Filio suo Pater, sed tum demum Pater factus est, ubi Filius & esse incepisset, & creatus esset: ab illo enim tempore Deus Pater nominatus est. Creatura siquidem & factura est Verbum, externum, dissimileq; Patri, quantum ad ipsius substantiam pertinet. Neq; enim Verbum naturalis & uerus Filius Patris, neq; sola & uera Sapiẽtia Patris est, sed res cõdita, & unum ex numero creaturarum, quiq; abusiue nuncupatur Verbum & Sapientia: eadem enim ratione in Deo fuit, quum cætera omnia, ac proinde

Ioan. 15

Galat. 1.

inde uerus Filius haberi non debet. Mihi aũt ante omnia libet ex iſtis ſciſcitari, quid nam ſit Filius, & cuius rei ſignificationem id nomen afferat, ut ſaltem uel ita ſuamet dicta intelligant. Nam Sacræ Scripturæ duplicem eo nomine ſignificationem innuunt: unam quidem cuius mentionem Moſes in lege facit, Si audieritis uocem Domini Dei ueſtri, ut ſeruetis præcepta eius, quæcunq; ego hodie mando uobis, ut faciatis quod bonum eſt, & acceptũ coram eo, filij eritis Domini Dei. Quemadmodũ & in Euangelio Ioannes dixit, Quotquot illum receperunt, dedit illis poteſtatem filios Dei fieri. Al- *Ioan. 1*
tera ſignificatio eſt, qua Iſaac Abrahæ filius, & Iacob Iſaaci, ac deinceps Patriarchæ filij Iacobi appellantur. Ipſi aũt ad quam (quæſo) filij ſignificationem alludentes talia de Filio Dei garriunt? Decurrent (ſatis ſcio) ad eandẽ cum Euſebio impietatem. Nam eum filium eſſe uolunt ſecundum priorem ſignificationem uocabuli, quales illi qui ex melioratione profectuq; morũ adipiſcuntur huius nominis gratiam, eaq; accepta, poteſtatem obtinent, ut filij Dei efficiantur. id enim illi dixere. Quod ſi ita eſt, nihil diuerſum à nobis habuerit Chriſtus, etiam ſi unigenitus ſit, quum ita quoq; nomen Filij prærogatiua uirtutis obtineat. Nam tametſi (ut aiunt) eò quòd prægnitum prædeſtinatumq; fuerit, eum talem euaſurũ, anticipauerit ſtatim cum exortu ſuo nomen Filij, eiusq; gloriam occupant, nihil tamen ab illis differet, qui poſt uirtutis profectum eandem appellationem cõſecuti ſunt, quoaduſq; cenſebitur eodem modo, quo illi hoc nomen accepiſſe. Siquidẽ & Adam anticipans gratiam, & ſtatim ubi natus eſſet, in paradiſo collocatus, nihil quicq; differentiæ habuit ab Enoch, qui poſt tempora natiuitatis ſuæ quum Deo placuiſſet, in paradiſum translatus eſt, neq; item quicq; diuerſum ab Apoſtolo, qui poſt facta ſua raptus eſt in paradiſum, imo ne à latrone quidem, cui ob cõfeſsionem promiſſum eſt, ipſum ſtatim in paradiſo futurum. Sed hic conuicti & refutati fortaſsis dicent, quod iam ſæpe per ſummam impudentiam dixerunt, ſe ad iſtum modum putare, Filium prærogatiuã præ alijs habere, unigenitumq; appellari, eò quòd unus ille à ſolo Deo conditus ſit: cætera uero omnia à Deo per ipſum creata ſint. Quis (quæſo) ueſtris animis nouam iſtam & ſtultam cogitationem ſubiecit, ut affirmetis Patrem ſuamet opera Filium ſolum duntaxat condidiſſe, cætera aũt non item? Impium eſt talia de Deo cogitare, maxime ſi audiant Eſaiã ita loquentem: Deus æternus, Deus qui conſtruxit ſumma terrarum, non eſuriet, nec delaſſabitur, neq; eſt inueſtigabilis prudentia eius, quin potius ipſe eſurientibus robur largitur, & per Verbum ſuũ fatigatos refocillat. Quòd ſi, poſtquam Filium condidit, cætera ut indigna quæ ſua opera creentur, contemnit, etiam illa ueſtra opinio impietate non caret. Non emẽ eſt factus in Deo, qui cum Iacob in Aegyptum deſcendit, & propter Abrahamũ caſtigat Abimelech, idq; in gratiam Saræ: cum Moſe uero, quamuis homine, ore ad os loquitur. Et in montem Sinai deſcendit, & populo latenter ſua gratia contra Amalechum auxilium præſtat. Ergo & illi mentiuntur, qui dicunt, Ipſe nos fecit, & nõ ipſi nos. Ipſe eſt, qui per Verbum ſuum omnia & magna & parua facit, neq; hac parte res creatę diſtinguẽdę ſunt, ut dicas has eſſe creaturas Patris, illas Filij: quum omnia ſint unius Dei uerbo ſuo, quaſi manu

propria utentis & in eo omnia faciẽtis. Et hoc ita esse ipse Deus declarauit,
Esa.66 dicens: Manus mea fecit hæc omnia, & Paulus hoc ipsum quod didicerat,
edocuit,quum inquit,Vnus Deus,ex quo omnia.Et unus Dominus Iesus
Rom.11 Christus per quem omnia. Ipse certe ut semper, ita & nunc quoq; imperat
soli,& exoritur:nubibus præcipit,& aliquam partem terrarũ irrigant, ubi
non irrigant, ibi fit exiccatio:& terram iubet fructus proferre,& Hieremiã
in utero format.Quòd si ista ipsemet facit,non est ambiguũ,eum ne à prin-
cipio quidem dedignatum fuisse,omnia per Verbũ suum constituere, nam
& istę quoq; partes sunt uniuersitatis. Sin aũt ideo Filius Dei duntaxat crea
tus est, quia cætera indomitam uim manus Dei in fingendo perferre nequi
uerant,ut ea à Filio, quasi succenturiato subministroq; crearentur: id enim
Asterius sacrificator idolorum scripsit, & Arius transcriptum suis tradidit,
quam sententiolam deinde cæteri quasi calamum confractum usurpant,nõ
agnoscentes stulti,quàm ea sit friuola,& nullius momenti: Si enim impossi
bile erat, ut res creandæ manum Dei ingeniti perferrent, Filiusq; eius pro
opinione eorum creatura est:quomodo ille tandem solus potuit uim diui-
næ manus,dum ipse crearetur, perferre? Iam si ut creaturæ existerent, opus
fuit mediatore,& creatura quoq; est Filius,secundũ eorum sententiã, opor
tuit etiam ante ipsum Filium,mediatorem aliquem interceſsisse,ut Filius in
rerum naturam uenire posset.Huic rursum mediatori utpote creaturæ, ali-
us mediator adhibendus fuit,ut & ipse quoq; procrearetur,quod si huice-
tiam mediatorem adhibeas,necessum erit, ut etiam illi mediatorem excogi
tes, adeo ut mediatorum series in infinitum abeat. Atq; ita dum semper re-
quiritur mediator,non poterit rerum natura in essentiam produci,eò quòd
nulla creaturarum,ut uos dicitis, indomitam ingeniti Dei manum perferre
queat.Sed hic intelligentes, quàm hoc absurdum sit, illud nouum initium
sermonis desumitis,Filium tametsi creaturam,idoneum tamen fuisse,qui ab
ingenito crearetur. Verum hoc si concedas,necessario sequitur omnes crea
turas ab ipsomet ingenito condi potuisse, quum & ipse Filius pro uestra o-
pinione æque res creata sit, ac cæteræ creaturæ, ac proinde uana ac frustra-
toria est Verbi generatio, secundum impiam & stolidam uestram senten-
tiam,quum Deus sufficiat per se ad omnia creanda,omnesq; creaturę indo
mitam omnipotentis Dei manum perferre ualeant. Verum quia satis con-
stat,quantopere animo,menteq; capti sint,age uideamus,num istud ipsorũ
impium cõmentum longe cæ reliqua,absurdius uideri debeat. Adam solus
à solo Deo per Verbum eius factus est, non tamen ideo plus eum habere,
quàm cæteros homines,aut distare à posteris eo nomine dixeris, quòd ille
quidem à solo Deo conditus sit,& configuratus,nos aũt ex ipso progeniti,
& successione generis propagati simus, quamdiu uerum erit ipsum quoq;
Adamum è terra formatum esse, & quum non esset, postmodum extitisse.
Quòd si aliquam prærogatiuam protoplasto dare libeat, eò quòd dignus
habitus sit qui manu Dei fingeretur, esto: sed ita,ut scias eam prærogatiuã
excellentiorem honorem, non differentiam naturæ adferre. Ex terra enim
factus est, quemadmodũ cæteri, manusq; illa, quæ tum Adamũ formauit,
eadem nunc quoq; omnes eius posteros format,ac cõstituit. Et hoc ita esse

ex uer-

ex uerbis Dei ad Hieremiam liquet, Anteqũ te formarem in utero, noueram te. De cæteris uero omnibus ita sermocinatus est, Mea manus fecit hæc omnia, Idemq; rursus per Esaiã ita dicit: Dominus est, qui liberauit te, & formauit te in utero, Ego Dominus cõsummans omnia, solus ego extendi cœlum, & stabiliui terram, idq; Dauid agnoscens, ita cecinit, Manus tuæ fecerunt me, & formauerunt me. Et in Esaia loquens, ita inquit: Dominus, qui formauit me ex utero seruum sibi: quibus uerbis idem significatum uides. Quapropter nihil à nobis differt, nec obstat, quòd tempore prior est, quandiu certum indubitatumq; habetur, nos omnes eadem manu Dei conditos & creatos esse. Si igitur Ariani eodem modo de Filio sentitis, quòd eadẽ ratione creatus sit & cœperit subsistere, nihil certe ei, quod quidem ad naturã attinet, eximium à cæteris rebus tribuetis, quum & ipse quoq; aliquando non fuerit, & iam sit, atq; ex uirtute Filij nomen, donumq; eius appellationis obtinuerit. Quandoquidẽ unus eorum haberi debet, pro uestra sententia, de quibus in Psalmis Spiritus loquitur, Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Quis igitur ille est, cui Deus mandauit, ut Filius crearet quum in eo opera omnia condantur? Atqui aliud Verbum nõ poteritis ostendere, præter illud quod abnegatis, nisi nouum iterum sophisma excogitetis: quin iam (inquiunt) excogitatum habemus, id uidelicet quod olim aliquando Eusebiani dixerunt, ideo Christum prærogatiuas præ alijs habere, Deiq; Filium, & unigenitum appellari, eò quòd ipse solus sit particeps Patris: cætera uero de ipso participẽt. Mire igitur sese fatigant, sua uersipellitate, dum uerba sua non aliter, q̃ colores mutant, sed proficiunt nihil: declarabitur enim eos etiam ita ueluti è terra inaniter blaterare, & in suis sententiolis quasi in cœno uolutari. Nam si nos eodem modo filij eius appellaremur, quo ipse est Filius Dei, consentaneũ quiddam illorũ figmenta possiderent. Quòd si contra, & nos quoq; eiusdẽ Dei, cuius ille, filij appellamur, certum est nos quoq; eiusdem Patris consortes esse, quum ita loquatur, Filios genui, & exaltaui. Nam si eius participes non essemus, nunq̃ gignendi uocabulo usus fuisset: quòd si ille nos genuit, nemo alius, sed ipse Pater noster habendus est: neq; differentiã addit, quòd ille plus adeptus sit, & prius sit genitus: nos aũt minus, & serius simus in lucẽ editi, quamdiu eiusdẽ Dei participes censebimur, & eiusdem Patris Filij nuncupabimur. Plus enim & minus naturæ diuersitatẽ non inferunt. Hoc etenim singulis sua uirtus cõciliat. Et hic quidem quinq; ciuitatibus, ille decem præficitur, alij sedẽt super duodecim Thronos iudicantes duodecim tribus Israel, alij audiunt, Venite benedicti Patris mei: &, Euge serue bone, & fidelis. Quum igitur illi tam male sentiant, nõ mirum est eos talem Filium imaginari, ut eius Patrem existimẽt semper fuisse, ipsum aũt non semper, sed ex non entibus in essentiã emersisse, & conditum esse, nec prius fuisse q̃ conderetur. Verum qui talis est, alius & diuersus est à uero Filio Dei. Quum igitur talia loqui fas non sit, ea enim potius Saducæorum & Samosatensis opinio est, restat igitur, ut uocabulum filij in alium intellectum interpretemur, & quemadmodum Isaac Abrahæ filius intelligitur, ita quoq; Christum Filium Dei intelligamus. Quod enim naturaliter ex aliquo nascitur, neq; aliunde adoptatur, id

Hebr. 1
Esai. 66
Esai. 44
Ibid.
Psal. 118
Esai. 46
Psal. 32
Math. 26.
Matth. 25

pro

pro filio agnoſcit natura, & eam uim ſignificationis id uocabulum præ ſe fert. Quid igitur? humanóne more generatio Filij intelligenda eſt? certe id Euſebiani præ inſcitia, ſecundum dogmata Arianorum libenter receperint: ſed dicendum eſt, neutiq; Deum ut hominem eſſe, quum homo non ſit ut Deus. Homo enim ex materia, eaq; patibili creatus eſt. Deus contra, immateriatus, incorporeus exiſtit. Nam tametſi eædem dictiones de Deo & hominib. in Sacris Scripturis habeantur, hominũ tñ perſpicaciũ eſt, ut Paulus p̃cepit, lectioni attẽdere, ut rem cũ iudicio diſcernãt, & pro natura rerũ, quæ ibi ſcribũtur, uocabula accipiãt, ſine intellectus cõfuſione, ne quæ Dei ſunt, humano more fieri intelligas, neq; in rebus humanis tanq; de diuinis cogites. Id eñ eſt uinũ aqua miſcere, & alienũ ignẽ altari inferre: ſiquidẽ & Deus & homines condere dicuntur, & Deus & homines eſſe perhibentur, eòq; hoc ipſum à Deo mutuo accipiant. Quid igitur? itáne Deus condit ut homo? aut eodem modo eſſe dicitur? Abſit: aliter enim de Deo uocabula accipimus, aliter de hominibus eadem illa interpretamur. Deus enim creat, quum euocat ea quæ non ſunt, in eſſentiam, ſine ullius rei aut ope aut opera: homines aũt primum optant, ut ſit quod tractare ſtatuunt, deinde rem ubi adepti ſunt, & ſibi ſubiectam habent, tum demum exercent, operamq; ſuam & artem in ea explicant, ſcientiamq; agendi ab eo Architecto mutuantur, qui omnia per Verbum ſuum ſiue Rationem operatur. Rurſus homines quum nequeant per ſe eſſe, certis locis continentur, & in Dei Verbo conſiſtunt. Deus aũt per ſe exiſtit, omniaq; in ſe continet, & à nullo continetur. Et in omnibus eſt ſecundum ſuam bonitatem & poteſtatem, idemq; extra omnia eſt, ſecundum ſuam propriam naturam. Quemadmodũ igitur non eadem ratione homines, qua Deus, neq; Deus, qua homines liberos creat, ita quoq; aliter ſe habet hominum, aliter filij generatio ex Patre: hominum enim progenies partes ſunt quodãmodo gignentiũ, quum ijs corporum natura non ſimplex, ſed fluxa ſit, & ex particulis coaleſcat. Effluunt enim homines quum gignunt, & uiciſsim cum aluntur, cibi potuſq; in eos influunt, ac proinde decurſu temporis multorum liberorum parentes efficiuntur. Deus contra impartilis & impartibiliter Filij ſui Pater exiſtit. Non enim effluxio eſt ab re incorporea, aut in eam ulla influxio, ut hominibus contingit, ſed quia ſimplex eſt, unius duntaxat Filij Pater eſt. Ideo enim Filius & unigenitus eſt, & ſolus duntaxat in ſinu Patris, eumq; ſolum ex ſe genitum eſſe Pater declarat, quum inquit, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complaceo. Idem ille Ratio & Verbum Patris ſui eſt, in quo eandem illam impatibilitatẽ & impartilitatẽ, quæ in Patre eſt, intelligere debemus. ſua enim hominibus ratio nec per paſsionem, nec diuiſionem naſcitur, tantum abeſt ut Dei Rationem ita natam eſſe arbitreris. Ideoq; & ipſe ſedet ad dextram Patris ut Verbum illius & Ratio. Vbi enim eſt Pater, ibi & eius Ratio, nos aũt ab eo iudicamur, ut res creatæ & infinitis modis inferiores: ille adoratur, & adorandi Dei Filius: nos contrà, adoramus eum Deum, & Dominum cõfitemur, ut creaturæ, & ab illo diuerſiſsimi. Rebus igitur ad iſtum modum cõparatis, conſideret mihi aliquis ex eo grege, eosq; confundat, queratq; ex ijs, an quod ex Deo ut propria ipſius ſoboles naſcitur, fas

ſit no-

sit nominare ex non entibus existere,an rationi hoc cõsentaneũ sit? an omnino in cogitationem alicuius uenire debeat,an ex Deo esse,pro re accidentaria Deo imputari par sit,ut tandem pro sua audacia affirment non semper fuisse Dei Filium? Cæterum in hocrursus uim humani intellectus superat & transcendit Dei generatio, quòd quum nos nostrorum liberorum temporis decursu parentes efficiamur,eò quòd antea nulli,postmodum in rerũ natura esse inceperimus:Deus uero contra,quum nunq̃ nõ fuerit,ab æterno sui Filij Pater existit. Natalium porro fides maxime in ea similitudine, quæ parentibus cum liberis est,constituitur. Verum quia nemo Filium nouit nisi Pater:neq; Patrẽ quisquã nisi Filius,ideo sancti uiri,quibus id reuelatum est à Filio, exemplum & similitudinẽ ex rebus uisibilibus nobis reliquerunt,eò quòd dixerint eum splendorem gloriæ, & formam substantiæ Patris esse,nec non quòd ita subscripserint. Quoniam apud te fons uitæ,& in lumine tuo uidebimus lumen, similéq; quiddam deprehendas ubi Verbum expostulat cum Israelitis:Dereliquistis fontem Sapientiæ: fontẽ eum nimirum,qui de se ipso dicit,Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ. Bar.2 Hier.2 Est quidem ista cõparatio tenuis,& admodum obscura, ad id quod quæritur, sed tamen istiusmodi,ut ex ea amplius quiddam, & quod supra humanam naturam sit intelligas,& unde colligas nequaq̃ parem esse cum nostra natiuitate Filij Dei generationem. Quis enim uel cogitare poterit, non fuisse aliquando Splendorem soli,ut ausit dicere nõ semper fuisse Filium, nec antea fuisse,quàm nasceretur:aut quis splendorem à sole segregabit? aut fontem affirmabit destitutũ esse uitæ perennitate, ut ausit loqui ut furiosum decet, Dominum,qui de se sermonem facit,Ego sum uita,ex nõ entibus extitisse? Ioan.14 aut alienum à Patris substantia esse,nec retrahatur à sua opinione,quum audit Filium loquentem,Qui uidit me, uidit & Patrem meum. Ibid. Quum igitur Sancti nos ita sentire uellent,hæc genera comparationũ ediderũt. Estq; absurdum,& magnopere impiũ, quum istas similitudines habeat Sacra Scriptura:nos ex alijs mutuari uelle cogitationes,intellectusq; de Domino nostro,quæ neq; scriptæ sunt, neq; citrà offensam pietatis in mentem hominis admitti possunt: quapropter desinant mihi talia dicere. Verum unde ista (quæso)didicere? ut talia de Saluatore cogitare cœperint? fortasse respondebunt. Nos legimus in Prouerbijs, Dominus creauit me initium uiarum Prouerb.8 suarum,nam & Eusebiani, cum suis tale mihi quiddã fabulari uidentur, & tu in literis tuis significasti, illos, quum iam magnis, multisq; documentis prostrati essent,dictum Salomonis ultro citroq; pro se iactitasse, quasi Filius à Salomone creatura nominetur,& in censum creaturarũ referatur, neq; id mirum, quum illud prouerbium nõ bene intelligant, quod quidẽ pium & rectum sensum habet, quẽ si ipsi percepissent, nunq; Dominum gloriæ blasphemassent. Cõmittant igitur ea quæ prius recitata fuere cum hoc prouerbio,& uidebunt quantum in illis sit differentiæ. Quis enim nõ uidet ibi istam,quæ recta & proba est,sententiam,omnia,quę creantur, & conficiuntur,aliunde quàm ex natura creatoris,autorisq; existere? Filium contrà ut superius demonstratum est,non aliunde,q̃ ex Patre generante originẽ trahere. Siquidem & homo domũ ædificare,filium aũt gignere dicitur, nemo igitur

igitur inuerso ordine sententiarum istarum dixerit, domũ & nauem ab architecto gigni, Filium uerò à genitore ædificari, & confici: aut uicissim domum esse imaginem ædificatoris, Filium contra, dissidere à Patris imagine, & specie, quin contra, filium imaginem Patris, domum uero artis esse opificium confitebitur, nisi quis animo laboret, & cõmotæ mentis sit. Sacra aũt Scriptura peritissima cuiusq; naturæ, de rebus conditis, sub Mosis persona ita loquitur, In principio creauit Deus cœlum & terram, de Filio uero non
Psal. 110 alium quempiam sed Patrem ipsum loquentem inducit, Ex utero ante luci-
Psal. 2 ferum genui te. Et rursum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ipse autem Dominus de se in Prouerbijs loquitur, Ante omnes colles gignit me. De re
Ioan. 1 bus autem creatis factisq; ita Ioannes loquitur. Omnia per eum facta sunt, de Christo aũt euangelizans dicit, Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ille nobis enarrauit: igitur si Christus est Filius, creatura certe nunq; fuerit, ne simul & ex Deo & ex alio illius substantia comparata esse intelligatur: quid ergo? in uanum ne & frustra hoc prouerbium scriptum est? tale quid enim illi ueluti muscæ, libenter obmurmurant. Non (inq;) hoc frustra, sed perq; necessario scriptum est: uox enim illa creari de Christo dicitur, sed de homine iam facto, quum id proprium sit hominis. Et rem ita se habere animaduertet, quisquis non perfunctorie Scripturã perlegerit, obseruatis temporibus, personis, usuq; Scripturarum, & quæ ita legerit, cum iudicio examinet. Tempora igitur huius dicti locũ suum, opportunitatemq; habuisse cognoscet, quum Dominus, qui semper est, in cõsummatione seculorũ, hominem seipsum fecisset, & quum esset Filius Dei, Filius hominis fieri nõ recusasset. Vsum aũt, utilitatemq; ex eo animaduertas, quòd tum, quum nostram mortem demoliri uellet, corpus sibi sumpserit ex Maria uirgine, ut illud pro omnibus in uictimam offerens, in uniuersum nos omnes reconciliaret, qui metu mortis, per omnem uitam seruituti obnoxij detinebamur. Persona quidem quæ loquitur, Saluatoris est, sed tum demum hæc eum loqui intelligendum est, quum corpus assumeret Dominus, creauit me in initio uiarum suarum ad opera sua. Vt enim Filio Dei probe conuenit perpetuo esse, & in sinu Patris esse, ita quoq; homini facto probe conueniebat ea uox, Dominus creauit me. Tunc enim de eo hoc congruenter dicitur, utpote, qui tunc quoq; & esuriebat, & sitiebat, & percunctabatur, ubi Lazarus situs esset, & passus est, & resurrexit. Quemadmodũ ergo dũ audimus eum Dominum & Deum & Lumen uerum esse, intelligimus eum ex Patre esse: Ita quoq; æquũ est, dum audimus de eo hanc uocem, Creauit me, & quòd seruus factus sit, & passus sit, ea ipsa non imputari Diuinitati, quum id minime cõueniat, sed carni admetiri, quam propter nos gestauit. Hæc enim propria sunt carnis, eaq; ipsa caro non alterius cuiuspiam est, sed Verbi Dei. Quòd si istius quoq; rei usum condiscere cupias, id quoq; reperire licebit.
Ibid. Verbum enim caro factum ideo est, ut carnem offerret pro omnibus. Atq; ita uti nos Spiritus ipsius participatu Diuinitatis cõsortes redderemur, qui alioqui hoc ipsum nunq; adepti fuissemus, nisi creatitium nostrũ istud corpus ille ipse sibi induisset. Inde enim factum est, ut nõ simpliciter homines, sed homines Dei, in Christo cœperimus appellari. Sed quemadmodũ nos

Spiritum

Spiritum Dei accipientes, nõ deperdimus propriam noſtram ſubſtantiam: ita quoq; Dominus propter nos homo factus eſt, & corpus geſtans, nihilo minus manebat Deus: non enim diminuebatur amictu corporis, ſed potius illud deificabat, & immortale reddebat. Et hæc quidem abunde ſufficiunt ad hæreſim iſtam Arianorum traducendam. Ex rationibus enim quas mihi Dominus ſuppeditauit, impietas eorum ſatis liquet. Age ergo & nos proponamus quæſtiones, & reſponſum ab ijs poſtulemus: opportunũ ſiquidem eſt, quum ipſi perplexi hæreãt, ut nos ab illis ſciſcitemur, quid ſcis? an ſi ita confuſi pudefactiq; uideant, quo malorum reciderint. Filium ergo Dei didicimus ex Sacris Scripturis, quemadmodũ prædictum eſt, eſſe Rationem ſiue Verbum, & Sapientiam Patris, quum Apoſtolus dicat, Chriſtus Dei Virtus, & Dei Sapientia. Ioannes quoq; quum dixiſſet, Verbum caro factũ eſt, ſtatim ſubintulit, Et uidimus gloriã eius, ſicuti gloriã Vnigeniti ex Patre, plenũ gratia & ueritate: ut intelligas hoc Verbum eſſe Vnigenitum Filium Dei, & in Verbo & in hac Sapientia conditum eſſe cœlum & terram: & omnia quæ in eis ſunt: & huius Sapientia fontem eſſe Deum, in Propheta Baruch didicimus, increpante Iſraelem, quòd dereliquiſſet fontem Sapientiæ. Quòd ſi iſtum abnegant & repudiant, quid aliud faciunt, q̃ quòd hoc ipſo ſe alienos à nomine Chriſtianiſmi oſtendunt, dignoſcq; qui iure peculiari uocabulo impij Chriſtiq; perduelles, quod nomen ſibijpſis impoſuerunt, uocitentur? Sin aũt cõfiteantur numinis afflatu uoces Sacræ Scripturæ pronunciatas, audeant propalam dicere, quòd iam diu clam & occultim muſitant irrationalem & inſipientem aliquando fuiſſe Deum, pergantq; deinde, ut ſunt inſani, & dicant, Erat, quando non erat: Et anteq; naſceretur, Chriſtus non fuit. Rurſusq; pro dogmate definiant: Fontem nõ ex ſe genuiſſe Sapientiã, ſed quaſi quæ ciſterna eſſet, aliunde eam accepiſſe, ut & eò quoq; impudentiæ erumpant, ut dicant ex non entibus extitiſſe Filium. Id enim Deum nequaq; fontem eſſe declarauerit, ſed ciſternam aliunde aquas accipientẽ, & titulotenus tantummodo fontẽ, non ex natura fontem appellari. Quanta igitur illud impietate ſcateat, neminem, cui uel pauxillum mentis ſit, dubitare exiſtimo. Sed tamen quia Rationem & Sapientiam, nõ niſi mera nomina Filij Dei eſſe obgrunniũt, neceſſum eſt, ut ab ijs ad iſtum modum quæras: Si iſta duntaxat nomina ſunt Filij, igitur ille diuerſus fuerit à ſignificatu horum uocabulorum. Quapropter ſi maior eſt q̃ iſta nomina, nefaria res eſt, eum, qui maior ſit, minorib. uocabulis deſignari. Sin aũt inferior eſt iſtis nominib. prorſus non abeſt in uerbis culpa, quũ excellentiori nomenclatura, quàm par eſt, appelletur. Quòd ſi progreſſu profectuq; uirtutis impleuerit menſuram nominis ſui, in eo ipſo nõ minor, q̃ in ſuperioribus impietas. Nam illum qui in Patre eſt, & in quo uiciſsim Pater eſt, & qui de ſe dicit, Ego & Pater unum ſumus: & qui uidit me, uidit & Patrem meum, illum inquam dicere aliqua re extranea maiorẽ fieri, profectusq; capere, omnẽ inſaniam furoremq; tranſcendit. Cæterũ hinc quoq; deiecti, & quemadmodũ Euſebius, inopes conſilij, perplexiq; id ſolũ prætendunt, quod & Arius in ſuis cantiunculis, & Conuiualium libro per ſpeciem ſubdubitandi fabulatur. Multa (inquiens) uerba profert Deus; quod-

1. Corinth. 1
Ioan. 1
Ibid.
Bar. 2
Ioan. 10

nam igitur ex istis uerbis Filium & Verbum unigenitum Patris esse recipiemus? stulti & quiduis potius quàm Christiani: non longe em̃ absunt dum talia de Deo fabulantur,ut Deum hominem esse suspicentur, utpote quem ita inducunt loquentem,quasi qui priora uerba posteriorib. mutet, & quasi unum ex Deo Verbum non sufficiat, quod uniuersam mundi ex uoluntate Patris creationem, curamq; & prouidentiam sustineat. Si enim Deus multa uerba loquitur,hoc ipsum in iudicio est, in omnibus eius uerbis esse quandã imbecillitatem: ac proinde singula quæq; ab eo repudiari,& aliud semper nouum requiri. Contra autem,si uno uerbo utatur ut reuera utitur, id & eius potentiam, & uerbi ex eo nati perfectitudinem declarat, & contrà sentientium impietatem coarguit. Vtinam isti uel de suis dictis ueritatẽ colligant & agnoscant.Nam si concesserint Deum non nisi semel Verbum proferre,fieri non potest,quin agnoscant, eum ita loquentem uerbi sui Patrem esse.Iam mihi uideant, quæso, quod dum nolunt concedere, unũ esse Dei Verbum,multorum uerborum Patrem Deum esse mentiantur.At illi porro,quin sit Dei Verbũ,nõ inficiantur, sed id pro Filio Dei nõ agnoscũt. Atqui ea ipsa est ueritatis ignoratio,& Sacrarum literarum imperitia.Si enim omnino Deus Pater Verbi est,cur nõ quod gignitur Filius,haberi debeat?Porro Filius Dei quisnam fuerit,nisi Verbum eius? Non enim multa uerba sunt, ne unumquodq; eorum insufficiens habeatur, sed unum uerbum,ut illud solum perfectum esse intelligatur. Et quandoquidẽ unus est Deus,necessariũ est quoq; unam esse Dei imaginem, quæ ipsius est Filius: Siquidem Filius Dei,ut ex ipsis Scripturis patet, ipse est Dei Verbũ,& Sapientia,& Imago,& Manus,& Virtus:unica enim est Dei progenies.Atq; istæ appellationes,indicia,argumentaq; sunt eius ex Patre generationis.Siue enim Filium dixeris, eo ipso naturaliter eum ex Patre declaraueris: siue eum Rationem siue Verbum Dei esse cogites, rursum eum ex illo esse sine ulla differentia cogitaueris: ita quoq; dum eum Sapientiam dicis, æque ac tantundem eum non aliunde esse, sed ex Patre & in Patre, animo intellexeris.Iam si eum Potentiam Dei,aut manum appelles,iterum denuo proprietatem substantiæ eius significaueris:quòd si eum Imaginem nomines, Filium hoc ipso eum esse indicaueris. Quid em̃ simile Deo,nisi sua ipsius Progenies? Certe quæ per Verbum facta sunt, ea quoq; per Sapientiam fundata sunt,Et quæ in Sapientia fundata sunt,ea omnia Manu Dei,& per Filium creata sunt.Atq; eius rei fidem non aliunde,quàm ex Sacris literis con-
Esai.48 discimus.Deus enim ipse per Esaiam Prophetam ita loquitur, Manus mea fundauit terram,& dextra mea firmauit cœlũ,Rursumq;:Et sub umbra manus meæ tegam te, in qua ego constitui cœlum, & fundaui terram. Dauid quoq; eius rei non ignarus, quum sciret ipsam manum esse Sapientiam, ita
Psal.105 cantauit,Omnia in Sapientia fecisti,impleta est terra creatione tua. Quem-
Prouerb.3 admodũ quoq; & Salomon id à Deo acceptũ,locutus est:Deus in Sapientia fundauit terram. Ioannes item, quem cognosceret, manum & Sapien-
Ioan.1 tiam esse Verbum, ad istum modum Euangelicè prædicauit: In principio erat Verbum,& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc in principio apud Deum erat,omnia per ipsum facta, & sine eo factum est nihil.Apo-

hil. Apostolus itidem conspiciens Manum, Sapientiam, & Verbum esse ipsum Filium Dei, Multifarie, inquit, & multis modis olim Deus, quum locutus esset Patribus nostris, in fine dierum istorum locutus est nobis in Filio, quem statuit hæredem omnium, per quem fecit & secula: & rursum, Vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per eum. Idem certū habens, Verbum, Sapientiam, & Filium esse Imaginem ipsam Patris: ita dicit in epistola ad Colossenses, Gratias agētes Deo & patri, qui idoneos nos fecit in partem sortis Sanctorum in luce, qui extraxit nos ex potestate tenebrarum, & transtulit nos in regnum Filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum, qui est Imago Dei inuisibilis, Primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in eo condita sunt omnia, tam ea quæ in cœlis sunt, q̄ ea quæ in terris sunt, siue sint Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per eum & in eo sunt condita, & ipse est ante omnia, & omnia in eo consistunt. Vt enim per Verbum, ita in illo per Imaginem ipsius condita sunt omnia. Ad istum modum si quis de Domino cogitet, nō impinget in lapidē offensionis, sed potius ad splendorem procedat, pergetq̄ in luce ueritatis. Hic enim omnino est sensus ueritatis, etiam si rumpantur isti uitilitigatores, neq; Deum reuerentes, neq; conuicti argumētis pudescentes. Eusebiani igitur ita explorati pertentatiq̄ à multis & semetipsos condemnantes, quemadmodū iam dixi, catholicorū sententijs subscripserunt, & mutatis suis opinionibus amplexi quietem recesserunt. Cæterum, quia isti in suis impietatibus ferociunt, & circa ueritatem uertigine cæcutiunt, nihilq̄ aliud studio habent, q̄ ut Synodū lædant, dicant mihi, quæso, ex quibus nam Scripturis addidicere, aut ex quonam Sanctorum audierunt uoculas istas quas sibi congesserūt: Ex non entibus, &, Non erat, priusquā gigneretur, &, Erat aliquando, quando nō erat, & (illud conuertibile) & (præexistere) & (uoluntate) quibus ludis aduersus dominum cauillantur, quum Beatus Paulus in epistola ad Hebræos dicat, per Fidem intelligimus Dei Verbo perfecta esse secula, ut ex nō apparentibus uisibilia exorirentur, sed tamen nihil est Verbo cōmune cum seculis, ipsum enim est quod ante secula præexistit, per quod & ipsa secula condita sunt. In Pastore quoq; scriptum habetur: nam & inde etiam, quanquā is liber ex canone nō sit, allegationes faciunt, Ante omnia crede, quòd unus sit Deus, qui omnia creauit & absoluit, & qui fecit ex non ente ut essent omnia, sed id rursus nihil ad Filium spectat: loquitur enim liber de omnibus per Filium creatis, à quibus ipse alius ac diuersus est: non enim licet creatorem cum rebus ab ipso creatis cōnumerare, nisi scilicet architectum eundem cum ædificijs ab ipso architectatis per deliriū dicas. Cur igitur ipsi uocabula in Scripturis non usurpata, ad impietatem excogitantes, illos accusant, qui uerba non scripta ad pietatem producunt? Impie enim agere, quocunq; modo id agas, prohibitum est, etiam si uersicoloribus uerbis, & persuasibilibus sophismatibus cultum ornatumq̄ addas: pie autē agere, fas & sanctum apud omnes habetur: etiam si quis peregrinis ad id uocibus utatur, modo pium sensum contineant, & per eas id quod animo cōcepit, pie indicare studeat. Verba igitur Christo rebellium Arianorum, terrestria inq̄ ista & humum

Hebr. 1

Ibid.

Col. 1

Heb. 11.

sapientia,ut antea,ita etiam nunc omnem præ se impietatem ferunt.Quę autem à Synodo sunt scripta & statuta contra eos, si quis diligenter excutiat, inueniet in ijs absolutissimè sensum ueritatis contineri: & causam utendii stiusmodi uocabulis recta ratione niti,si diligenter audiantur.Causa autem huiusmodi fuit,Quum Synodus in hoc esset,ut Arianorum impia uocabula tolleret,& uoces adhibere uellet,quæ sine controuersia Sacrarum literarum essent,nimirum eum Filium esse,& nequaq̃ ex non entibus esse,sed ex Deo:eumq; & Verbum esse,& Sapientiam,& nequaquã creaturam aut facturam,sed germen propriũ sui Patris: Eusebiani pro inueterata sua & prava opinione uolebant illud ex Deo esse,cõmune esse,& ad homines quoq; pertinere, neq; quicq̃ Christum eo nomine à nobis differre, eò quòd scriptũ esset: Vnus Deus ex quo omnia,& rursum,Vetera transierunt,ecce noua facta sunt omnia:omnia uerò ex Deo esse. Ibi Patres animaduersa illorũ fraude & impietatis uafricie,coacti sunt clarioribus uerbis exponere, quid sit ex Deo esse, & scribere Filium ex substantia Dei esse, ne ex Deo esse,& cõmune,& æque ad Filium & creaturas pertinere existimaretur:cætera igitur omnia creaturas dixere,excepto Verbo, quod solum ex Patre genitum esse crediderunt,& cætera quoq; ex Deo esse,uerũ non eadem ratione qua Filius.Creaturę enim ideo ex Deo esse prædicantur,ne temere & sponte extitisse uideantur, aut fortuitam habuisse generationẽ, secundũ illos, qui ex atomorum & similarium partium connexu, rerum procreationem constituunt: aut ne creaturarum author alius quàm Deus,secundum quosdã hæreticos putaretur,aut Angeli secundum alios, creatores rerum existimarentur,sed ut Deus omnia per Verbum,quum prius nõ essent,ad essentiã produxisse intelligeretur. Verbum aũt quum creatura nõ sit,uerè ex Deo & est & esse prædicandum est. Istius rei intellectus ijs uocibus cõcipitur, quibus dicitur eum ex substantia Patris esse:id enim nulli creaturarum datum.Certe quum Paulus omnia dixisset ex Deo esse,statim subintulit,Et unus dominus Iesus Christus,per quem omnia: ut omnibus ostenderet Filium esse alium à cæteris rebus à Deo creatis.Quæ enim à Deo facta sunt,per Filiũ facta sunt,nec alia de causa ita locutus est,q̃ ut Deum creationis authorem esse demonstraret,non quòd intelligi uellet,ita omnia ex Deo esse,ut filius ex Patre:Neq; enim omnia talia,qualis Filius, neq; Verbum est ex uulgo omniũm, quum sit omnium & dominus & conditor. Ideo enim sacrosancta Synodus liquidius dixit eum ex substantia Patris esse,ut alius à natura rerũ conditarum crederetur,quum solus sit reuera ex Deo, & ut nulla deinceps occasio hominibus impijs ad fraudẽ relinqueretur.Hæc igitur ratio est cur Filium ex substantia Patris scriptum esse uoluerint: Episcopis rursum affirmantibus & hoc quoq; scribi debere, eum ueram esse Potentiam & Imaginem Patris,& similem Patri,& indemutabilẽ per omnia, & inconuertibilẽ, & æternum,& indiuisum in Patre subsistere.Nunq̃ enim non erat,sed semper erat,subsistebatq; perpetuo apud Patrem, ut splendor lucis. Ista quidẽ eatenus sustinebant Eusebiani, nihil ausi contra dicere, ob probrum quod in dictis suis refutatis passi erant, sed ita tamen, ut deprehenderentur inter sese musitare,nutus conferre,oculisq; sibi inuicem applaudere, quasi illud

Heb.1

Ibid.

simile

simile esse,& in eo esse,& eius Potentiam esse,cõmunia Filio nobis,cum essent,neq; obstare quicq;, quo minus nobis ea ipsa quoq; adoptarentur, eò quòd de similitudine nostra cum Deo scriptum habeatur,hominem esse & imaginem & gloriam Dei:Quòd uero spectaret ad hanc particulam (semper) in scripturis reperiri has uoces, de hominibus, nos semper, qui uiuimus,sumus:Iam quod ad illud dictum pertineret,quo filius in eo,hoc est,in Deo esse dicitur,scriptum esse,quòd & nos in eo & uiuimus & mouemur. Itidem quoq; quòd inconuertibilis dicatur,ne id quidem ab hominibus alienum esse,quum scriptum reperiatur,Nihil nos separabit à charitate Dei. Rom.8 Porro q; Potentia Dei appelletur,& id quod cõmune esse, quum eruca & bruchus etiam potentiæ Dei appellentur,& quod plus est, magnæ potentiæ.Quin & de populo sæpe scriptum est,egressam esse omnem potentiam Domini ex Ægypto, atq; adeo etiã quasdam cœlestes potentias uirtutesq; existere. Dominus enim inquit uirtutum nobiscum, ereptor noster Deus Psal. 45 Iacob:Talia enim Asterius ab ipsis sophista nominatus scripsit, talia quoq; ante eum Arius,ut iam diximus. Cæterum Episcopi considerata illorũ hypocrisi & uafricie,prout scriptura dicit, dolus in cordibus architectantium mala, ipsi quoq; necessitate coacti sunt sententiam earum rerum ex Scripturis colligere,& quæ prius dixerant,apertioribus uerbis repetere,& scribere Filium cõsubstantialem esse Patri,ut non solum similem similitudine, sed eundem ea uoce qua ex Patre esse dicitur, significarent: atq; aliam esse Filij similitudinẽ & inconuertibilitatẽ declararent,diuersam q; ab ea,quæ in nobis est,imitationem,quam ex uirtute per obseruationem mandatorum consequimur. Siquidem corpora interim similia distare possunt, & longe à se inuicem disiungi,quales sunt liberi qui similitudine parentes referũt,quemadmodum scriptũ est de Adamo, & ex eo genito Seth, quòd fuerit illi specie similis.Cæterum quando quidẽ illa ex Patre Filij generatio, alia est à natura hominum, Filiusq; non solum similis, sed indisseparabilis est à Patris substantia,& quia ambo unum sint,ut ab ipso dictum est,semperq; in Patre est, & Pater in eo, & quia splendor est respectu lucis: hoc enim uox illa significat,ideo Synodus re perpensa,recte eum cõsubstantialem esse tradidit, ut & hæreticorum subuerteret malitiam, & ostenderet eum alium esse à rebus creatis:quippe quæ statim post decretum illud quoq; addidit:Illos autem,qui dicunt Filium Dei ex nõ entibus extitisse,aut creatum esse,aut uertibilem esse, aut opus esse aliquod conditũ, aut ex alia substantia prodijsse, eos anathemate percutit Sancta & Catholica Ecclesia. In his uerbis,ex Patre esse,& cõsubstantialem esse,uim peremptoriam Patres uoluere contineri,ad elidendas has argutiolas, Filium creatum, aut factum, aut mutabilem esse,aut non fuisse antecq; nasceretur. Qui enim ita sentit, contradicit Synodo: contra, qui cum Ario non sapit, debet necessario ea quæ sunt Synodi, sapere,& cogitare,modo recte, quomodo se habeat lux ad splendorem,intueatur, atq; ita inde ueritatis imaginem concipere. Quapropter si isti hæc uocabula exotica cauillantur, respiciant sensum iuxta quem Synodus ea in decretis suis adhiberi uoluit,& pro anathemate habeãt, quæ Synodus pro anathemate haberi uoluit,& tum demum si possint,uoces culpent:Sed ego

satis compertum habeo, eos, si pro Synodi sententia hac in parte sentiant, uerba, quibus ea sententia concepta est, non improbaturos esse. Quòd si ipsam sententiam uituperare studeant, omnibus patebit eos frustra de uerbis expostulare, & tantummodo occasionẽ aliquam suæ impietati captare. Causa igitur cur istiusmodi uerbis usi sint patres, talis est. Quòd si rursus, quia uoces istæ in Scripturis solennes non sint, obmurmurationes faciant, æquum profecto est, ut ea de causa ipsi potissimum reijciantur, utpote logodædali nouorum uocabulorum, & quod magis est, sanis sententijs non utentes, seq; ipsi in hoc negocio incusent, quòd primi huius rei occasionem præbuerunt, dum ex non scriptis uocibus Deo bellum comparant. Sed tamen cognoscet, quisquis est studiosioris animi, has uoces tametsi in scripturis non reperiantur, habere tamen eas eam sententiam, quam Scripturæ uolunt, & hoc ipsum eas sonare apud illos, quibus aures ad pietatem sunt integræ, & minime uitiatæ: hoc ita esse facile animaduertas: istosq; ut homines inscitos indoctosq; ueritati refragari iam antea à nobis demonstratum est. Et hoc uerè est credere Verbum Patris esse, Patriq; propriũ, unicum, & naturalem fœtum. Vnde enim alioqui Filium intelligas esse Sapientiã & Verbum in quo omnia sunt condita, nisi per has uoces quibus dicitur ex Deo esse? rem certe ita se habere, ex Scripturis liquet, quum Pater ita per Dauidem loquatur, Eructauit cor meum Verbum bonum: &, Et utero ante luciferum genui te: & Filius hoc de se Iudæis ostendit, Si Deus Pater uester esset, diligeretis utiq; me, Ego enim ex Patre egressus sum. Ac rursum, Non quòd Patrem quis uiderit, nisi is, qui est à Deo: hic enim Patrem uidit. Iam & illud, Ego & Pater unum sumus, & Pater in me est, & ego in Patre, Idem est ac si dicas, Ego ex Patre sum, & indiuisibilis ab illo. Itidem & illud Ioannis, Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit, quum hæc quæ enarrabat, à Patre didicisset. Quid illud in sinu esse aliud significat, q; uerã & genuinam Filij ex Patre natiuitatem? Si quis igitur ita Deum coalescere cum Filio, uti substantiam cum accidente existimat, aut aliunde ueluti indumentum accipere & uestiri, aut aliquid circa eum uersari, quod eius substantiam adimpleat, ut sub nomine Dei aut Patris, non ipsam inuisibilem & incõprehensibilem substantiã, sed aliquid quod circa eum sit, intelligi uelint: age incuset ille consilium Patrum, quòd scriptis tradiderunt ex substantia Dei Filium esse, sed tamen animaduertant, se omnibus modis blasphemias dicere, tum quòd corporalem aliquem Deum inducũt, tum quòd de Filio mentiantur, eum non Patris Filium, sed aliquid rerum earum, quæ sunt circa Patrem. Si ergo simplex est Deus, ut reuera est, certum est, quum dicimus Deum, & nominamus Patrem, nihil nos eorũ quæ circa eum sunt, sed ipsius substantiam significare. Nam tametsi cõprehendere, quænam sit illius substantia, nequeas, tamen de substantia illius, hoc est, de ipso Deo sentis & cogitas, quum pro Scripturæ nominibus Deus & Pater & Dominus appellatur. Quum igitur dicit, Ego sum, qui sum, & ego sum Dominus Deus, & ubicunq; dicit Scriptura, Deus, nos qui hoc uocabulũ audimus, nihil aliud nisi ipsam incomprehensibilem substantiã indicari intelligimus, & q; ille ipse est, qui uocabulo Dei significatur. Quapropter quum quis audit Filiũ

Psal. 44
Psal. 110
Ioan. 10
Ibid.
Ibid.
Ioan. 14
Exod. 3

2.

Dei esse ex substantia Dei, ne admiratione ducatur, sed potius approbet, re cipiatq; patres, qui rei intellectum purius tradidere, & liquidius uerbis pa ribus & idem pollẽtibus, id dictum (ex Deo esse) per has uoces, ex substan tia Dei esse, expresserunt. Idem enim arbitrati sunt ex Deo esse, & Dei sub stantia esse. Si igitur non ita ex Deo est Verbum, ut genuinus ex Patre Filí us dici mereatur, sed pari ratione cũ cæteris, quæ à Deo creatæ ex Deo per hibeantur, neq; alio modo Verbum ex Patre esse intelligi debeat, tum cer te necessario sequetur, ut neq; sit ex substantia Patris, neq; secundũ substan tiam Patri sit Filius, sed tantummodo per uirtutem adoptiuus Filius, quẽad modum & nos, quibus dono & gratia id concessum, ut Filij Dei appelle mur. Sin aũt ille solus ex Deo, ut genuinus & naturalis fœtus (ut uerè est) merito censeri debet Filius Dei, & ex substantia Dei esse. Certe illa cõpara tio lucis cum splendore, huiusmodi intellectum in se continet. Verum non pro natura ignis, primum ex calore solis inardescẽtis, deinde, uti fieri solet, euanescentis, Verbum sese ad Patrem suum habet: id enim longissime ab est à sentẽtia Patrum, quum ex huiusmodi cõparatione opus aliquod, crea turaq;, quæ alienæ sit naturæ à conditore suo intelligeretur. Sed splendo rem cum ideo omnes nominarunt, ut proprium illud innueretur, quod col ligitur ex eo, quũ dicimus ex substantia esse, & ut indiuisibilis eius cum Pa tre unitas significaretur: ita enim fit, ut eius inalterabilitatẽ, & immutabili tatem non lædas, alioqui si non Patris substantiæ proprius fœtus esset, alte rabilis, mutabilisq; utiq; haberetur: Congruum enim est, ut in hac quoque parte eius identitatem cum Patre suo tueamur. Quum igitur iste sermo reli giosus & pius appareat, non debebant Christo rebelles insolentia uocabu li cõsubstantialis offendi: quum illud & sanum intellectum, & certam ratio nem, demonstrationemq; habeat. Si enim ex substantia Dei, Verbum Dei esse sentimus, superest, ut uox illa, quæ hoc ipsum signat, ab illis agnoscatur. Quid nam aũt ex eo aliud intelligas, cũ ueritatem & æternitatẽ substan tiæ, ex qua genitus est Filius? Non em̃ diuersus specie est, ne externũ quip piam, & dissimile Patris substantiæ admisceatur, neq; rursus leuiter & quo uis modo ex re aliena Patri est similis, ne secundum aliud quippiam ea simi litudo proueniat, aut alterius substantiæ esse appareat, qualia sunt inter se, æs, aurum, argentũ, stannum, quæ quidem splendore similia, natura & sub stantia distant. Neq; enim æs ex auro est, neq; turtur columbæ fœtus. Est quidem in rebus istis similitudo aliqua: natura uero substantiaq; diuersissi ma. Si ergo eodem modo se Filius habet, esto, habeatur & ipse quoq; crea tura, quemadmodũ nos sumus, & non cõsubstantialis Patri. Sin aũt uerè Fí lius est, & Verbum, & Sapientia, & Splendor, & Imago Patris, recte ergo dictum fuerit, eum cõsubstantialem esse, nisi contra scilicet rationibus de monstretur, eum non ex Deo, sed à Deo pro instrumento quod alterius sit naturæ cẽp; suus author, conditum esse: probe igitur consilium scripsit, & re cte rem ipsam intellexit. Cæterum isthinc rursus tolli uelim omnem corpo ralem cogitationem, ut altius & supra imaginationẽ sensuum euecti, puro intellectu & sola mente intelligamus Filij ad Patrem legitimam illam & na turalem genuitatem, & Verbi ad Deum proprietatẽ, & indemutabilem si

1. Cor. 1

militudinem ſplendoris ad lucem. Vt enim quum audimus eum Filium, & Germen eſſe, non humano more, ſed prout Deo conuenit, intelligimus. Ita quoq; quum audimus eum cõſubſtantialem eſſe, nequaq; delabẽtes ad humanos ſenſus, partitiões & diuiſiones Deitatis cogitemus, ſed tanq; de incorporalibus agitantem, unitatem naturæ, & identitatem lucis non diuidamus. Id enim proprium eſt Filij ad Patrem, & id declarat Patrem reuera Patrem eſſe Verbi. Hic denuo neceſſaria eſt cõparatio illa lucis & ſplendoris. Quis enim ibi auſus fuerit dicere ſplendorem externum quiddam eſſe à ſole, eiq; diſsimilem? aut quis non potius ſimul intuens ſplendorem cum ſole, & eandem in utroq; lucem, non audacter loquatur, lucem & ſplendorem unum eſſe? & hunc in illa repræſentari, & ſplendorem ita in ſole eſſe, ut qui hunc uideat, etiam illum intueatur? Hanc igitur idẽtitatem & naturalẽ proprietatẽ, ita animaduerſam & creditam, quonam quæſo alio nomine quã conſubſtantialem progeniem appellaueris? aut quid nam inde intellexeris proprie & congruenter, niſi Verbum, Sapientiã, & Poteſtatem, quam neq; externam eſſe à Patre fas eſt dicere, neq; imaginari licitum eſt eam non æternaliter apud Patrem eſſe? in hac enim Sobole ſua omnia fecit Pater, & per hanc in omnia inſerta ſua prouidentia pietatem ſuam, humanitatemq; exercet: Atq; eo modo Filius & Pater unũ ſunt, ſicuti iam dixi. Niſi rurſum ſcilicet reſumpta audacia uecordes iſti dicant, aliam rem eſſe Verbi ſubſtantiã, & aliam eſſe illam ex Patre lucem, quæ eſt in Verbo, lucemq; illam, quæ eſt in Filio, unum eſſe cum Patre: ipſum autẽ Filium externum quiddam & forinſecum ab eo haberi debere, & quendam ex genere creaturarum: ſed ea prorſus Caiaphæ & Samoſatenſis opinio eſt, quam Eccleſia quidem repudiauit, iſti aũt tuentur, ac proinde etiam ipſi ut lapſi à ueritate, hæretici declarati ſunt. Si enim omnino uerum eſt, Filium eſſe participem lucis Patris ſui, cur non potius is ille habeatur, de quo lucis cõmunicatio ſumitur, quã alius quiſpiam, ne quid tertium inter Patrem & Filium cõſtituatur? alioqui non liquebit per Filium, ſed potius per eum cuius cõmunicatu hanc participationem lucis adeptus eſt, omnia condita eſſe. Sin aũt ille eſt Verbum & Sapientia Patris, per quam Pater reuelatur, & cognoſcitur, & creat, & ſine quo Pater nihil omnium facit, nimirum ſequitur ut ille ſit is ipſus, qui ex Patre eſt: de ipſo enim omnia creata participant, quum conſortes filij ſpiritus efficiuntur. Talis igitur cum ſit, nequaq; ex non entibus emerſerit, neq; ulla ratione creatura fuerit, ſed potius Patri ſuo proprius fœtus. Hoc igitur intellectu patres qui Niceæ cõuenerunt, iſtas uoces uſurpare uoluerunt, ipſos porro non ex ſe, quod aduerſarij obijciunt, hæc uocabula finxiſſe, ſed ab alijs olim accepiſſe, age in præſentia declaremus, ne ea eis cauillatio integra relinquatur. Diſcite igitur nunc Chriſto rebelles Ariani, Theognoſtum uirum diſertum, non abhorruiſſe à uocabulo ſubſtantiæ, ſcribens enim de Filio in ſecundo Hypotypoſeon, ita locutus eſt: Non forinſecus aut ex rebus extraneis Filij ſubſtantia conſtat, neq; ex nõ entibus producitur, ſed ex Patris ſubſtantia ita progenitus eſt, ut à luce, iubar: ut ex aqua, uapor: neq; ẽm uapor id ipſum eſt, quod aqua: neq; iubar id ipſum, quod ſol, ſed non alienum tamen, uerum ut profluẽtem eum eſſe dicas Patris ſubſtantiæ, idq; ita

ut interim

ut interim ſubſtantia illa Patris, diuiſionem non patiatur. Quemadmodum enim ſol non diminuitur ſuis ex ſe profluentibus radijs, ita nec ſubſtãtia Patris diminutionem ſuſtinet, imaginem ſui Filium progignẽs. Theognoſtus igitur poſt diſputationem ſuperiorẽ, iſtam tandem ſententiam ſub his uerbis ſubiecit. Dionyſius porro Epiſcopus Alexandriæ contra Sabelliũ ſcribens & Saluatoris miniſterium in carne pluribus uerbis exponens, ijſq; cõuincens Sabellianos, refellensq; Patrem non fuiſſe carnem factum, ſed Verbum eius fuiſſe quod carnem induerat, quemadmodũ à Ioanne dictum fuit, & in ſuſpicionem raptus, quòd Filium creaturam nominaſſet, eumq; factum eſſe, & cõſubſtantialem Patri dixiſſet: ad Dionyſium Epiſcopum Romanum eiuſdem ſecum nominis pro defenſione criminis ita ſcribit, ſe non dixiſſe Filium eſſe factum, quem Patri cõſubſtantialẽ confiteatur. Illius aũt forma loquendi talis eſt: Et in alia epiſtola ſcripſi, qua demonſtraui falſum eſſe crimen quod mihi obijciunt, quaſi dixiſſem, Chriſtum non eſſe conſubſtantialem Deo. Et ſi hoc nomen cõſubſtantialitatis dixerim non inueniri uſpiam in Sacris literis, tamen argumenta mea, quæ ipſi tacita omiſerunt, à re ipſa ſignificationeq; uocabuli non abludunt. Nam & humanam procreationem in comparationem adduxi, ut congenerem: eoq; ſolo eſſe parentes diuerſos à liberis, quòd ipſi ſui liberi non eſſent, neq; uiciſsim liberi ſui ipſorum parentes: ipſam uero epiſtolam hoc quidem tempore ob certos caſus nequeo proferre. Verum quia tibi præſentis negotij uerba mitto, facile inde colligere poteris, multo me libentius ipſum autographum miſſurum fuiſſe, quod & faciam, ubi id primum adeptus fuero. Scio aũt & memini me plures ex cõgeneribus rebus addidiſſe ſimilitudines. Nam & plantam dixi ſiue à ſemine, ſiue à radice procreata ſit, diuerſam quidem eam eſſe ab eo unde progerminata ſit, ſed tamen cum eo omnino natura conuenire: fluuiũq; dixi à fonte profluentem, aliud quidem nomen ſortiri: neq; enim fontem, fluuium, neq; fluuium, fontem dici, ſed tamen utrumq; ſimul exiſtere, & fluuium eſſe aquam ex fonte. Cæterum neq; opus aliquod eſſe, neq; creaturã Verbum Dei, ſed proprium Paternæ ſubſtantiæ germen: idq; indiuiſibile, ut ſcripſit magna Synodus. En tibi rurſum alterum Dionyſium Romanũ Epiſcopum, ita in ſcriptis ſuis contra Sabellianos, eosq; qui talia dicunt, expoſtulantem. Merito deinceps dixere in diuiſores, ſectoresq;, & peremptores reuerendiſsimi Eccleſiæ de Deo præconij, qui monarchiã in ternas potentias, ternasq; ſubſtantias, & ternas Deitates carpunt. Audio enim quoſdam apud uos diuini uerbi magiſtros huius ſentẽtię profeſſores, qui ex diametro, ut ſic dicam, pugnant cum placitis Sabellij. Ille enim cum blaſphemia dicit Filium eſſe Patrem, Patremq; Filiũ: iſti aũt quodãmodo tres Deos conſtituunt, dum in tres ſubſtantias alienigenas, & inter ſe omnino ſegregatas ſanctam unitatem diſpartiuntur: Vniri enim neceſſum eſt omnium Deo Dei Verbum, & in eodem hærere, uerſariq; Spiritum Sanctũ: & Sanctam Trinitatem in unum omnium rerum Deum, omnipotentemq;, ueluti in uerticem principemq; cõſummari & coaleſcere. Marcionis enim uanilo qui doctrina, ſectionem diuiſionemq; monarchiæ in tres principatus inſtituit. Sed ea diabolica inſtitutio eſt, non aũt uerorũ Chriſti diſcipulorum, & acqui-

acquiescentium Saluatoris præceptis: Illi enim ut Trinitatem prædicari à Sacris literis plane sciunt, ita tres esse deos à ueteri aut à nouo Testamento uspiam induci nequaq̃ agnoscunt. Cæterum nõ minus culpaueris eos, qui Filium Dei opus credunt, & factum esse Dominum opinantur, quum Sacra eloquia generationem ei cõgruentem & decentem, non aũt formationẽ & creationem testimoniis suis attribuant. Blasphemia igitur illa non uulgaris, sed maxima habenda est, si Dominum dicas manu factũ. Si enim factus est Filius, erat igitur, quum ille non erat, atqui ille semper erat. Sin aũt in Patre est, ut ipse dicit, idemq̃ Ratio, & Sapientia, & Virtus Dei est (hoc enim eum esse diuinæ Scripturæ prædicant) Ratioq̃ rursum, Sapientia, & Virtus Dei facultates existimandæ sunt, sequitur omnino, ut nunq̃ factus sit: aut si factus perhibeatur, fuisse aliquando tempus, quũ istæ facultates nondum essent, eratq̃ nimirum tum temporis Deus infœlix & miser, quum uirtute, sapientia, ratione careret: Id aũt absurdissimum. Sed quid ego ulterius de ea re uerba facio, apud uiros Spiritu Sancto afflatos & plane cognoscentes, quæ absurditates nascãtur ex eo, si Filius opus aliquod & factitiũ quiddam nominetur, quas minime uidentur animaduertere, qui hac opinione ducuntur? ac propterea certo quodam modo à ueritate aberrant, qui aliter
Prou.8 accipiunt has uoces, Dominus creauit me in initio uiarum suarum, q̃ Sacræ & Propheticæ Scripturæ intelligunt. Non enim simplex est & una significatio, ut scitis huius uerbi ἔκτισε. Hic enim ἔκτισε intelligendum nõ profecit, sed præfecit operibus suis, sed tamen per Filium conficiendis. Neutiq̃ enim illud ἔκτισε ita accipias tanq̃ si dixisset, fecit me. Differunt enim facere & κτίσαι. Hinc illud, nonne ipse pater tuus possedit te, & fecit te, & creauit te? in Deuteronomio magnifico carmine Moses dixit. Ad quod ita quis merito dixerit, ô præcipiti temeritate homines: opus ne est primogenitus omnis creaturæ, qui ex utero ante luciferum genitus est? qui dixit ut in Sa-
Sap.12 pientiæ libro habetur, Ante omnes colles genuit me: Et frequenter in Sacris literis inueneris eum genitum narrari, non aũt factum, unde clare reuincuntur, qui falsa de Filij natiuitate suspicantes, eius diuinam & ineffabilem generationem, creationem, factionemue non uerentur appellare. Non igitur diuidenda est in tres deitates admirabilis & Diuina Vnitas, neq̃ sub nomine creationis minuenda est dignitas & immensa Domini Maiestas, sed credendum est in Deum Patrem omnipotentem, & in Christum Iesum Filium ipsius, & in Spiritum Sanctum, uniriq̃ Deo totius uniuersitatis Ver-
Ioan.10 bum. Ego enim (inquit) & Pater unum sumus: Et, Ego in Patre, & Pater in
Ioan.14 me: ita enim & Diuina Trinitas, & sancta prædicatio, professioq̃ monarchiæ conseruari possit. Verbum porro æternaliter esse cum Patre, neq̃ alterius essentiæ aut substantiæ, Patrisq̃ sui proprium Filium, ut sancitũ est ab illis, qui Synodo interfuerũt, licebit denuo ex laborioso illo Origene audire. Quæ enim disputandi certandiq̃ gratia scripsit, ea non quasi ipsius sint uerba, aut quasi ipse ita sentiat, sed eorum qui cum eo cõtentiosius disputarũt, accipienda sunt. Hæc igitur laborioſi illius Origenis sententia est. post illa ergo quæ certandi gratia, quasi in palæstra aduersus hæreticos adduxerat, statim ista, quæ propria ipsius sunt, subintulit. Si est (inquit) ulla imago

inuisi-

inuisibilis Dei, ipsa quoq; Imago inuisibilis fuerit, imo hoc quoq; ausim addere, quòd quum sit ille similitudo Patris, fieri non posse, ut fuerit, quando non fuerit. Quando enim Deus, qui secundum Ioannem Euangelistam lux dicitur, splẽdore caruit suæ Maiestatis? ut quis audeat Filio principiũ asscribere, quasi antea nondum existenti? Quando autẽ non erat ineffabilis illa, innominabilis, inenarrabilisq; Patris substãtiæ Imago, Forma, Ratio, quæ Patrem cognoscit? Cogitet secũ quicunq; audebit dicere, erat, quando non erat Filius, se hoc ipsum dicere, erat quando Sapientia non erat, quando Ratio non erat, quando Vita non erat. Idem Origenes alibi dicit. Sed fas non est, neq; periculo uacuum est ob infirmitatem nostram, quantum in nobis est, spoliare Patrem unigenito suo semper secũ existente uerbo, spoliare itẽ eum sua Sapientia, in quo lætabatur: inde enim colligeretur eum non semper lætatum fuisse. Ecce nos demonstramus istiusmodi sententiam à Patribus ad Patres quasi per manus traditam esse. Vos aũt noui Iudæi & discipuli Caiaphæ, quos uerborum uestrorum patres ac maiores demonstrabitis, quum ne unum quidem ex prudentibus aut doctis in authorem citare possitis? Cuncti enim uos, præter diabolum istius uobis à Christo defectionis authorem, auersantur, ille & olim uobis hanc impietatem inseuit, & nũc uobis author est ut orbis terrarum concilium uituperetis, non alia de causa, q̃ quòd in eo concilio non quæ uestræ factioni patrocinẽtur, sed illa sint scripta quæ ab initio ipsi, qui testes oculati & ministri Verbi fuere, tradiderũt. Fides enim quæ scriptis decretisq; Synodi sancita est, ea est totius Ecclesiæ, hanc quum asserere uellent beati Patres, istis uerbis concipiendam putauerunt, cõdemnarũtq; Arianam hæresim: Quæ res præcipue in causa est, cur calumnias Synodo intentent. Non enim uerba illa illos male habent, sed q̃ ijs uerbis declarentur hæretici & cæteris hæreticis improbiores, nimirum qui quum uoculas suas prauas semper & de hæresi culpabiles reprehendi per id tempus uiderent, ab Ethnicis nomen ingeniti mutuo sumendum arbitrati sunt, ut per occasionẽ huius uocabuli, inter facta & creata, Dei Verbum, omnium creatorem insererẽt, & eiusdem classis efficerent: ita sunt ad impietatẽ effrontes, & in blasphemando Domino peruicaces. Quod si præ insciti a uocabuli ad istam improbitatem dilaberentur, oportebat eos ab ijs unde id mutuo acceperunt, uim eius dictionis cognoscere. Illi enim & mentem ex bono, & ex mente animam oriundam dicunt, & quamuis earum origines uideant, ingenitas tamen asseuerant, neq; se ea de causa maiestatem primi, unde mens & anima originem desumunt carpere aut diminuere arbitrantur. Quapropter oportuit istos aut ita loqui, aut nihil omnino loqui de rebus, quas ignorant. Quod si se uocẽ intelligere putent, excutiant eam, & examinent, num proba sit, præsertim quũ illa in Sacris literis nõ reperiatur. Verum illi denuo cõtentionem suam uerbis in Scriptura non receptis renouabunt. Ego uero contra, causam significatiq; intellectum interpretabor, secundum quem Synodus, patresq; qui ante Synodum fuere, his uocabulis substantia & cõsubstantiali cõgruẽtibus cum ijs quæ de Seruatore referuntur, uti in scriptis suis uoluerunt. Ipsi aũt uicissim si possint, respondeant, ubi repererint hanc in Scripturis minime solennem uocẽ, & qua mente

Deum

Deum ingenitum dicant. Audio enim hoc uocabulum diuersas habere significationes. Nam dicitur & illud ingenitum, quod nondum est, sed esse possit: & rursum, quod neq; iam est, neq; esse possit: tertio autẽ, quod iam quidem est, tamen factum non sit, neq; initium existẽdi habuerit, sed quod æternum sit, & incorruptibile. fortasse duas priores significationes præterierint, ut absurdas prætermiserint: nam secundum primum significatum illa habebuntur ingenita quæ facta sunt, futuraq; expectantur. Secunda autẽ significatio plus in se absurditatis continet: ad tertiam igitur progrediẽtur, & secundum eam ingenita appellabunt. Cæterum, quum hoc dicunt, nihilominus impĩj habendi sunt. Si enim quod initium existendi non habet, & quod neq; factum aut creatum sed æternum sit, ingenitũ uelint, & contrario modo se habere Verbum Dei pronunciarint, quis non uidet uafriciem Christomachorum? quis non eos pro tali insania lapidauerit, qui deterriti primas suarum fabularum dictiunculas, ob quas damnati sunt, proferre, eadem denuo, sed alio modo per hoc uocabulum Ingeniti insinuare moliuntur? Nam si Filius ex numero genitorum, hoc est, factorum est, certe ex nõentibus & ipse quoq; extitit, principiumq; existẽdi sortitus est: nec erat priusq; fieret: porro si æternus nõ est, erat hauddubie quando non erat. Oportebat igitur ipsos eadem illa in animo sentientes ĩjsdem suis uerbis uti, ac suam opinionis diuersitatem prodere, nec sub uocabulo ingeniti, animi prauitatem occultare. Verum malitiosissimi homines hoc non faciunt: siquidem omnia secundum patrem suum diabolum cum fraude instituunt: utenim ille sub alienis uestibus fraudem molitur, ita & isti uocabulum Ingeniti excogitarunt, ut sub specie benedicendi Dei, dissimulanter aduersus Dominum blasphemias suas tegant, easq; sub hoc inuolucro alĩjs insinuẽt. Cæterum istis uersutĩjs retectis uelim mihi respondeant, quid ipsis sit reliqui quod obĩjciant? Atqui inquiunt scelerati, inuenimus quod loquamur, suisq; dictiunculis id addunt esse ingenitũ scilicet, quod suæ essentiæ authorem non habet, quodq; alĩjs quæ sunt, author fuerit, ut sint ingrati mortales, & prorsus sacrarum Scripturarum rudes, qui non ad honorem Dei, sed ad ignominiam Filĩj omnia dicunt & faciunt, ignari interim eum qui dehonestat Filium, Patrem quoq; dehonestare. Primum igitur non ideo quòd Deum ingenitum uocent, Filius demonstratur creatus esse, quum Filius ut substantiæ Patris sui fœtus est, ita æternaliter apud Patrem subsistat. Non enim hoc uocabulum naturam Verbi demolitur, neq; uox Ingenitus significationem suam ad Filium, sed ad ea quæ per Filiũ creata sunt, protendit. Et quemadmodũ qui aliquem architectum ædificĩj aut ciuitatis nominat, non cum hoc nomine Filium ex ipso genitũ includit, aut intelligi studet, sed sub uocabulo architecti, indicat authorem operum nequaq; talem esse, qualia sunt opera ipsius artificio fabrefacta, ac proinde illum opificem nominat, & nõ ignarus qualis sit naturæ hic opifex, agnoscit longe esse aliud ab eo progenitum, longe aliud ab eo factum, eundemq; ob filium suum Patrem, ob opera uero architectum appellat. Eodem modo qui Deum ingenitum nominat, ex operibus suis ei nomen accõmodat, indicans eum solum omnium non esse factum, sed eorum quæ facta sunt, authorem esse. Verbumq; eius

diuersum

diuersum esse à rebus quæ factæ sunt, & id solūmodo Patri suū & propriū fœtum esse cognoscit, per quē omnia facta sunt & constant. Prophetæ quoque Deum omnipotentē nominātes non ideo illi hoc nominis indunt, quasi Verbum censeāt ex numero reliqui uulgi esse, quippe qui non ignorabāt Filium alium esse à rebus creatis, atq; adeo, quemadmodū Pater suus, omnipotentē, eumq; in omnia quæ pater per ipsum creauit, dominatum habere, illiq; à Patre potestatem datam esse, & post donationem semel concessam æque omnium dominari. Eadem iterum ratione quum Prophetæ Patrem Dominum uirtutum nominant, non ideo eo respectu faciunt, quasi Filium unum eorum uelint, quæ sub Patris potestate retineantur, sed ut Filio suo Pater est, ita potentiarum à Filio conditarum Dominus habeatur. Verbum uicissim quia in Patre est, omniū Dominus reputari debet, & in omnes imperium possidere, eò quòd omnia quæ Pater habet à Filio itidem habeantur. Et quemadmodū istæ appellationes hūc habent intellectum, ita quoq; qui uoluerit dicere Deum ingenitum: dicat quidem si ita ipsius animo collibuerit, modo non ideo hoc dicat ut Filium opinetur aliquid factitium esse, sed quia intelligat unum solūmodo Deum factum non esse, ac proinde rerum à Verbo suo factarum conditorē creatoremq; appellari debere. Nam quum Pater ita appellatur, nihil inde obstaculi nascitur quo minus & Verbum & Imago Patris & Patri cōsubstantialis intelligatur. Porrò quia Imago eius est, sequitur necessario, ut alius diuersusq; sit à rebus creatis, & nequaq; aliquis ex uulgo numeroq; uniuersitatis, quoniam cuiuscunq; imago fuerit, eius quoq; proprietatem & similitudinē obtinet, adeo ut sub nomine ingeniti Patris, etiam ingeniti & omnipotentis Verbū & Sapientia, hoc est, Filius intelligatur. Verum præclari uiri & promptæ impietatis, non cura honorandi numinis, sed odij in Seruatorem hoc uocabulum ingeniti adinuenerunt. Nam si illis cura numinis aut bene dicendi fuisset, oportuerat eos (quod quidem & melius fuisset) primum agnoscere Deum Patrem esse, eumq; hoc nomine potius quàm illo prędicari, quoniam quum Deum ingenitum, hoc est, non factum appellant, ex rebus factis, ut iam dixi, illum conditorem designant, quo Verbum pro sua libidine factitium esse quiddā declarent. Qui aūt Deum Patrem nominat, statim eo ipso & Filium innuit, nec ignorat quum Filius sit, quin omnia quoq; per Filiū sint condita. Quapropter & potius & uerius est, Deum ex Filio designare, & Patrem nuncupare, quàm ex operibus duntaxat illi nomen indere, & appellare ingenitū. Hoc enim uocabulum, opera, quæ ex Dei uoluntate producta sunt, innuit: contra, Patris nomen, propriū eius ex sua substantia fœtum declarat. Quanto aūt Verbum præstantius est rebus creatis, tanto præstiterit Deum Patrem, quàm ingenitum dicere. Illud enim in Scripturis non reperitur, & suspectum est, quum multiplicem habeat significationē: hoc aūt simplex est, & Scripturis solenne, & uerius, unumq; Filium tantūmodo denotat. Rursum illud uocabulum, ingeniti, apud ethnicos reperitur, qui Deum non norūt. Hoc aūt nomine Pater per Filium suum nobis innotuit. Nam quū ipse sciret cuius Filius esset, ita locutus est, Ego in Patre & Pater in me: &, Qui uidit me, uidit & Patrem. Et, Ego & Pater unum sumus. Neq; ullibi reperias, Ioan. 14 Ibidem Ioan. 10

ubi ille Patrem ſuum ingenitum uocet. Quin & cum nos precari doceret, non dixit, Quum oraueritis, dicite Pater ingenite, ſed potius quum precari

Matth.6 ſtatueritis, dicite, Pater noſter qui es in cœlis, & caput noſtræ Fidei eò tendere ac referri uoluit. Iuſsit enim nos baptizari non in nomine geniti & ingeniti, neq; in nomine increati & creaturę, ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quoniam ita initiati uerè in filios adoptemur. Et Patris nomen pronunciantes, agnoſcimus quoq; ſub hoc nomine etiam Verbum quod in Patre eſt, contineri: non tamen ob hoc quòd Patrem ſuum noſtrum à nobis conceſſerit appellari, æquum eſt, ut nos ipſos Filio ratione naturæ adæquemus. Nam quòd nobis Filij appellatio indulgetur, id inde profectum eſt, quòd Verbum ſiue Ratio Dei, noſtrum corpus geſtauit, & in nobis habitauit, ac proinde conſequenter propter Rationem ſiue Verbum quod in nobis eſt, is qui Deus eſt, Pater noſter appellatur. Et quia Spiritus Verbi in nobis eſt, ideo ut nobis gratificaretur, ſuum Patrem noſtrum quoq; Patrẽ

Heb.2 appellari uoluit. Ea enim eſt mens Apoſtoli ita dicentis, Miſit Deus ſpiritũ Filij ſui in corda noſtra clamantem, Abba Pater. Sed fortaſſe de uocabulo hoc ingenito conuicti, ut praui ſunt moribus, audebunt dicere, pareſſe ut uerba quæ de Domino noſtro Ieſu Chriſto ſunt ſcripta, in diſputationibus adhibeantur, repudiatis illis uocibus quæ in Scripturis non reperiuntur. Certe id æquũ eſſe nec ego abnuerim, eò quòd ſigna indicia q; ueritatis perfectiora ex Scripturis ſanctis quàm aliunde depromantur. Sed malignitas & uerſipellis Euſebianorum impietas, Epiſcopos coegit, quemadmodum dixi, ut clarioribus uerbis uterentur ad eorum impietatem ſubuertendam. Sed tamen ſatis demonſtratum eſt, & liquide apparet, ſcripta Synodi rectã ſententiam continere, & Arianorum uoculas friuolas eſſe, & ſcopum eorũ malitioſum, quum illi hoc uocabulo, ingeniti, quod probæ ſignificationis eſt, & cum pietate uſurpari poſsit, pro animi ſui cõceptu, proq; libidine ſua ad contumeliam Saluatoris abutantur, idq; ſolum ea de cauſa, ut quaſi gygantes cum numinibus pugnent, non tamen ob prætextum iſtiuſmodi dictiuncularum damnationem euaſerũt, nec quia in uoce ingeniti bona ſignificatio eſt, eorum mala mens ſententia q; latere potuit: nam & ipſi omniſariam ſunt confuſi, eorumq; hæreſis ubiq; male audit. Hæc quidem tum in concilio acta, ut potui recitaui. Scio tamen uitilitigatores iſtos & Chriſto rebelles, ne iſtis quidem auditis mentem in melius mutaturos eſſe, ſed potius diſcurſitaturos ad alias aliunde cauſificationes uenandas, & cum eas abſumpſerint, nouas rurſus cõmentaturos eſſe. Qua in parte reſpondent Prophe-

Hiere.13 ticis uerbis, Si poteſt Æthiops mutare pellem, aut Pardus maculas, etiam futurum eſt ut ipſi recta ſentiant. Tu autem chariſsime hæc noſtra, ubi acceperis, tecum perlege, quæ ſi tibi recta uidebuntur, recitabis ea fratribus, quos præſentes habebis, ut & illi quoq;, ubi rem cognouerunt, Synodi zelum quo uſa eſt in tuenda ueritate, Synodiq; in ijs explicandis quæ uellet, diligẽtiam adament: damnent autem Arianorum pro hæreſi defendenda cauillationes. Gloria aũt Deo Patri, honor item & adoratio cum Filio ſuo ſui imperij collega, unà cum Sancto & uiuificatore Spiritu, & nunc & in infinita ſeculorum, Amen.

ATHANASII

ATHANASII ARCHI-
EPISCOPI ALEXANDRIAE.
CONTRA ARIANOS,
Apologia secunda.



EGO arbitrabar post tanta pro nostra defensione documenta, uerecundia aduersarios meos, & prodeundi metu latitaturos, & sibĩpsis, quòd alĩs calumniã fecerint, displicituros. Cæterum, quandoquidem ne ita quidem conuicti damnatiq; erubescere queũt, sed stulte obtrectationibus adrepunt, sperantes semel iudicata iterum in iudicium reuocanda, non ut causam dicant, id enim maxime fugitãt, sed ut nos animosq; eorum qui integri sunt, molestĩs uexent: necessariũ uideo ut uobis me purgem, quo repudiatis susurris, scelera & falsas illorũ criminationes condemnetis. Vobis siquidem synceris hominibus ratio meæ innocẽtiæ reddenda est: litigiosis uero sua ipsorũ argumenta opponenda sunt, in quibus summa mihi uincendi fiducia est. Nam quod ad nos attinet, iudicio nullo opus est: Iudicatum est enim non semel secundũ nos, sed sæpius ac sæpius. Primũ quidem in nostra prouincia quũ ad id coĩssent propemodum centũ Episcopi. Secundo Romæ nobis cæterisq; aduersarĩs Eusebĩ, ad eius criminosas literas in iudicio cõparentibus. Fuere aũt in eo consessu plures quàm quinquaginta Episcopi. Tertio iterum in magno Sardico concilio ad edictũ religiosissimorum Principũ Constantĩ & Constantis, in quo iudicio ita ceciderũt aduersarĩ, ut habiti pro calumniatoribus depositionem exautorationemq; ordinis sui retulerint: nostram uero innocentiam, plures quàm trecenti Episcopi, suis calculis comprobarint, qui ex multis prouincĩs Ægypti, Libyæ, Pentapoleos, Palæstinæ, Arabiæ, Isauriæ, Cypri, Pamphyliæ, Lyciæ, Galatiæ, Daciæ, Mysiæ, Thraciæ, Dardaniæ, Macedoniæ, Epiri, Thessaliæ, Achaiæ, Cretæ, Dalmatiæ, Siscіæ, Pannoniarum, Norici, Italiæ, Picini, Thusciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Brutiorum, Siciliæ, Aphricæ uniuersæ, Sardiniæ, Hispaniarum, Galliarum, Britanniarum, eò se ad concilium contulerant, adeo ut Vrsatius quoq; & Valens, quum antea se pro calumniatoribus gessissent, pœnitere se sui facti protestarentur. Non solũ enim sententiam pro nobis dictã approbarunt, sed & se cæterosq; meos aduersarios calumniatores esse confessi sunt, qua pœnitentia etiam scriptis prodita, Eusebium sociũ calumniæ & fingendi criminis coartificem liquidissime conuincunt. Nemo igitur rem à tot Episcopis excussam, exploratamq;, & clarissimis documentis conuictã, denuo putarit sub iudiciũ reuocari debere, ne si iterum atq; iterũ res toties iudicata in cognitionem deducatur, fine prorsus careat recognoscendi curiositas. sufficerent quidem tot Episcoporum calculi ad confundendos eos, qui etiamnũ aliquid falsi criminis contra me fingunt, etiam si nihil aliud accederet. Iam quũ ipsimet hostes contra se & pro nobis testimonium ferant, criminaq; aduersum nos mendacĩs & dolo com-

posita esse fateantur, quem quæso non puduerit de mea ulterius innocentia dubitare? præsertim quum lex iubeat, in ore duorum aut trium iudicia constituí: in mea ergo causa uide quanta sit multitudo testium, qui nostræ innocentiæ suffragantur, cui pro appendice aduersariorum nostrorum cõfessio accedit, adeo ut ne cæteri quidẽ ex aduersarijs sua iudicia aduersus me pro ipsorum libidine conflata tueri ausint, sed pro bonis rationibus uim in eos, à quibus refutantur, comparent. Id enim illos pessime habet, quòd quæ ipsi occultim & inter se cõposuerunt, ea Valentis & Vrsatij indicio retegantur, minime ignari, eorum pœnitentia & se damnari, & damnatos ab ipsis innocentes declarari, ac proinde eos, ut prius à nobis dictum fuit in Sardico concilio, ab officijs suis depositos esse, atq; id non immerito: ut enim olim Pharisæi summoti reiectiq; à iudicanda causa Diui Pauli, & suam & cæterorum Iudæorum contra ipsum coniurationem patefecerũt, utq; beatum Dauidem præter meritum persecutionibus agitari uoce ipsius persecutoris in
1.Reg.26 notuit, ita peccatum suum confitentis, Peccaui, inquiens, fili mi Dauid: ita quoq; nũc isti uicti à ueritate, ueniam scriptis literis à Iulio Romano Pontifice poposcerunt, & ad nos pro pace, de quibus tanta scelera diuulgarãt, epistolas misere, pudore ut arbitror adacti, quũ eos quos tollere uolebant, gratia Domini uiuos cõspiciant, adeo ut & ipsi quoq; Arium eiusq; hæresim, ut anathema cõdemnarint, idq; congruenter ab ijs & pro rei consequio actum est. Nam quum nõ alia de causa crimen ab Eusebio aduersum nos cõpositum esse scirent, quàm ut hæresim suam tueretur, quum eò ueniissent ut semel sycophantiam confitendam esse arbitrarentur, statim quoq; ab inimica Christo hæresi, in cuius gratiam crimen finxerant, resiliendum putauerunt. Quæ igitur pro nostra innocentia scripta sunt ab Episcopis in diuersis Synodis, & primum in Ægyptiaca, sunt hæc.

SANCTA SYNODVS ALEXANDRIAE CONGREGATA EX AEGYPTO, THEBAIDE, LIBYA, PENTAPOLI, *omnibus ubiq; Ecclesiæ Catholicæ Episcopis, dilectis & desideratiss. fratribus in Christo,* SALVTEM.

PROTERAMVS quidem dilectissimi fratres, etiam statim ab initio conflatæ in Athanasiũ criminationis, deinde post eius Alexandriæ ingressum respondere super fictis criminibus Eusebianorum, eosq; de iniurijs in cõministrum nostrum illatis accusare, simulq; ostendere, quàm nihil nisi meras calumnias obiecissent. Sed quia tempora illa nihil tale permittebant, ut & ipsi nostis, & quia arbitraremur, post restitutionem Episcopi Athanasij, eos uultum submittere, & pudore in tam apertis iniurijs suffundi, putauimus rem silentio transmittendã esse, maxime post tantas eius uiri calamitates, profectionesq;, & uitã relicta domo peregre actam, post tanta pericula, quibus minimo minus perierat rem urgentibus calumniosis hominibus, nisi humanitas Imperatoris obstitisset. Tot malis, quum nemo non hostium etiam crudelissimorum exatiari potuisset,

issет, ipsi tamen effrontes insatiabilesq; permanent, sæuiuntq; denuo & in Ecclesiam & in Athanasium, ægre ferentes illius liberationem, ac proinde atrociora molientes, cupide ad nouas criminationes prosiliunt, nec timent illud quod in sacris literis scriptū est, Falsus testis impunitus non erit, & Os quod mentitur, occidit animam. Ideo fit, ut silentiū diutius retinere nequeamus. Admiramurq; eorum malitiam, & insatiabilē in insidijs struendis peruicaciam: Ecce enim nulla sumpta quiete rursus Imperatoris aures contra nos irritant, neq; usq; cessant literas parricidales scribere, quo Athanasium ipsorum hæresi aduersum è medio tollant. Siquidem iam denuo accusatrices literas contra Athanasiū Imperatoribus porrexere, iteratis calūnijs homicidia ei obijciētes, quæ nunq; facta sunt, ac denuo illum coniurationibus suis opprimere student: imputatis cædibus quæ nunq; factæ sunt, & fortasse tunc eum calumnijs suis interfecissent, nisi humanum principem nacti fuissemus, eundemq; denuo, ut quod minimum malorum referamus, in exilium protrudere satagunt, & ob id calamitates exulum quasi ab eo factas se deplorare simulant, quum reuera plorent, nihil à nobis tale designatū esse: neq; priores in illum iniuriæ ipsorum animis sufficiunt, sed noua & atrociora illis accumulata uolunt, homines scilicet admodum mansueti & moribus æquis, uel quod uerius est, improbi & perq; acerbi, qui terroribus & minis potius, q; pietate & æquitate, quod Episcopos decet, ad pœnas deproperant. Tot enim cædes, hominumq; mactationes, quas ne prophanus quidem homo & curiosus & consectator criminum in calumnijs diceret, ea ipsi effundere minime ueriti sunt, non solum apud præsidem aut aliū quemuis magnum uirum, sed & apud tres Augustos, neq; in eam rem longitudines itinerum illis graues fuere, dum modo omnia maiora tribunalia calumnijs implerent: calumnia enim est quam tentāt, eaq; grauissima, & maxime omnium capitalis, idq; in summis omnium rerum humanarum tribunalibus. Quis em̄ alius istius quæstionis finis, nisi ut mors Ecclesiastico tumultu inferatur? Non igitur Athanasij, sed illorū acta luctum lamentationemq; merentur, ipsosq; rectius deploratos habueris: in ipsos enim ploratus congruit: Siquidem scriptum est, Ne defleas mortuum, neq; lugeas, sed cōplorate cōploratione egredientē, quia non amplius reuertetur. Tota enim eorum accusatrix epistola nihil aliud nisi necem spectat, aut necem moliuntur, si ipsis liceat, aut saltem exules facere, quod & impetrauerunt ab religiosissimo Cæsarum patre, qui iras suas offensasq;, quum supplicīū capitale poscereturexilio damnatorum expleuit. Ista opera ethnicorum sunt, & non uel tenuiter Christianorum, & minime omnium Episcoporum, quos alijs iusticiam cōmonstrare oportuit, idq; uestram arbitramur in Christo conscientiam bene & luculenter perspicere. Qui enim alios ab accusando deterrent, illi ipsi accusatores cōspectui Imperatoris sese præbuerunt: aut cur qui alios calamitates miserorum lachrimis prosequi oportere docēt, ne ab exilio quidem nostro se quieti tradunt? Publica enim omnium Episcoporum profligatio ex suis sedibus exterminatioq; facta est, qui ut nos antea pro exulib. habuerunt, ita nunc cum Athanasio patriæ redditi pro superioribus doloribus lachrimisq;, quibus eius uicem miserabamur, maximam uicissim hi- Eccl. 22

laritatem & gaudium recepimus, quod utinã Dominus, ne ab Euſebianis ſubuertatur, nobis incolume ſeruet. Iam ſi Fides in criminibus quæ obiecere, fuiſſet, hoc ipſum tamẽ crimino ſum eſt, quòd contra ſtatuta Chriſtianorum, poſt acerbitatem exiliorum, aliarumq; calamitatum denuo inuadunt, cædes hominum, ſtragesq; obiicientes, & huiuſmodi criminationibus imperatorias aures obtundunt. Iam quũ omnia mentiantur, nihilq; niſi calumnias adferant, nec in ore, nec in eorum literis quicq; ſit ueri, q; multiplex putas in hoc conatu ſcelus, & q; ſcelerati illi haberi debeant? Rem igitur aggrediemur, eorumq; calumniis occurremus. Nam hinc quoq; priora illa quæ uel de Synodo uel de iudicio habito iactitant, non recte facta eſſe, imò falſa eſſe cõprobabuntur, ipſis interim denuo ea de cauſa condemnandis. Pudet nos certe iſtius defenſionis, uerũ quia temerarii noſtri criminatores ad omnia calumnianda ſe promptos offerunt, & quia poſt Athanaſii ingreſſum, cædes & homicidia obiiciũt, neceſſum eſt noſtri excuſationẽ, tametſi prolixiuſculã, quia res ita cogit, cum uenia audiatis. Cædes omnino nulla neq; ab Athanaſio, neq; per Athanaſium cõmiſſa eſt, quapropter quum ad hanc inexpectatam defenſionem aduerſariorum iniquitate propellamur, nonnihil indulgendum eſt neceſsitati excuſationis. Cædes igitur & uincula aliena ſunt à noſtra Eccleſia, carnifici neminem unq; Athanaſius dedidit, neq; carcerem quantum in ipſo fuit, uinctis tradendis fatigauit. Sacraq; noſtra ut in præſentia, ita etiã ſemper pura innocentiaq; fuere, non niſi Chriſti ſanguine, eiusq; cultu ſanctificata, neq; presbyter neq; diaconus ab Athanaſio interfectus eſt, neq; cædem ulli aut exilium irrogauit, utinam illi qui ueram perſecutionem induxerunt, nihil tale contra eum perpetraſſent. Nullus emi opera eius patria excidit: ipſe aũt ab iſtis in exilium actus eſt, quem nunc iterum quia ab ea relegatione liber demittitur, grauioribus criminibus repetentes, linguam ſuam ad omnia falſa & crudelia exacuunt. Quinimo iudicum acta & damnatos à præfecto, ut ipſi in ſuis ſcriptis fatentur, ad Athanaſij culpam transferunt, adeo nihil illos pudet: ſæuitiæ Athanaſij imputant, quum Athanaſius per id tempus nondum Alexandriam ingreſſus fuiſſet, & per Syriam in itinere ab exilio reuerteretur. Quod ſi longinqua abſentia excuſationem adfert, ne quis reus habeatur, quin præſes aut præfectus Ægypti aliquid facit, quid Athanaſio remotius à crimine, qui ſi uel in ipſa Alexandria fuiſſet, quid tamen illi quæſo cum negociis præfecti? Atqui in illis locis non erat, neq; ad ea quæ acta ſunt à præfecto res eccleſiaſticæ occaſionem dederunt, ſed unde id natum ſit, ex monumentis actorum intelligetis, quæ nos cognitis illorum ſcriptis, & re perq; diligenter explorata ad uos tranſmiſimus. Igitur quum & nunc, ea quæ neq; ab eo, neq; per eum facta ſint, quaſi facta ſint, occlament, & tot teſtibus ſe certiores factos uideri uelint, optarim mihi indicarent cuius Synodi actis, argumentis ue aut indicijs rem ita ſe habere didicerunt. Quòd ſi nihil tale pro ſe habent, temereq; omnia affirmant, ueſtris animis cogitãdum relinquimus, quid & prius factum ſit, & nunc factum eſſe ab iſtis fingitur. Nihil enim aliud ueſtris animis apparebit quàm calumnia, & defendendæ impietatis contra pietatem rabioſus furor, & ob id unum agi, ut tollantur è medio Orthodoxi, quo iam inde

cum

cum ſecuritate prædicēt quicquid libuerit impietatis patronis. Et certe rem ita ſe habuiſſe comperietis. Quum enim Arius unde Ariomanitarū hæreſis conflata eſt, ab eccleſia per beatum Epiſcopum Alexandrum eiectus eſſet, Euſebiani diſcipuli pariter & ſocij impietatis, ſemetipſos eiectos eſſe arbitrantes, multis adhortationibus Alexandro ſcripſerunt, ne Arium extra Eccleſiam relinqueret. Alexandro aūt ob pietatem in Chriſtum, hominem impium non recipiente, in Athanaſium eius diaconum iras auertunt, & quia eum aſsiduum eſſe apud Alexandrum, & in precio haberi curioſe animaduerterent, & quia iam antea eius pro Chriſto pietatem in Synodo Nicenſi, ubi cum magna libertate contra Arianā hęreſim diſſeruerat, experti eſſent, in grauiſsimum odium exarſerunt: ubi autē Deus eum ad Epiſcopatū prouexerat, ueterem iam olim malitiā refouentes, ueriti illius orthodoxā mentem, & in reſiſtendo contra impietatem robur, conſcientia uecordes omnibus rationibus cōiurationes in eum coquebant, princepsq; hac in re Euſebius fuit, conſcientiæ ſuæ furijs agitatus præceps. Cæſarē igitur contra Athanaſium irritant, & Synodos minantur. Poſtremo Tyri in concilium coierunt, adeo ut ne nunc quidem contra eum ſcribendi ocium admittant prorſus implacabiles, & quorum querelis nunq; ſatisfacias, ut qui conſtitutionē Epiſcopatus Athanaſij tanq; nō legitime celebratam cauillationibus arrodant, nuſquā non homini infeſti, ut ſaltem mendacijs eum infamem reddāt, quæ tamē nunc ex priorum mendaciorum uanitate falſa eſſe deprehendun tur. Aiunt igitur poſt obitum Epiſcopi Alexandri, quum pauciſsimi eſſent, qui Athanaſij mentionem facerent, ſex aut ſeptem Epiſcopos clanculum & in loco obſcuro eum in præſulem elegiſſe. Hæc eadē illi, quibus nullū mendaciorum genus reformidandum uidetur, Imperatoribus ſcripſere. Nos autem contra, cum tota ciuitate & uniuerſa prouincia teſtamur, omnem multitudinem populumq; catholicæ Eccleſiæ in unum coactum, quaſi in ſpecim unius corporis & animæ, clamoribus uociferationibusq; poſtulaſſe, Athanaſium Eccleſiæ Epiſcopum dari, idq; publicis uotis à Chriſto expetiſſe: nosq; ut faceremus, per multos dies ac noctes iureiurando obteſtatos fuiſſe, cū interea nec ipſi ab Eccleſia diſcederēt, necq; nobis diſcedēdi facultatem permitterent, hoc noſtrum totiusq; ciuitatis & uniuerſæ prouinciæ teſtimonium nec mali quicq; de eo quod ab ipſis fit, pronūciamus. Sed optima quæq; prædicamus, bonū illum eſſe, religioſum, Chriſtianum, deuotarium, & uerè Epiſcopum. Porro quod noſtrum plericq; ſub omnium oculis acclamationibusq; Athanaſium Epiſcopum creauerint, nos ipſos in teſtes offerimus, quibus ut authoribus creationis, maior q; iſtis qui & tunc aberant & nunc mentiuntur, fides haberi debet, quanq; nihil ea re impeditus Euſebius creationem uituperat, homo qui ipſe prorſus Epiſcopus creatus nō eſt, aut ſi unq; ius Epiſcopi habuit, id ipſum reſcidit, ut qui principio Beryti pro Epiſcopo egerit, relictoq; Beryto Nicodemiā ſe tranſtulerit, illam quidem cathedram præter leges deſtituens: iſtam uero nulla lege inuadēs, proprij gregis ſine ulla charitate deſertor, & alieni nulla rationabili cauſa occupator, prioris Epiſcopatus charitatem alieni cupidine aſpernatus eſt, nec tamē illū ipſum Epiſcopatū quē tanta auiditate occupauerat, reſeruauit:

Ecce enim iam denuo inde desiliẽs, alienum Episcopatum arripuit, semper aliorum ciuitates oculis per inuidiam adiectis oblimat atq; arrodit, persuasus in magnitudine urbium religionem esse sitam, & sortem Dei, secundum quam constitutus ordinatusq; est, pro nihilo ducit: ignarus scilicet, Dominum, ubi duo aut tres in eius nomine congregati fuerint, in medio esse, nec secum recogitans dictum illud Apostoli, quo profitetur se in alienis laboribus non gloriaturum, neq; præ oculis habens illius præceptum, Alligatus es uxori, ne quære solutionẽ: quòd si hoc de uxore dictum est, quanto magis de ecclesia, atq; adeo de Episcopatu, cui cum quis alligatus est, aliũ quærere non debet, ne adulter in sacris literis deprehendatur. Horum sibimet ipse conscius, ausus est tamen creationem Athanasij omnium eulogijs contestatam calumniari, nec ueretur ei obijcere eius dignitatis exauctorationẽ, ipse interim maxime exauctoratus, ut qui suæ exauctorationis testimoniũ & argumentum in ipsa sui constitutione ostendat. Qui igitur ipse & Theogonius potuerunt alios deponere? ipsi depositi & exauctorati, & uitio suæ creationis famosi? Bene siquidem cognitum habetis, Amphionem Nicomediæ, Chrestum uero Niceæ, in eorum locum, ob impietatem, & communionẽ, quam cum Arianis à Niceno concilio reprobatis, habuerant, Episcopos constitutos esse. Hanc igitur Synodum perditam cupientes, suum iniustum conciliabulum, Synodum uideri student, & Nicení concilij decreta, irrita, sua autẽ rata uolunt: Et Synodi uocabulo uti audent, qui tantæ Synodo non obtemperant. Nihil illis Synodi curæ sunt, sed inanem speciem Synodi prætexunt, ut sublatis Orthodoxis uiris, ea quæ ueræ & magnæ Synodo de Arianis statuta sunt, demoliantur, interim tamẽ illi Arianos & semper antea, & etiam nunc in præsentia patrocinio suo tegentes, contra Athanasium Episcopum mendacia fingere non reformidant: prorsus enim eiusdem uanitatis sunt cum superioribus, quę nunc fingunt, fuisse scilicet in Athanasij introitu seditiones, luctus, populorumq; lamẽtationes, indigne ferentium illius creationem. Nihil ibi tale contigit, sed potius omnia contraria, gaudia scilicet, animorumq; alacritates, & populorum desiderio uidendi hominis accursus, ubiq; per Ecclesias lætitiæ & gratulationes ad Dominum. Ministri aũt & clerici ita eum intuebantur, ut & animis gaudium conciperent, & illum diem omnium faustissimum arbitrarentur: nostrã autem, qui Episcopi sumus, inenarrabilem lætitiam, quid opus est scribere, quum iam antea testati sumus, quicquid ei acciderit, nobis uideri accidere? Iam cũ ipsi in re confessa certaq;, cõtraria dicant, quam fidem merebitur illorum siue concilium siue Synodus, quam pro se tantopere iactitant? Qui ita insultantq; actis, quæ nec uiderũt, nec iudicarũt, nec interfuerunt, tanquam maxime earum rerum conscij, idq; scripto protestantur, quomodo ipsi in suis actis, ob quæ se conuentus habuisse dicunt, graues uericq; haberi poterint, ut non credas etiam ista ab illis itidem ut illa per odium simultatemq; instituta fuisse? Quis enim ibi conuentus Episcoporum, aut cõsessus ueri studiosus? Quis non ex plerisq; noster inimicus? Nónne Eusebius, Eusebianiq; studio Arianismi ad id concilium perrexerunt, reliquis eiusdẽ secum sententiæ adductis? Nónne & nos contra eosdem homines eo nomine

mine quòd Arianicæ opinionis essent, scripta euulgauimus? Nónne Eusebius Cæsariensis de immolatione idolorum à nostris confessoribus accusatus fuit? nunquid non de Georgio probatum fuit, eum ab ordine sui sacerdotij à beato Alexandro reiectum fuisse? Nónne cæteri de alijs atq; alijs criminibus notam censuramq; passi sunt? Quo iure igitur isti cõtra nos Synodum ullam constituere potuerunt? aut qua fronte talem conuentũ, Synodum appellare audent, cui Comes præsedit? & ubi Spiculator apparebat? & Commentariensis siue Carcerarius pro diaconis Ecclesiæ aduentantes introducebat? ubi Comes uerba faciebat, cæteri præsentes in silentio erant, uel potius Comiti obsequium suum accõmodabant? ubi quod cõmuniter Episcopis placuit, ab illo impediebatur? Ille imperio utebatur, nos à militibus ducebamur, uel potius iussis Eusebianorum, sententijsq; ipse Comes inseruiebat. In summa dilectissimi, quę species ibi Synodi, ubi uel cædes uel exilium, si Cæsari placuisset, constituebatur? Iam si quid in accusando sit actũ, quæras, longe maiori admiratione capieris, Arsenium quendam occisum ab Athanasio criminabantur, & poculum mysticum fractum esse. At Arsenius iste in uita supereſt, & placet sibi de uestra cõmunione, neq; aliunde testimonia expectat, ut uiuus esse doceatur, sed ipse sese confitetur uiuere, idq; in literis suis ad Episcopum nostrum Athanasium perscripsit, quem isti Arsenij interfectorem asseuerabant. Nec puduit impios hominem tanta intercapedine locorum & itineribus terra mariq; disiunctum, ab eo occisum cõminisci, cuius per illa tempora locus, ubi agebat, nemini mortalium cognitus fuit, adeo ille nullo dum attactus malo ab accusatoribus celabatur, quem quoad licuit in alium orbem transtulerant occisuri eum libenter, ut homine uere extincto, Athanasium quasi de certa cæde conuictum occidere possent. Sed diuinæ hic prouidentiæ gratię agendę sunt, quæ nihil iniusti inualescere sinit, Arseniumq; sub omnium oculos uiuum produxit, dilucidè sua præsentia calumnias eorum & figmẽta retegentem. Qui nos nequaq; ut interfectores suos auersatur, aut ut iniurioſos odit: nihil enim mali à nobis passus est, sed nostræ cõmunionis auidus in nostro grege conuersari cupit, quod ipsius scripta declarãt: sed hoc nihil Athanasio profuit, qui oppressus calumnia quasi uerus homicida ab illis in exilium actus est. Non enim parens Imperatorum, sed horum calumniæ illum in exilium exterminauerunt. Animaduertite, quęso, num ita se habeat, ut dicimus. Quum nihil culpę in comministro nostro Athanasio reperirent, Comesq; summa ui imminens plura contra Athanasiũ moliretur: Episcopus Comitis uiolentiam fugiens, ad religiosissimum Imperatorem adscendit, deprecans & iniquitatem hominis & aduersariorum calumnias, postulansq; ut legitima Episcoporum Synodus indiceretur, aut ipse audiret suam defensionẽ. Imperator rei indignitate motus, scriptis suis accusatores citat, suamq; ipsius audientiã promittẽs, simulq; Synodum indici iubet. Eusebiani aũt ubi cõparuissent, nihil inter accusandum de obiectis Tyri criminibus meminere. Sed frumentum ab Athanasio nauesq; detentas calumniati sunt, eumq; gloriatum esse dixere, quod frumenti deportationẽ ex Alexandria Constantinopolim impedire posset. Hæc nonnulli ex nostris, qui in Synodo erant, ex Imperatore admi-

re admirationis pleno audierunt. Hic cum Athanasius ad tantas calumnias ingemisceret, affirmaretq; eas falsas esse, nec fieri posse ut homo priuatus & pauper tantum uirium haberet, Eusebius ne publice quidem detrectans calumniatoris munus, deierauit Athanasium perq; opulentum esse, & satis uirium & autoritatis ad ista omnia patranda habere, ut ita uerisimilior calumnia uideretur. Ad istum modum res actæ sunt per sanctos illos & ueerandos sycophantas Episcopos. Sed Dei gratia plus in hoc negocio ualuit, q; illorum scelerata malitia, quæ principis animum religiosum ad clementiam retraxit, ut satis haberet pro morte exilium irrogare. Horum omniũ malorum causæ non alibi, q; in illorum calumnijs consistunt, quorum dolos sutelasq; criminum Imperator antea scriptis suis cum execratione improbauit, calumniasq; detestatus Meletianos nefarios dirisq; deuouẽdos, aljsq; grauissimis nominibus in suo diplomate appellauit, ut qui grauissime ferret cædẽ hominis uiui obiectam esse, & de uiuente & incolumi homicidiũ fictum esse. Nos autem epistolam, ubi Imperator hæc scribit, isthuc aduos misimus. At præclari Eusebiani quo ueritatem scriptaq; sua obliterent, nomen Synodi suis actis prætexunt, quum res ipsa negocium Imperatorium, non Synodale haberi debeat, quippe ubi Comes præsideat, & milites Episcopos suo satellitio cingant, & Imperatoria edicta quos ipsi uolunt, coire compellant. Iam quæso uel hinc incredibiles eorũ insidias animaduertite, & quàm in audendo uarĳ sint & uersipelles, modo quacunq; ratione hominem è medio tollant. Si enim ueluti Episcopi sese iudices uolebãt esse, quid opus erat uel Comite uel militibus, aut edictis ad coeundum imperialibus? Quòd si Cæsare indigebant, & ab eo acta robur accipere uoluerũt, quo iure ipsi iudicium Cæsaris irritum fecere? aut qua de causa, quum Cæsar Meletianos & calumniatores & nefarios non sine detestatione, ob cædem de uiuo homine confictam: Athanasiũ uero innocentissimũ suis scriptis pronunciarit, ipsi Meletianos uerum dicere, & Athanasium reũ esse definiunt, nulla cum uerecundia hominem uiuum pro occiso imputantes? qui & quo tempore hoc iudicium Cæsar proferret, & quum ipsi ad sententiam cõflandam in unum coirent, nobiscum uiuebat. Hactenus de Arsenio. Poculum aũt mysticũ, quod, aut quo'nam in loco à Macario fractum est? id enim sursum ac deorsum obuolitantes iactitant. Atqui Athanasium, ne accusatores quidẽ ausi fuissent eius criminis incessere, nisi ab ipsis summissi instructiq; fuissent. Sed tamen illi summam eius criminis in Athanasium referũt, quod ne in Macariũ quidem, qui uictus non est, referri debet. Nec pudet eos coram catechumenis, & quod peius est, coram ethnicis ita de mysterijs tragicari. Quum oporteat, sicut scriptum est, mysterium regis celare, & ut Dominus præcipit, nõ esse sancta porrigenda canibus, neq; proĳciendas margaritas ante porcos. Non enim fas est mysteria gentibus prodere, ne per imperitiam ea subsannent, aut catechumeni per curiositatẽ scandalizẽtur. Sed tamen quo'dnam poculum, quo in loco, uel apud quos cõminuit? Meletiani scilicet sunt, qui hic se accusatores præbẽt, homines prorsus fide indigni, ut & schismatici, & hostes Ecclesiæ, neq; ĳ noui aut recẽtes, sed uetusti iam olim à temporibus beati Petri, cui insidias posuerũt, & Achillæ eius successoris,

soris, quem calumniati sunt, & Alexandri quem usq; ad tribunalia Cæsaris calumnijs persecuti sunt, & postremo ita meditandis criminibus exercitati Athanasium inuaserunt, nihil alienum à sua malitia facientes. Vt enim Athanasij antecessores, ita quoq; & ipsum Athanasium calumniantur, quorũ calumniæ antea inefficaces, nunc tandem successum habuere: ex quo Eusebia nos in gratiam Arianæ impietatis socios & patronos adepti sunt, pro qua tuenda ut in multos alios Episcopos, ita quoq; in Athanasium cõspirationes faciunt. Atqui locus ille, in quo confractum poculum iactitant, Ecclesia non erat, nec quisquã presbyterorũ ei loco uicinus, nec dies quo id factum à Macario uolunt, Dominica: quum igitur neq; Ecclesia ibi esset, neq; sacra fierent: neq; dies hoc ipsum requireret, quale aut quando, aut ubi mysticum illud poculum fractum est? pocula multa passim in ædibus atq; adeo in medio foro haberi nemini dubium, quæ collisa collidentem non impiant. Mysticum aũt poculũ quod impiũ eum reddit qui id ultro frangit, nusquã nisi apud legitimos Ecclesiæ præsides inuenias: hic enim unus usus est calicis, & præter eum alius nullus, eoq; solo uos legitimo ritu propinatis populo, cumq; uos pro canone Ecclesiastico accepistis, idemq; duntaxat penes eos habetur, qui Ecclesijs præsunt. Solum enim uestrum est propinare sanguinem Christi, & præterea nullius. Cæterum ut impius est qui hunc mysticũ calicem frangit, ita multo magis impius est qui sanguini Christi contumeliã facit: contumeliam autem facit, qui præter Ecclesiasticam institutionem calice illo abutitur. Et hæc quidem eò à nobis dicuntur, nõ quòd uel schismaticum poculum Macarius fregerit, sed quòd ibi omnino nullum fuerit: qui enim fieri potuit, cum nec ipse locus dominicus esset, neq; quispiam ibi Ecclesiasticus, atq; adeo ne tempus quidem mysteriorum ageretur? Presbyter aũt qui fingitur adfuisse, est ille toties rumoribus iactatus Ischyras, qui neq; ab Ecclesia electus est presbyter, neq; cum à Meletio constitutos presbyteros Alexander in Ecclesiam recipiebat, in eorũ numero unquã habitus fuit, aut ab eo creatus: quo pacto igitur presbyter Ischyras? aut quo tandem authore constitutus? nunquid scilicet à Colytho? id enim restat: atqui Colythum in gradu presbyterij mortuum, omnemq; eius manuum impositionem rescissam, omnesq; ab eo constitutos, in laicorum ordinem redactos esse & sub nomine laicorum ad Synaxim admissos, adeo apud omnes constat, ut nemo ea de re dubitandum putet. Quomodo igitur homo priuatus, & priuatas ædes inhabitans, poculum mysticum sibi concreditum habuit? Sed illi hominem priuatum presbyterum appellant, & in nostram iniuriam hoc nomen illi indiderunt, eidemq; pro mercede calumniarum ædificandæ Ecclesiæ potestatem cõciliarunt. Qui ergo per id tempus nullam habuit Ecclesiam, nunc ad compensationem sceleris obsequijq; in accusando præstiti, Ecclesiam accepit, forsitan etiã Episcopatu donandus: id enim passim iactitat, & minis fremit, talia proh dolor præmia deinceps per episcopos accusatoribus & sycophantis deferuntur. Neq; id immerito, quem enim administrũ suæ libidinis habuere, & eum ut rerum cõsiliorumq; socium, consimili Episcopatu dignum censuere. Obsecro igitur ut non hactenus tantũ, sed ad sequentia quoq; uos attentos præbeatis, ut eognoscere possitis quid

deinde

deinde ab illis factum sit. Impares ergo ueritati, quanq; se omnibus modis cõmunierant, eò quòd Ischyras Tyri pro calumniatore habitus nihil probare posset, & ipsa calumnia sua uanitate corrueret, iudicium causæ suspensum uoluere, donec de probationib. constaret: promittunt igitur se aliquot ex suis Mareoten amandaturos, qui rem curiose scrutarentur, quos uos euestigio multis de causis reñciendos docuimus, in primis q; & Ariani essent, & propter Arianismum nobis propalam infensi. Verum illi potentia Magistratuum freti, clam emittunt Diognium, Marim, Theodorum, Macedonium, annis ingeñjs q; putidos & uenales, his addunt Vrsacium & Valentem homines Pannonios, qui ab ultimis illis finibus Tyrum profecti sunt, ut sententiam in aduersarium dicerent, & post tantum itineris è Tyro Alexandriam contenderunt, nullo cum pudore, quòd se ex iudicibus testes facerẽt. Quin potius omnibus insidiandi rationibus propalã susceptis, quosuis labores itinera q; subiere, ut calumniã semel initã absoluerẽt. Hostes ergo Athanasij Athanasio peregre detento, Alexandriã in populũ Ecclesiã q; debacchaturi contendunt. Imo quod absurdius est, Ischyra accusatore secũ adducto Macarium reum custodijs Tyri inclusum non permiserunt in comitatu hærere, quem antea sub prætextu eius criminis sursum deorsum q; raptauerant. Soli igitur Alexandriam cum accusatore Ischyra ipsorum contubernali sodale compotore ingressi, assumpto una præfecto Ægypti Philagrio, in Mareotam abscedunt: atq; illic soli pro libidine sua cum Philagrio quæstionibus incumbunt, nulla permissa presbyteris adeundi facultate, quanq; id multis precibus requirerent: erant aũt illi qui hoc postulabãt, omnes tum Alexandrinæ ciuitatis tum uniuersæ prouinciæ presbyteri, petentes, ut sibi ostẽdere liceret, quos'nam testes Ischyras subornasset, & quale hoc hominum genus & ciuitates essent. Sacrorum igitur ministris exclusis, corã ethnicis hominibus quæstiones de Ecclesia, de calice, de mensa domini, de sanctis sanctorum habuere, & quod grauius est, Ethnicos in quæstione de mystico poculo in testes citauerũt, & quinam illud ab Athanasio rapuissent, Catholici interpellatione definierunt, nec puduit eos eorum testimonia coram se, & solo duntaxat præfecto recipere, qui unde gentiũ essent ignorabant, nec ueriti sunt eos dicere ab Athanasio occisos, quorũ testimonijs aduersum Athanasium abusi sunt. Quinimo necem Athanasio molientes, nouis mendacijs fabulam de ementita cæde Arsenij imitantur, eos q; qui uiui sunt, mortuos fingũt, & ut interfectos, qui adhuc supersunt, & hominum oculis in suis sedibus apparent, apud uos longe inde semotos miserrime deplorant, ut cum è longinquo petenda sint rerum documenta, nostrum in sacris ministerijs collegam Athanasiũ calumniari possint, quasi ui & potentia grassantem, quum ipsi per uim & potentiã omnia agant. Eadem enim denuo apud Mareotam, quæ Tyri designata sunt. Vt enim illic comes erat cum militari satellitio, nihil quod ipsis displiceret aut dici aut fieri permittẽs, ita quoq; & hic præfectus manu militari succinctus, omnes ecclesiasticos terrefaciens, nulli permisit ex uero testimonium dicere, & quod absurdius est, in ipsis ædibus accusatoris & cõmorabãtur & quæstionibus operam dandam, prout libuit, decernebant, eoq; tam ludices quàm testes, cæteriq;

cæteriq; eiusdem studij, uel quod uerius est, Eusebianæ factionis administri conueniebant. Quæ porro Alexandriæ ausi sunt, arbitramur uobis non ignota esse, quum ea ubiq; gentium fama diuulgata sit, strictos scilicet gladios in sanctas uirgines & fratres intentatos, flagella preciosis apud Deum corporibus incussa, pedesq; fustigationibus ad claudicationē illis mutilatos esse, quę mentem in castitate & in omnibus solidis bonis exercebant, calumnias quoq; ubiq; infestas fuisse: gentilium uulgus interim nudare corpora uirginum, uerberare, libidinari, & uirginibus aras idolorū, uictimasq; interminari, adeo ut homo quidā proteruus ueluti istiusmodi potestas iam deinceps concessa esset in gratiam Episcoporum, uirginem manu arreptā, ad altare quod forte obuium erat, protraxit, necessitatem sacrificādi & uim persecutionis repræsentans: inter hæc scelera, uirgines fugere, Ethnici Ecclesiæ insultare, Episcopis in illis ipsis ædibus, ubi ista perpetrabantur, uersantibus, in quorum gratiam uirgines miseræ strictos gladios, omnia genera periculorum, & quamlibet cōtumeliam & debacchationem experiri coactæ sunt. Et hæc quidem passi sunt ipso ieiunij die à coepulonibus Episcoporum, cum quibus conuiuiū agitabant, Episcopis intus epulantibus. Hæc cum futura prouideremus, nec uulgarem, sed quasi ex hostili incursu uastitatem, detrectaui fateor hoc genus ludicij: Ea res igitur quum Alexandri Thessalonicensis Episcopi animū permouisset, scripsit ad eos qui Tyri adhuc cōmorabantur, nihil nisi per coniurationē & calumniam cum Athanasio agi. Quòd si eum in suo grege adnumerent, sociumq; suæ factionis iacti tent, eo ipso uim suam in hominem, qua illi subscriptionē expressérunt, declarabunt, nec mirum quū ipse quoq; omnibus modis sceleratissimus Ischyras nō sponte, sed malo coactus prouincias nos reos faciēdi susceperit, pro documento sunt eius ad coepiscopum nostrum Athanasium epistolæ, quibus testatur nihil tale ibi actum fuisse, sed se subornatum esse, ut hæc fingeret, scripsitq; illa quum nec pro presbytero ab Athanasio agnosceretur, nec per gratiam eum titulum obtinuisset, nec ius ædificandæ Ecclesiæ pro remuneratione impetrasset, nec Episcopatum in mercedem expectaret, quæ omnia cōsecutus est ab Eusebianis ob operam suam calumniæ impensam. Atq; adeo eius cognati nobiscum semper cōmunioni coniuncti fuere, non facturi scilicet, si uel tantillum iniuriæ à nobis accepisset. Hæc non uerbis, sed re constare, testes sunt omnes Mareotæ presbyteri, qui comites Episcopo in obequitationibus & itineribus fuere, & qui tum contra Ischyram scripsere, quibusq; nec tum quum Tyrum uenissent, permissum fuit ueritatem loqui, neq; cum Mareotæ remanerent, concessum fuit ut Ischyrā calumniatorem refellere liceret. Exemplaria aūt literarum, tum Alexandri, tum presbyterorum, tum ipsius Ischyræ unà misimus, quibus adiuncta Epistola patris Imperatorum, in qua non solum calumniam de Arsenij morte confictā detestatur magna cum indignatione, quòd uiui hominis cædes imputata sit, uerumetiam in crimine mystici poculi ualde admiratur tam uersipellem & uagam calumniandi incōstantiam, q; nunc Macarium presbyterum, nūc Athanasium Episcopum de calice cōfracto incusarint, ac proinde re cognita Meletianos iterum calumniatores, Athanasiumq; uero innocentissmum

pronunciat. Qui quæso non pro calumniatoribus Meletiani haberi debeant, & inter Meletianos præcipue Ioannes: qui ubi ipse suam de calice confracto sycophantiam agnouisset, ac proinde in cõmunionem à nobis receptus esset, animaduertens Eusebianos studijs animisq; cum Meletianis coire, cõmunemq; factionem alere, ita tamen ut illos propalam adiuuare nollent, sed alias ad id personas rerumq; prætextus quærerent, obtulit illis suã ueluti in scena histrionicam operam ad eam fabulam agendam, cuius argumentum erat Arianorum Agon. primæ aũt partes dramatis, Arianorũ successus, assutela uero & appendix Ioannes cum suis gregalibus, ut Arianorũ studiosi sub istiusmodi occasione & specie iudicij, aduersarios impietatis è medio tollerent, & impietatem in locum pietatis inducerent, Arianosq; in Ecclesijs locarent, quo illi qui pietatem exterminatam cuperent, per impietatem rerum potiri possent, & ij qui partes impietatis contra Christum susceperant, hostes impietatis summouerent. Et iam calicem nobis proferunt confractum, ut uideatur Athanasius in Christum impius esse. At quæ cura mystici poculi ab illis expectanda est? aut unde impietatis in Christum antesignanus? ulla de mystico poculo religio? aut unde illis qui Christum non cognoscunt, poculum Christi cognitum habent? aut cur Domini calicem se in reuerentia habere simulant, qui Christum Dominum contumelia afficiunt? aut quónam pacto calicem deplorant, qui Episcopum mysteria sacraq; in eo facientem, occidere satagunt, & quantum in ipsis est, iam occiderunt? Aut quánam ratione delamentantur throni Episcopaliter stolati uicem, qui Episcopo in Throno sedenti, necẽ moliuntur, ut Thronus Episcopum desideret, & populi pia doctrina spolientur: uerum neq; poculum illos, aut cædes, aut ulla denique scelerum species quas prætexunt, sed sola Arianorum impietas huc adegit, in cuius solius gratiam, Athanasio & cæteris Episcopis, insidias faciunt. Atq; etiam nunc Ecclesiæ bellum inferũt. Age mihi ergo uideamus qui'nam habendi sint, quòd cædes & exilia faciunt, nónne isti ipsi? Age qui'nam secularium potestate ad insidias Episcoporum abutuntur? nónne Eusebius cum suis, & nequaq;, ut ipsi scribunt, Athanasius, quem cum alijs multis hoc genere calamitatis afflixerunt, & eodẽ tempore quatuor presbyteros Alexandriæ, quanq; Tyrum non uenerant, è finibus suis exterminauerunt? Age, qui'nam luctu & lachrymis digna perpetrarũt, nónne isti qui & prima ista designarunt, & secunda cum primis conferere non recusant, omnia calumnijs miscentes, ut Episcopum impiæ suæ hæresi non cedentem, è medio tollant? Hinc nimirum Eusebius cum suis infensas iras concepit, ob hoc Tyri species Synodi instituta est, eius rei gratia iudicia simulantur. Non alio scopo inaudita causa tanq; in re certa literę ab illis passim circũmissæ sunt, non alio scopo apud patrem Cæsarum, & apud ipsos religiosissimos Imperatores calumnias suas intentarũt. Verum quid obtrectationum passus sit Athanasius, sacrorum nobiscum cõminister, necessarium relatu est, ut uel hinc deprehendatis, nihil illos aliud nisi cædem uiri quærere. Frumentum dabatur à patre Imperatorũ in alimentum uiduarum partim Libycarum, partim Aegyptiarum, quod etiamnum accipiunt, Athanasio nihil inde nisi operam & laborem referente. Interim dum & illæ

percipe-

perciperent,nec ulla quærela esset,de non accepto alimento,idq; ipsæ confi terentur,accusatur per calumniam Athanasius, quòd uniuersum frumentũ diuenditum in suos usus sepositisset, certe hoc, Imperator istorũ calumnijs inductus, in suis literis conqueritur. Qui igitur calumniatores? nónne illi qui & primas illas calumnias texuerunt, & à secundis istis non abhorrent? Qui denicq; istarum literarum Imperatori authores fuere? nónne Arianorum fautores? qui nihil quod huic uiro noxam adferre posset, nec in dicendo,nec in scribendo subterfugiunt. Quis enim omissis tantorum malorum authoribus, in alios istam suspicionem deriuauerit? quum manifestissime eorum calumnia pateat ex studio ipsorum,quo ab Ecclesia frumentum abalienare & transferre ad alienos satagunt: quæ culpa eos potissimum authores principesq; habere uidetur,qui calumnijs apud Imperatorem depositis nihil recusarũt,quo uiro necem molirentur,& à clero Ecclesiæ alimenta auerterent, ut ea sine omni dubio hæreticis in prædam cedant. Misimus aũt ad uos testimonia cõministrorum nostrorum,qui in Libya, Pentapoli, & Aegypto degunt,ut etiam inde cognoscatis illorum in Athanasium sycophantias. Quod ideo faciunt,ut cæteris per metum,qui pię opinionis sunt, quiescentibus,impia Arianorum hæresis introducatur. Nos aũt uestræ prudentiæ gratias agimus dilectissimi,quod sæpius anathemate Arianos notastis,neq; illis locum in Ecclesia dedistis. In proximo aũt iam est,ut ex rerum documentis appareat, quales Eusebiani sunt. Ecce enim post prima eorum de Arianis scripta,quorum antigrapha ad uos misimus,aperte iam Arianos homines,atq; eo nomine,ab uniuersa Ecclesia anathemate cõdemnatos, cõtra Ecclesias irritant, Episcopumq; illis constituunt, diuulsis à se inuicẽ per metum Ecclesijs, quo illis ubiq; suppetant cooperatores suæ impietatis: ac proinde diaconos suos ad Ariomanitas legant, propalam cum Ariomanitis cõmunione sumpta, literisq; ultro citroq; missitatis,Ecclesiã in schisma conijciunt, eaq; passim scribunt, quæ & hæresim cõmendant, & Ecclesiam conuicijs lacerant, ut ex literis eorum ad Romanorum Episcopum, & fortasse ad uos ipsos scriptis deprehẽdere potestis. Quàm igitur ista inulta esse non debeant,etiam uos dilectissimi animaduertitis. Grauia enim sunt & aliena à Christi doctrina. Hac certe de causa in publico conuentu de concilio omnium has literas ad uos dedimus, quibus oramus uestram in Christo prudentiam,ut recipiatis hanc de Athanasio contestationem,& cõmercium,cõmunionemq; eius admittite,& zelũ indignationemq; contra Eusebianos,qui istiusmodi tentant,induite,ne diutius istiusmodi prauitas & malitia contra Ecclesiam inualescat,uos certe uindices huius iniustitiæ imploramus,citantes illud Apostolicum uerbum,Auferte mala ex uobis: mala enim reuera sunt & indigna cõmunione,quæ ab illis designantur. Ne igitur illis aurem præbueritis, si denuo ad uos contra Athanasiũ Episcopum scribant. Quicquid enim ab illis proficiscitur, falsum est, etiamsi nostra Aegyptiorum Episcoporum nomina epistolis suis asscribãt: certum enim est nõ nos eos esse, quorum nomina in scriptis subijciunt, sed Meletianos homines perpetuo schismaticos, qui etiam nunc Ecclesias turbant, & seditiones cõmouent, cõstitutionesq; absurdas, & propemodũ ethnicas faciunt,eaq; 1.Cor.5

designant,quæ quia abominamur scribere,ex nostris legatis,qui uobis hãc epistolam adferunt,cognoscere poteritis.Hęc quidem Aegyptij ad omnes & ad Episcopum Romanum Iulium scripsere. Quin & Eusebiani ad Iulũ literas misere,& ut nos terrerent,Synodum iusserunt conuocari,& ipsi Iulio,si uellet,arbitrium causæ detulerunt.Quum igitur Romam peruenissemus,Iulius continuo ad Eusebianos literas scripsit,missis eo duobus ex suis presbyteris,Elpidio,& Philoxeno,illi uero ubi nostrã Romæ præsentiam audiuissent,plurimum conturbati sunt,quòd contra spem eorum me Romam contulissem.reiecto igitur itinere,futiles inanesq; tergiuersando causificationes cõmenti sunt,eò quòd ingenti metu retinebantur,ne de ijsdem criminibus quę Valens & Vrsacius confessi erant,ipsi quoq; conuincerentur.Presbyter deinde Viton,plures Episcopos q; quinquaginta in concilium adduxit,ubi & nostra defensio recepta fuit,nosq; digni habiti sumus cõmunione & agape,magnaq; indignatio exorta est cõtra Eusebianos,quibus Iulium,quum ab eis literas acceperat,rescribere iusserunt.Scripsit igitur Iulius,& misit literas per Gabianum comitem.

EPISTOLA IVLII

IVLIVS DIACONO FLACILLO, NARCISSO, EVSEbio,*Mari,Macedonio,Theodoro,cæterisq; eorum qui nobis dilectissimis in Christo fratribus ex Antiochia scripserunt,* SALVTEM.

LEGI Epistolam uestram quam mihi mei presbyteri,Elpidius,& Philoxenus,attulerũt:miratusq; sum,quum à nobis ex uera dilectione & bona conscientia scriptum esset,cõtentiose à uobis, & nõ,ut decuit,rescriptum esse.Fastus enim & arrogantia scribentium in epistola apparebat. Atqui aliena sunt ista à fide in Christũ,decuit enim eum,qui cum dilectione ad uos scriberet,eandẽ uicissim dilectionem,non autẽ contentionem referre.Quidnam non dilectionis indicium erat,nos presbyteros misisse,qui cõpaterentur patientibus,& incitarent eos, qui iudicium scriptis postulauerant?ut præsto esse uellent,quo primũ omnia componerentur,& emendationem acciperent,ne diutius aut fratres nostri iniurias,aut uos calumnias pateremini? Nec scio cur uobis ita rem agere placuit,ut nos in hanc opinionem redigatis,ut arbitremur nos sub specie reuerentiæ pro ludibrio esse habitos,dictaq; uestra irridentium fuisse,quũ & presbyteros nostros ad uos missos,quos cum gaudio remissos oportuit, cum luctu remiseritis ob ea,quæ istic geri cõspiciebant.Ego certe cum literas uestras euoluerẽ,post uarias ultro citroq; cogitationes,eas supprimendas putaui,ea spe,quòd crederem saltem aliquos ex uestris aduenturos,nec opus fore istiusmodi epistolis,ne si illæ in publicum promerentur,multos hic dolore afficerent.Cæterum ubi nullus uestrũm superuenerat,necessum fuit ut eas proferrẽ.Credite mihi,omnes admiratione pleni uix induci poterant,ut crederẽt istiusmodi literas à uobis profectas esse,in quibus rixandi po-

di potius quàm charitatis affectus eminebat. Quòd si ambitione eloquentiæ ostentandæ, ita exceptæ sunt à dictatore, id certe studium ad alios spectat. In rebus enim Ecclesiasticis, nõ specimen eloquentiæ, sed canones Apostolici requiruntur, operaq; dari solet, ne quis ex paruis in Ecclesia scandalizetur: Expedit enim secundum Ecclesiasticum uerbum, molam asinariã suspendi à collo atq; ita demergi, quàm unũ ex pusillis scandalizare. Quòd si aliquibus in alios ob pusillanimitatẽ offensis (nõ enim omniũ talem mentem fuisse arbitror) istiusmodi epistolam scribi placuit, primum decuit neminem offendi, neq; solem occidere super huiusmodi offensis, certe eo res deduci non oportuit, ut offensiones suas scriptis proderent. Quid enim actum est dignũ offensa? aut qua in re uobis quibus scripsi, causam succensionis præbui? an quia adhortati uos sumus, ut ad Synodũ occurreretis? Atqui illud potius cũ gaudio excipi oportuit. Qui em̃ bene sentiũt de ijs quæ egerũt, & in quibus ipsi (ut aiũt) iudices fuere, nõ indignanter ferre solent, si q̃d ab ipsis iudicatũ est, ab alijs excutiatur, quippe qui securi sint, ea quæ ipsi iusta iudicauerũt, iniusta nunc̃q; fieri posse. Quocirca Episcopi in magna Synodo Niceæ cõgregati, nõ sine Dei consilio permiserũt prioris Synodi acta, in alia Synodo examinari, ut & illi qui iudices erant, præ oculis habentes secundũ de ea ipsa re iudiciũ futurũ, cũ omni diligentia causam expenderẽt, & illi qui sententiã acceperãt, certo agnoscerẽt, se nõ per simultatẽ priorũ iudicũ, sed iure & merito cõdemnatos esse. Quòd si istiusmodi consuetudo olim fuit eiusq; memoria renouata est, & scripto prodita in magna Synodo, eamq; apud uos ualere nõ sinitis, rem profecto indecorã facitis. Morem em̃, qui semel in Ecclesia obtinuit, & à Synodo cõfirmatus est, iniquum est à paucis abrogari, quin ne hoc quidẽ concesso quicq; æqui habet uestra offensio. Siquidem uestri legati, Macarius presbyter, & Hesiochus diaconus, nullo modo quum huc uenissent, pares presbyteris ab Athanasio missis, ac semper ab illis conuicti, refutatiq;, concilium indici postularunt, literasq; & ad Eusebianos, & Athanasium Alexandriam, quibus conuocarentur, mitti, ut coram omnibus iusto iudicio de causa cognosci posset: tum em̃ se de Athanasio probaturos esse, quod iam nequirent. Publice enim coram nobis Martyrius & Hesychius refellebantur, Athanasij presbyteris bona cum fiducia alacriter resistentibus. Martyrius uero cum suis, si uera dicenda sunt, ubiq; profligebatur, ac proinde concilium generale postulauit. Si igitur Martyrio & Hesychio nullam Synodum postulantibus adhortator fuissem, ut ad Synodum, qui ad me scripsissent, cõuocarentur, idq; in gratiam fratrum, qui se iniuriam pati conquerebantur, etiam uel ita æqua & iusta fuisset nostra cohortatio, quum ea sit & Ecclesiastica & Deo grata: iam ubi ijdem illi qui à uobis pro grauibus uiris & fide digni habiti fuere, authores mihi fuerint ut uos conuocarem, certe id à uobis ægre ferri non debuit, sed potius alacriter ad citationem occurrere. Quapropter indignatio eorũ qui hac citatione offenduntur, temeraria: & tergiuersatio sistendi se in iudicio, inhonesta & suspicioſa uidetur. An quispiam stomachari debet, si quę ipse fecit, ab alijs fieri uideat? Si enim, ut scribitis, inconcussam habet autthoritatem quælibet Synodus, & contumelioſe agitur cum Iudice, cuius iudi-

cium ab alijs examinatur, considerate quæso dilectissimi, quinam sunt, qui Synodum improbant, & qui aliorum iudicata rescindunt, ne singula excutiendo certos homines grauem. Certe id quod postremo gestum, quum sit horrendum auditu, sufficit ad cætera quę à me omittuntur, comprobanda. Ariani à beatæ memoriæ Alexandro quondam Alexandriæ Episcopo ob impietatem ad causam dicendam citati, nõ solum in eo iudicio à singulis ciuitatibus reijciebantur, sed ab omnibus simul qui ad Nicenum concilium coi erant, anathemate feriebantur. Nihil enim erat in illorum delicto uulgare, neq; in hominẽ peccauerant, sed in ipsum Iesum Christum Dominum nostrum Filium Dei uiuentis, ijdem tamen ita ab uniuerso orbe reiecti, & per omnem Ecclesiam famosissime notati, nunc denuo in Ecclesias (quod quidem triste uestris animis arbitramur) recipi perhibentur. Quinã igitur sunt qui Synodum uituperant, & trecentorum Episcoporum calculos pro nihilo habent, & impietatem pietati anteponunt, nisi Ariomanitæ ab omnibus ubiq; Episcopis condemnati & abdicati? Athanasius contra & Marcellus Episcopi plurimos habẽt, qui uerbis scriptisq; suis eorum innocentiã tuentur. Marcelli enim fides confessioq; Niceæ spectata est, quum Arianis contradiceret. ibidẽ quoq; Athanasij synceritas in tuenda fide spectata fuit, qui nec Tyri condemnatus est, nec Mareotæ præsens fuit, ubi contra eum absentem in lite processum est. Scitis aũt dilectissimi, monumenta actorum ubi una duntaxat pars adfuerit, nullarum uirium esse, & suspecta haberi. Nos tamen, quanq; ita actum esset, pro re certius cognoscenda, neq; uobis qui contra eum, neq; illis qui pro eo literas misere, præiudicium facientes, cohortati sumus omnes quotquot scripserant, ut præsentes se iudicio sisterẽt, quo omnia ad amussim, quia quàm plurimi pro utroq; scribunt, in Synodo examinari possent, ne uel innocens condemnetur: aut qui rei sunt, puri habeantur. Non igitur à nobis uilipenditur Synodus, sed ab illis qui quouis modo & temere Arianos ab omnibus condemnatos, cõtra sententiam eorum qui causam iudicauerunt, recipiunt, quorũ pleriq; soluti iam à corpore cum Christo uiuunt, alij adhuc in uita manentes indigne ferunt, sua iudicia ita à quibusdam rescindi. Hæc ita esse ex ijs quæ Alexandriæ acta sunt, deprehendimus. Nam Carpones quidam ab Alexandro ob Arianam hæresim cum quibusdam alijs eiusdẽ criminis reis olim citatus huc ad nos uenit, missus à Gregorio. Id ipsum quoq; ex Macario presbytero, & Martyrio, & Hesychio diaconis didicimus, qui anteq; iudicio se sisterent Athanasij presbyteri, authores nobis fuere, ut scriberemus Alexandriã cuidam Pisto, quo tempore etiam dum Athanasius Episcopus Alexandriæ uersabatur. Hunc aũt Pistum Athanasij presbyteri superuenientes docuerunt Arianum esse, & eo nomine, & ab Alexandro, & Synodo Nicena reum factum, gradusq; ordinis sui à quodam Secundo, quem magna Synodus, ut Arianum reiecerat, accepisse. Videtis igitur uel ex hac causa, qui potius in culpa habendi sunt, nos ne, qui persuaderi nõ potuimus, ut Ariano Pisto literas scriberemus, an illi qui mihi consilium dedere, ut contempto magno concilio, ad impios hæreticos ueluti ad pios homines literas darem. Certe Macarius presbyter, cum Legatus ab Eusebio uenerat, ubi audiuit Athanasij

presby-

presbyteros Pisto obsistere, nosq; eius præsentiam nõ admittere, unà cum Martyrio & Hesychio, q̃uis graui ualetudine de nocte profectus est, ut nõ inconcinnè diuinaremus eum impatientia refutati Pisti fugam arripuisse. Impossibile enim est Secundi ordinationẽ utpote Ariani, uim ullam in catholica Ecclesia habere: id enim uere ad Synodi, & ad Episcoporum, qui in Synodo fuere, contumeliam uergeret, si quæ illi tanto studio & cura, ueluti Deo præsente egissent, à nobis ut uana futiliaq; abrogarentur. Quòd si igitur (quemadmodũ scribitis) pro exemplis in Nouatum & Paulum Samosatensem editis decreta Synodorum obseruari oportet, certe minime oportuit calculos trecẽtorum Episcoporum irritos haberi, aut catholicam Synodum à paucis contemni. Æque enim, ut illi Ariani hæretici sunt, & calculi contra istos dati paris sunt momenti, cum calculis quibus illi damnati sunt. Tali igitur cõmissa audacia, qui'nam dicendi sunt flammã discordiæ accendisse, siquidem id nobis in uestris literis obiicitis. Nos scilicet discordiã induximus, qui cõpatimur cum patientibus fratribus, & omnia secundum canonem facimus? an qui contentiose uiolato canone trecentorum decreta præuaricantur, & per omnia Synodum contemptui habẽt? Quum non solum Arianos recipiant, sed iam in usu habeant de loco in locum ad Episcopatus capiendos transilire. Si igitur uere parem eundemq; honorem in omnibus Episcopatibus censetis esse, neq; ex magnitudine ciuitatum (ut uos scribitis) honorem eius rei crescere arbitramini, oportuit eum, cui concredita est parua ciuitas, in ea quæ credita est, permanere, & nequaq; reiecta concredita, ad eam quæ concredita non est, transuolare: ne eam quæ à Deo data est, aspernari, illam uero quæ hominum ambitu concessa est, magnifacere uideatur. Oportuit igitur uos dilectissimi huc accedere, & nequaq; tergiuersari, ut res ad finem deducatur: id enim ratio requirit. Sed fortasse dies constituti temporis breuior, q̃ par erat, impedimento fuit (nam huiusmodi in literis uestris querimoniam facitis) atqui illud dilectissimi, pro mera caullatione putandum est: Si enim aliquos in itinere dies oppressisset, arctitudo breuitasq; temporis accusari potuisset. Iam quum illi qui nec ipsi uenire uoluerunt, & presbyteros suos usq; ad mensem Ianuariũ, ne uenirent, detinuerunt, liquide apparet istam causificationem eorum hominum esse, qui sibi non satis confidunt: ueniissent enim, ut dixi, si de sua causa bene speras sent, non respectantes ad interuallum itineris, aut temporis constituti spacium, sed ex iure suo & rationibus fiduciã collegissent: esto ut tempus in causa fuerit, cur non uenerint: id enim quoq; in scriptis uestris significatis, quũ dicitis æquum scilicet fuisse, ut respectu tantorum temporum, quæ uenientibus ex Oriente necessaria essent, ueniendi citationem omitteremus. Si igitur, quia dies breuior fuit, iter omissum est, nequaq; oportuit ijs ipsis temporibus uos præbere authores schismatis, luctus & lachrymarum in Ecclesia. Iam qui talia agunt, ostendũt non tempora ipsorum profectioni, sed conscientiam obstitisse. Admiror quoq; eam partem epistolæ, & nescio quomodo hoc scribere potuistis, id uobis ægre esse, quòd Eusebio cũ suis duntaxat, & non itidem omnibus uobis literas scripserim, citius in hac expostulatione morositatem promptissimam, quàm ueri quid deprehendas. Ego

enim cum non aliunde literas contra Athanasium accepissem, quàm à Martyrio & Hesychio, necessario illis respondi, qui scripserant contra Athanasium. Oportuit igitur non solũ Eusebianos absq; uobis scribere, aut uos quibus non scripsi, non molestè ferre, si rescripserim illis qui mihi scripserant: nam si par erat ad uos omnes literas dari, par quoq; erat & uos unà cum illis literas mittere. Nunc aũt quod cõsentaneum erat respicientes, illis scripsimus qui nos certiores reddiderant, & literas misere. Quòd si id uos cõmouet, quòd illis scripserim, cõsequens est ut indignemini quoq;, q; illi soli mihi scripserint. Verum in hoc ipsa iusta & rationabilis causa est, dilectissimi, quam uobis intimandam puto. Nam tametsi solus sim, qui scripsi, non meã tamen solius sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Episcoporum scripsi. Ego aũt omnes nolui scribere, ne à multis onerarentur, certe ad constitutum tempus conuenere Episcopi, & eius sententiæ fuere quam uobis iterum significo, quapropter dilectissimi, etiã si solus scribo, scribere me tamen cõmunem omnium sententiam uos scire uolo. Hæc quidem à nobis aduersus non æquas uestrorum hominum, sed iniustas & suspectas causificationes dicta sunto Quòd aũt nõ temere aut iniuste susceperim in cõmunionem coepiscopos nostros, Athanasium, & Marcellum, etiam si prius dicta sufficiant, breuibus tamẽ ratio uobis istarum rerum demonstranda est. Scripsere prius Eusebius cum suis contra Athanasium, scripsistis & uos in præsentiarum, scripsere etiam plurimi ex Ægypto, & exalijs prouincijs Episcopi pro Athanasio: nam quod ante omnia obseruari oportet, literæ uestræ aduersus Athanasium inter se pugnant, & primæ cum secundis nullum concentũ habent, sed in plerisq; primæ à secundis destruuntur, & secundę à primis redduntur suspectæ, ex discrepantibus autẽ literis nulla certitudo constitui potest. Quòd si uestris literis fidem dari postulatis, æquum est & literis eorum qui pro eo scribunt, fidem non abnegare, & maxime, quòd uobis à patria eius longe distantibus, illi qui in ijsdem locis cum Athanasio degunt, ut de homine noto, rebusq; ibi gestis certiores, probum testimonium de uitæ eius innocentia perhibent, affirmantes eum non nisi confictis criminibus opprimi. Quin & Arsenius aliquando dictus ab Athanasio interfectus, quem iam cognouimus in uita esse, & cum Athanasio amicitiam fouere, is ipse affirmat, ea quæ acta sunt Mareotæ, in absentia alterius partis acta fuisse: neq; enim ibi adfuisse Macarium presbyterum, qui reatum sustinebat, neq; Episcopum eius Athanasium, & hoc non solũ ex uerbis eius, sed ex monumentis actorum per Martyrium & Hesychium allatis cognouimus: ea enim perlegentes, inuenimus accusatorem Ischyram ibi præsto fuisse: Macarium autẽ & Athanasium nequaq; adfuisse, neq; Athanasij presbyteros, quamq; hoc ipsum magnopere solicitantes, admissos esse. Oportebat aũt dilectissimi, siquidem synceriter illud iudicium agebatur, non solum accusatorem, sed & reum præsentem sisti. Et ut Tyri Macarius aderat reus, & Ischyras accusator, ubi nihil criminum docere potuit: ita quoq; in Mareoten non solum oportuit accusatorem, sed & reum quoque unà proficisci, ut uel præsens conuinceretur, uel si uictus non esset, appareret eum calumnijs petitum fuisse: iam cum hoc factum non sit, sed solum ibi

accu-

accusator steterit,cum ijs quos ut suspectos Athanasius reijciebat,actorum illorum monumenta suspicione carere non possunt. Addebat præterea in sua querela,eos qui Mareoten profecti sunt,se inuito eò profectos esse: misere enim eò (ut ipse dicebat) Theognium,Marium,Theodorum, Vrsaciũ, Valentem,& Macedonium, homines suspectos, neq; hoc ita esse solũmodo uerbis suis, sed literis quoq; Alexandri Thessalonicensium Episcopi demonstrabat:protulit enim epistolam illius scriptam ad Dionysium, qui in ea Synodo Comes erat, quibus Episcopus ille liquidò declarat, Athanasiũ calumnijs,& ipsius quoq; accusatoris Ischyræ cõiurationibus opprimi, ueram manum & authenticam protulit, in qua ille testatur Deũ omnipotentem inuocans, neq; calicis cõfractionem, neq; mensæ subuersionem ullam fuisse,sed se subornatum esse à certis hominibus, ut hoc crimen cõfingeret: deinde dum huc excurrissent Mareotæ presbyteri,affirmarunt, neq; Ischyram esse Catholicæ Ecclesiæ presbyterum,neq; tale quid cõmisisse Macarium,quale illi imputabat. Quinimo presbyteri & diaconi quum huc uenissent,non tenuiter sed prolixe testimonia dixere pro Athanasio affirmantes nihil eorum quæ illi obijcerẽtur,uerum esse, eumq; cõiurationibus premi, quin & Episcopi ex Ægypto & Africa in suis scriptis affirmarunt,constitutionem Athanasij in suscipiendo Episcopatu, legitimam & Ecclesiasticam fuisse,neq; cædem cõmissam, neq; quemq; per illum sublatũ esse, neq; poculum ullum confractum,sed omnia esse conficta. Et ex ipsis iudicijs in Mareota per absentiam alterius partis habitis, ostendebat Athanasius, unum catechumenum in examinatione sui dixisse,se intus cum Ischyra fuisse, quo tempore Macarius presbyter Athanasij eò,ut aiunt, se in eum locum immisisset,alios item examinatos pro testimonio dixisse,Ischyram in cellula parua latuisse,alios post ostium ægrotũ eodem tempore decubuisse, quo Macarius superueniebat.Ex istis rationibus Athanasij facile colligebamus,fieri non potuisse,ut qui morbo post ostium decumbebat, in sacris constiterit & oblationem confecerit,nec oblationem proponi potuisse, cum intus catechumeni uersarentur, quibus intus adhuc agentibus, tempus oblationis nondum esse potuit.Hæc ut iam exposui,pro se dicebat Athanasius,& rem ita esse ex actis declarabat,idem affirmantib.cæteris qui cum eo erant, prorsus nunq; Ischyram Ecclesiæ presbyterum fuisse, aut ut presbyterum synaxim cum alijs fecisse.Neq; enim quo tẽpore Alexander ex humanitate magni concilij,eos, qui erant ex schismate Meletij, recipiebat,hunc à Meletio tanq; suum nominatum fuisse affirmabant, quod ipsum maximum signum est, non fuisse illum ex numero Meletianorum: nam si Meletianus fuisset, omnibus modis illum in eorum classe recensuissent. Quin & alibi falsa dixisse Ischyram ex ipsis actis cõprobatũ est ab Athanasio, quippe qui in crimine de combustis libris falsi conuictus sit ab ijs quos in testes adduxerat. Quum igitur istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam iusta pro se adferret, quid quæso nos oportuit facere? an non quod Ecclesiastici canonis est? hominemq; proinde non condemnaremus, sed potius reciperemus? eumq; pro Episcopo,quemadmodum est,haberemus? Præter hæc omnia annum totũ & integros sex menses apud nos hæ-

sit,ue-

sit, uestram præsentiam expectans, aut quotquot cõparere auderent, suaq; præsentia pudefecit omnes: non enim iudicio stetissẽt nisi sui fiduciam habuissẽt, neq; sponte, sed literis nostris ad iudiciũ uocatus cõparuisset, quem admodũ uos per literas citauimus, & tamen post tanta argumenta nos ueluti insolitum quiddam agentes reprehenditis. Qui igitur sunt, qui contra canones agunt? nósne qui cum tantis rerum documẽtis uirum recipimus? an qui solum ad triginta sex suffragia eorum, qui Antiochię fuere, externũ hominem Episcopum salutarunt? eumq; militari manu Alexandriam deduxerunt, quod ne tunc quidem factum est, quum Athanasius in Galliam relegabatur, quod tum haud dubie factum fuisset, si pro uere damnato habitus fuisset: certe quum inde ab exilio rediret, etiam tum suam Ecclesiam, à qua recipiebatur, uacantem inuenit. Prorsus ignoro quanam ratione facta sunt, quæ facta sunt. Primum enim (si uerum dicendum est) non decebat, quum nos ad celebrandam Synodum literas mitteremus, aliquos præoccupare iudicium Synodi, deinde non decuit nouos istos modos contra Ecclesiam induci: ubi enim est istiusmodi Ecclesiasticus canon, aut istiusmodi traditio Apostolica? ut in pace agente Ecclesia, & Episcopis concordibus cum Episcopo Alexandriæ Athanasio immittere Gregorium peregrinum & externum hominem, neq; Alexandriæ baptizatum, neq; plebi cognitum, neq; postulatum à presbyteris, eumq; Antiochiæ creare Episcopum, atq; inde deducere Alexandriam, non cum presbyteris aut diaconis ciuitatis, non cum Episcopis Ægypti, sed cum militibus? Hæc enim dixere & conquesti sunt, qui huc uenerunt: Si enim post Synodum in culpa fuisset deprehensus Athanasius, non tamẽ oportuit creationem noui Episcopi ita illegaliter & præter canonem Ecclesiasticum fieri, sed in ipsa Ecclesia, & ex ipso sacerdotali ordine, & ex ipso clero eius prouinciæ Episcopos constitui, & nequaq; ex illis qui nunc Apostolorum canones uiolant. Age si in quenq; uestrum id cõmissum esset, nónne uociferaturi essetis? nónne uindictam, quasi uiolatis canonibus, postulaturi fuissetis? Dilecti credite, tanquam Deo præsente, cum ueritate loquimur, quod loquimur. Nõ est istud pie factum, non ex iure, non Ecclesiasticè. Quinimo quæ ferũtur acta in introitu Gregorij, ostendunt qualis fuerit ordo in eius ordinatione: temporibus enim ita pacatis, prout renunciant qui inde ueniunt, & quemadmodũ Episcopi scribunt, ipsa Ecclesia incẽdium passa est, uirgines denudatæ, monachi conculcati, presbyteri, & multi ex populo indigne habiti, & uiolati, Episcopi in carcerem detrusi, multi item spoliati. Sacra mysteria de quibus incusabant Macarium presbyterum, ab ethnicis direpta, & in terram abiecta sunt, ut ui cogerent nonnullos, ad constitutionem Gregorij approbandã. Hæc & istiusmodi ostẽdunt, quinã sint canonũ præuaricatores. Nam & si legitima fuisset eius constitutio, non tamen cum præuaricatione legũ coegisset eos sibi obtemperare, qui ei legitime obaudiebant. Et tamen cum talia scelera designata sint, scribitis magnificam pacem Alexandriæ & per Ægyptum fuisse, quasi res officium q; pacis in contrariam iam significationem abierit. Illud quoq; necessarium existimaui quod uobis indicaretur, Athanasium affirmasse, Macarium sub custodia militum habitum esse, & solum

accusa-

accusatorem unà cum illis qui Mareoten proficiscebantur, abijsse, & presbyteris rogantibus, ut in quæstione adesse liceret, pernegatum, & quæstionem habitam fuisse de calice & mensa in præsentia præfecti & eius cohortis, assistentibus tũ Ethnicis, tum Iudæis. Id principio nobis incredibile uidebatur, nisi ex ipsis actorum monumentis demonstratum fuisset, certe nobis magnæ admirationi fuit, ut etiamnũ uobis esse puto. Atqui ne presbyteris quidem adesse permittitur in mysterijs, quum tamen ipsi quoq; sacrorum administri sint. Iam quis nõ execretur sub externo iudice præsentibus catechumenis, & quod peius est, Ethnicis & Iudæis Christianismum blasphemantibus, quæstionem de sanguine & corpore Christi haberi? Nam si omnino delictum aliquod perpetratum fuisset, oportebat de eo in Ecclesia inquiri sub legitimis clericis. De Marcello aũt postquã de illo quoq;, ut impio, in Christum perscripsistis, uobis studui significare, eum cum huc uenisset, affirmasse falsa esse quæ de se in literis uestris scripta essent, sed tamen cũ à uobis postularetur, ut de fide diceret, tanta cum fiducia per se respondit, ut nemo non perciperet, eum nihil à ueritate profiteri alienũ, sed eadẽ cum pietate qua Ecclesia de Domino ac Saluatore nostro sentire, neq; iam tantũmodo, sed etiam olim huius sententiæ se fuisse confirmabat, uti & nostri presbyteri, qui tunc in Niceno concilio aderant, de ipsius recta fide cõtestabantur: Nam & eum tunc quoq; in sententijs dicendis dimicasse cum Ariana hæresi, testes fuere, cuius quoq; uos admonitos uelim, ne quis talem hæresim approbet, sed abominetur ut alienam à sana doctrina. De uiro igitur quem reiectæ opinionis & synceræ religionis esse, testimonijs approbatum est, quid quæso nos facere oportuit? anne ut eũ pro Episcopo haberemus, quemadmodũ habemus? an potius à cõmunione repelleremus? Hæc quidem ego non tanq; eorum causam agens scribo, sed ut & uobis fidem facerem, uiros istos iuste & canonicè à nobis receptos esse, & uos minime habere causam litigandi: par aũt est ut studium adhibeatis, & omnibus modis elaboretis, ut quæ contra canonem acta sunt, emendationẽ accipiant, & Ecclesiæ pacem habeant, ut Christi pax nobis data permaneat, & non scindatur Ecclesia, ne uos eam culpam ueluti schismatis authores sustineatis. Dico enim, & plane protestor, ea quæ à uobis acta sunt, nõ esse pacis sed schismatis. Non enim solum Athanasius & Marcellus, Episcopi, cum querimonijs de illatis iniurijs, sed & plurimi alij Episcopi ex Thracia, Cœlosyria, Phœnicia, Palæstina huc cõuenere, presbyteri item nõ pauci, partim ex Alexandria, partim aliunde huc ad concilium occurrerunt, & coram omnib. Episcopis ibi congregatis, inter reliqua dicta sua conquesti sunt, uim & iniuriam Ecclesijs illatas esse, suasq; Ecclesias eadem, quæ Alexãdrina, passas esse, & in alijs Ecclesijs similia designata. Ex Ægypto aũt & Alexãdria quũ denuo superuenissent presbyteri, literas secum attulere, quibus plurimorũ Episcoporum & presbyterorum querimonia continebatur, se, quum huc ad concilium pergerent, detentos fuisse, atq; etiamnum detineri. Et quemadmodum post Athanasij exilium contigit, Episcopos homines confessores flagris cõscindi, alios in carceribus haberi, præsulesq; longissimi in suo Episcopatu temporis publicis ministerijs mancipari, & fere omnes clericos

& po-

& populos Ecclesiæ Catholicæ insidijs appeti, & persecutionē pati: quosdam item Episcopos & fratres finibus suis eiectos esse, nulla alia de causa, nisi ut inuiti cogerentur cōmunicare cum Georgio & Arianis: & Ancyræ quæ in Galatia est, non pauca aut parua designata esse, sed prorsus eadem cum factis Alexandrinis. Audiuimus etiā ista ab alijs, & Marcellus quoq; Episcopus rem ita esse suo testimonio confirmabat. Hæc & huiusmodi crimina contra quosdam ex uestris (ut nomina eorum omittam) hi qui huc uenerunt, detulere, quæ ego ascribere subterfugi, & fortasse ea ex alijs, quænam sint, resciueritis. Et hæc potissima mihi scribendi causa fuit ut huc ueniretis, quo uobis præsentibus, omnia corrigi & sanari possent, ac propterea alacrius à uobis & sine recusatione occurrendum fuit, ne qui hactenus infamia istorum scelerum laborant, contumacia non cōparendi in iudicio, libellos contra se datos, uideantur refellere non potuisse. Quum igitur talia rumoribus famaq; circūferantur, tantasq; iniurias Ecclesiæ patiātur, & istiusmodi insidijs uexentur, uti affirmauere, qui hæc renūciabant, qui nam quæso sunt, qui flammam discordiæ accendunt? nósne qui ista dolemus, & patientibus fratribus cōpatimur? an illi qui hæc scelera designant? Miror autē quum tantæ ac tales turbationes sint in singulis Ecclesijs, ut non alia de causa iter susceperint, qui ad concilium uenere, uos interim scribere concordiā in Ecclesijs fuisse, quum istiusmodi facta, non ad ædificationē Ecclesiæ, sed ad subuersionem fieri solent, & qui istiusmodi rebus oblectantur, non sunt pacis filij, sed perturbationis. Deus aūt noster, nō est perturbationis, sed pacis Deus. Quapropter quemadmodū conscius est Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, hæc putaui necessaria esse, quæ uobis scriberentur, tum ut parcerem uestræ existimationi, tum quia optarem Ecclesias non in perturbatione esse, sed secundum canones Apostolorum regi, & ut nunc tandem pudefaceretis illos, qui ob mutuum inter ipsos odium ita Ecclesias uexant. Audio paucos esse istorum malorum authores, quapropter operam date, ut habentes uiscera misericordiæ, corrigatis ea, quæ (ut dixi) contra canonē facta sunt, ut si quid uitij anteuertit, id uestro studio emendetur, & ne mihi scribatis, quòd Marcelli & Athanasij cōmunionem potius, quàm uestram præoptauerim: nam hæc non pacis sed contentionis & odij fraterni argumenta sunt. Atq; ideo superiora scripsi, quo certiores facti, eos non iniuste receptos esse, desisteretis ab huiusmodi iurgio, qui si à uobis hic cum cæteris congregatis in iudicio conuicti fuissent, neq; probas rationes pro sui defensione habuissent, recte nobiscū in scriptis uestris expostulassetis. Postq; aūt, ut dixi, canonice & nō iniuste cum ijs fouemus cōmunionem, obsecro uos per Iesum Christum, ne sinatis discindi membra Christi, neq; præoccupationibus fidem habete, sed Domini pacem anteponatis: non enim ius aut fas est, ob paucorum degeneres animos, eos abijci, qui cōdemnati nō sunt, aut Spiritum Domini contristari. Quòd si creditis posse quædam illis obiecta ostendi, & coram in facie redargui, ueniant qui uolunt: nam & sepa ratos esse & probaturos dicunt, quæ denunciauerūt. Certiores igitur nos dilectissimi de ea re facite, quo & illis scribamus, & cæteris itē Episcopis qui huc debent conuenire, ut coram omnibus qui culpæ obnoxij sunt, cōdemnentur,

rentur,& ne ulterius perturbatio in Ecclesia fiat: sufficiunt enim quæ facta sunt, sufficit quoq; in præsentia Episcoporum, Episcopos in exilium actos esse: de qua re non est prolixior sermo habendus, ne grauari uideantur, qui tum adfuere. Nam si uerum est dicendum, minime decuit eousq; procedere, aut eousq; euadere istas animorum degeneres pusillanimitates. Esto ut sint Athanasius & Marcellus (ut scribitis) translati è suis sedibus, sed quid de alijs dicas, qui ex diuersis locis tum Episcopi, tum presbyteri, quemadmodum dixi, huc uenere? Nam & isti se denuo abreptos & istiusmodi passos esse dixerunt. O dilecti, non iam ulterius Ecclesiæ iudicia secundum Euangelium, sed uel ad exilium uel ad mortem instituuntur. Nam si, ut dicitis, omnino in culpa fuerunt, oportuit secundum canonem, & non isto modo iudiciũ fieri, oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod iustum esset, decerneretur. Episcopi enim erãt, & non uulgares Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quam ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur & in primis de Alexãdrina ciuitate nihil nobis scribere uoluistis? an ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc, quod iustum est, definiri posset? Quapropter si isthic huiusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc aũt nos, quos certiores minime fecerũt, postq; iã egerint, quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse uolunt. Non ita se habent Pauli ordinationes, non ita Patres docuerũt, sed fastus iste & nouum studium est. Obsecro uos cum alacritate audite, pro publico bono ista scribo: Quæ enim accepimus à beato Petro Apostolo, ea uobis significo, non scripturus alioqui, quæ nota apud uos esse arbitror, nisi facta ipsa nos cõturbassent. Episcopi abripiũtur, & suis è sedibus propelluntur: alij uero aliunde in eorum loca reponuntur, alij uero insidijs appetuntur, ut subditi & de abreptis doleãt, & à summissis uim patiãtur, ut quos optant, frustra requirant: quos nolunt, inuiti recipiant. Obsecro ne ista ulterius fiant, uel potius contra illos scribite, qui talia moliuntur, ne deinceps has iniurias Ecclesiæ patiantur, aut Episcopus aut presbyter istiusmodi cõtumelias sentiat, aut præter animi sententiam ea quæ nolint, ut nobis indicarunt, cogantur facere, ne apud ethnicos ridiculi efficiamur, aut, quod præ omnibus grauissimum est, Deum exacerbemus. Vnusquisq; enim nostrũ eorum quæ hic turbauit, rationem reddet in die iudicij, optoq; ut omnes secundum Deũ sentiant, quo Ecclesiæ suis Episcopis receptis perpetuo gaudeant in Christo Iesu Domino nostro, per quem gloria Patri in secula seculorum, Amen. Valere uos in Christo opto desideratissimi fratres. Hæc cum Romæ Synodus per Iulium Romanum Episcopum scripsisset, improba iterum audacia Eusebiani in Ecclesijs perturbandis, insidijsq; tendendis usi sunt. Quod cum rescitum esset ab religiosissimis Imperatorib. Constantio & Constante, iussi sunt Episcopi Orientis & Occidentis, Sardim conuenire: uerum Eusebius interea diem suũ obijt. Nos igitur plurimis conuenientibus, eos qui cum Eusebio cõmunicauerãt, in iudicium prouocauimus: illi uero, quibus in oculis erant sua delicta, cõspectis ibi suis accusatoribus,

magnopere iudicium exhorruere. Quum enim omnes se rite & legitime sisterent, Eusebiani secum Comites Musonianum, Hesychium, & Castritium adduxere, uti pro sua cõsuetudine, illorum potestate, quicquid animo libuisset, perficerent: ibi quum sine comitibus concilium ageretur, neq; ullus miles interueniret, icti à suis conscientijs ingentem animo consternationem acceperunt. Siquidem non eo modo quo uolebant, iudicia de ipsis fiebãt, sed ut ratio ueritatis requirebat. Diu igitur nobis eos prouocantibus, & Synodo Episcoporum eos his uerbis accersente, Venistis ad iudicium, cur igitur postq̃ uenistis, uos subducitis? atqui oportuit uos uel nõ uenire, uel postquam uenistis, latibula non quærere: id enim ipsum uobis adfert summam cõdemnationem. En adest Athanasius cum suis, quos absentes culpauistis. Quapropter si quid uos habere putatis, conuincite eos præsentes. Quòd si id à uobis fieri nequit, neq; ullam speciem criminis obtenditis, profecto sycophantæ pronunciandi estis, neq; aliam sententiam Synodus in uos pronunciabit: quibus auditis despondebant animos: timebant enim quæ & ipsi fecerant, & quæ finxerant de nobis: metu igitur prohibiti ne se in cõspectum darent, ea ipsa fugitatione cum dedecore suas sycophantias manifestarunt. Synodus autem sancta, damnata illorum turpi & suspecta fuga, nostrã excusationem recepit, ibi referentibus nobis per testes & firmas rationes, quæ contra nos illi ipsi designarant, magna admiratio oborta, cognituḿq; est uulgo non sine causa eos concilium, ne coram in facie cõuincerentur, exhorruisse, dictuḿq; à pleriscq; ideo eos fortasse ex Oriente ad concilium uenisse, quod Athanasium minime uenturum arbitrarentur, nunc quia illum cum suis præsto uident, causæ suæ diffisi iudicio se committere non audent. Nos igitur, ut iniuriam passos & temere calumnijs impetitos, receperũt, decreueruntq; firmis sanctionibus nobiscum cõmunionem & dilectionẽ esse fouendam. Socios autem Eusebij, eosq; qui improbius se in maleficijs gesserant, deposuerunt, Theodorum Heraclienſem, Narcissum ex Neroniade, Acacium Cæsarienſem, Vrsaciũ & Valentem ex Pannonijs, & Manophantum Ephesum, Georgium ex Laodicea, & scripserunt ad omnes ubiq; terrarum Episcopos, & ad singulas parœcias eorum qui iniuriam passi erant, ad istum modum.

EPISTOLA CONCILII SARDICAE CONGREGATI.

SACRA SYNODVS PER GRATIAM DEI SARDICAE CONgregata è *Roma, Hispanijs, Gallijs, Campania, Calabria, Apulia, Aphrica, Sardinia, Pannonijs, Dacijs, Norico, Siscia, Dardania, & secunda Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiro, Thracia, Rhodope, Palæstina, Arabia, Creta, Aegypto, presbyteris & diaconis, & uniuersæ Ecclesiæ Dei per Alexandrinam parœciam, dilectis in Christo fratribus,*

SALVTEM.

ETIAM

ETIAM anteqũ acciperemus literas ueſtræ religionis, non ignotũ id nobis ſed prorſus cõpertum fuit, anteſignanos infeliciũ Arianorum multa & grauia, ſed tamen magis in exitium ſuarum animarum quàm in Eccleſiam molitos eſſe. Ea enim eorũ ars & uafricies fuit, ſemperq; huius peſtiferi propoſiti fuere, ut omnes ubiq; orthodoxæ fidei homines, & catholicæ Eccleſiæ doctrinam à patribus traditam ſeruantes exagitarent, & perſequerentur. Quorum nonnullos falſis criminibus circũuenerunt, alios extra fines ſuos relegarunt, alios in ipſis ſupplicijs abſumpſerunt, certe fratris noſtri & coepiſcopi Athanaſij innocentiam, ui & tyrãnide circũuenire & opprimere conati ſunt, nulla in eius iudicio neque ſedulitate, neq; fide, neq; iuſtitia adhibita. Iam ergo diffiſi ſuis fabulis, & uanis rumoribus, ac coràm intuentes quàm non poſſent de ijs rebus iuſta documenta adferre, quum eſſent in urbe Sardica, non auſi ſunt in concilio ſanctorum Epiſcoporum apparere. Qua ex re æquitas iudicij fratris & coepiſcopi noſtri Iulij liquidiſsime apparuit, qui nõ temerario conſilio, ſed cum matura deliberatione ſententiam tulit, adeo ut nihil relinquatur dubij de cõmunione fratris noſtri Athanaſij, adducẽtis octoginta Epiſcopos ueros teſtes pro ſe in iudicium, atq; eo potiore iure nitẽtis, quòd per dilectos fratres noſtros presbyteros ſuos & per literas, Euſebianos non iure ſed ui graſſantes ſapienter eluſerit. Quapropter omnes undiq; Epiſcopi uiri communionem ob eius innocentiam confirmarunt. Illud quoq; ueſtra charitas conſpiciat, poſt Athanaſij ad ſacram Synodũ Sardicæ cõgregatam aduentum, Orientales literis, mandatisq; citatos fuiſſe, ut ſe iudicio ſiſterent: uerũ illos ſua conſcientia prædamnatos, inhoneſtis cauſificationib. tergiuerſari incepiſſe, poſcentes interim, ut innocentem quaſi nocentem à noſtra cõmunione ſummoueremus, nihil ſpectantes quàm indecentia, uel potius impoſſibilia poſtularent. Atq; adeo cõmentaria actaq; Mareotæ non niſi à ſceleratis & perditiſsimis quibuſdam nouitijs, quibus ne uulgarem quidem gradum clericatus cõmittas, per abſentiam alterius partis confecta eſſe. Neque enim frater noſter Athanaſius Epiſcopus, & Macarius presbyter quem accuſabãt, præſentes adeſſe uoluerunt, quamq; alioqui illorum inquiſitio ſeu potius inſidiatio, nullo non probro ſcaturiebat, quum nũc ethnici, nunc catechumeni interrogarentur, non ut, quæ ſcirent, dicerent, ſed quæ ab illis dicerant, mentirentur. Nulla enim noſtri ratio habita eſt, qui presbyteri ſumus Athanaſij, & curã eius abſentiæ ſuſceperamus, cupiẽtes intereſſe quæſtioni, & ueritatem oſtendere, & falſa redarguere, tantum autẽ abeſt ut nos præſentes eſſe uoluerint, ut etiã cõtumelioſe eiecerint. Ex iſtis rebus quanquam ſycophantiam eſſe clariſsime conſtaret, tamen dum euoluimus acta, deprehendimus ipſum ſceleratum Iſchyram titulo Epiſcopi in mercedem calumnię remuneratum, ſuam ſycophantiam ſuis uerbis prodere. Ipſe enim Iſchyras in monumentis actorũ diſerte teſtatus eſt, ſe ea ipſa hora qua Macarius in ſuam cellam uenerat, ægrotum iacuiſſe, Euſebianis contra ſcribentibus, eum tum ſtetiſſe & oblationes feciſſe, quum Macarius ſuperueniret. Quin & illa calumnia qua poſtmodum uſi ſunt, manifeſta apparuit. Quum uociferarentur & miſere deplangerent, cædem Athanaſium feciſſe, & Arſe-

nium Meletianum Episcopum eius opera è medio sublatum, quam rem fictitio gemitu & falsis lachrymis ut uera uideretur, deplorabãt, iusseruntq; eius qui uiueret, quasi qui extinctus esset, cadauer exhiberi. Sed figmẽta eorum nõ latuerunt: Notum enim erat omnibus, hominem incolumem esse, & inter uiuos recenseri. Verum ne sic quidem, quum uidissent figmẽta sua renudari, ipso Arsenio se uiuum & minime interfectum aut mortuum exhibente, quiescere potuerunt, sed nouas sycophantias ueteribus accumulantes, omnibus machinis id egere, ut hominem calumnijs inuoluerent. Quid igitur dilecti? ne hic quidem frater noster Athanasius animum despondit, sed magna cum fiducia eos etiã in hac causa ad iudiciũ prouocauit. Quod & nobis in uoto fuit, ac proinde eos citauimus ut iudicio se sisterent, & si possent, reatum certis documentis peragerent. Sed ô magnam improbitatem, ô grauem superbiam, uel potius, si uerum dicendũ est, ô malam & obnoxiam conscientiam, ac rem ita esse nulli non clarissime innotuit. Quocirca dilectissimi fratres cõmonitos uos cupimus, & diligenter adhortamur, ut præ omnibus fidem catholicæ Ecclesiæ retineatis. Multa certe & grauia & acerba perpessi estis, multas uicissim cõtumelias & iniurias sustinuit Catholica Ecclesia, sed qui in finẽ sustinuerit, saluus erit. Quapropter si denuo ausint aliquid facere contra nos, tribulatio illa nobis pro gaudio esto. Nam istiusmodi passiones, pars aliqua martyrij haberi debent, & istiusmodi uestræ cõfessiones & tormenta non carebũt sua mercede, quũ præmia à Deo recepturi sitis. Quapropter in primis decertate pro sana fide, & pro innocẽtia Athanasij Episcopi, & in sacris cõministri nostri. Nam neq; silentio suppressimus aut negleximus ea, quæ ad uestram securitatem pertinebant, sed eius rei curam præcipuã habuimus, eaq; egimus quæ dilectionis ratio postulabat. Cõpatimur enim fratribus nostris patientibus: & eorum passiones, nostras proprias arbitramur, & nostras lachrymas cũ uestris cõmiscuimus. Neq; uos soli duntaxat passi estis, sed eadem alij complures comministri nostri, quum huc uenissent, deplorarunt. Quamobrem preces nostras ad religiosissimos & amantissimos Dei Imperatores retulimus, ut illorũ humanitas, eos qui adhuc grauantur aut affliguntur, solui iubeat, constituatq; ne quis iudicum, quorum munus est, publica curare, de clericis sententiã ferat, aut ulla ratione in posterum sub prætextu Ecclesiarum, quippiam contra fratres moliatur, sed ut quisq; citra persecutionem, aut uim, aut auaritiã, prout optat & cupit, uitam instituat, & cum quiete & pace, Catholicam & Apostolicam fidem sequatur. Georgium igitur illegitime ab hæreticis Episcopum constitutum, & in nostram ciuitatem ab illis deductum, ab uniuersa sacra Synodo, ab Episcopatu, tametsi reuera nunq; Episcopus fuerit, depositum esse, uestram unanimitatẽ scire uolumus. Valete igitur, & recipite uestrum Episcopum Athanasium, quem ob id ipsum cum pace dimisimus, unde admonemus omnes, qui uel per metum uel per dolum circumuenti, cũ Georgio cõmunicarunt, ut nunc nostra admonitione resipiscentes, deinceps ab illius nefaria cõmunione abstineant, & sese Ecclesiæ Catholicæ adglutinent. Cæterum quia cognouimus & Aphthonium, & Athanasiũ Capitonis filium, & Plautum, & Plutionem, cõpresbyteros nostros eandem

fraudem

fraudem ab Eusebianis perpessos esse, & quosdam eorum in exiliũ eiectos, quosdã metu mortisq; interminationib. profugos esse, scire uos cupimus, etiã istos à nobis receptos esse, & ut innocentes crimine liberatos, quũ non ignari sitis omnia ab Eusebianis contra orthodoxos per fraudem & libidinem acta esse. æquũ ergo fuerat, ipsum Athanasiũ uos de istis rebus, ut suis ac propriis certiores facere, sed tamen quia sacram Synodum ea potius uobis ad certius testimoniũ scribere uoluit, ideo nos quoq; nõ supersedendũ putauimus, sed statim significare studuimus, ut quemadmodũ nos, ita uos quoq; hos uiros recipiatis, qui & ipsi quoq; laudẽ merentur. quòd ob pietatem in Christum, digni habiti sint, qui ab hæreticis contumeliam pateren tur. Quæ autẽ decreta sunt à sancta Synodo in Theodorũ, Narcissum, Stephanum, Acacium, Demophantem, Vrsaciũ, Valentem, & Georgium ante signanos Arianæ hæreseos, qui & in uos & in Ecclesiam peccauerunt, ex iis quæ subiuncta sunt, cognoscetis, quæ ideo ad uos misimus, ut uestra in Deum pia religio suffragetur sententiis à nobis latis, simul intelligat Ecclesiam Catholicam nequaquã dissimulanter cum iis agere, qui ipsam offendunt.

HAEC EPISTOLA AD AEGYPTIOS ET APHRICANOS EPISCOPOS PER OMNIA SINE VLla mutatione descripta est.

SANCTA SYNODVS PER DEI GRATIAM SARDICAE CONgregata, *omnibus Catholicæ Ecclesiæ Episcopis & comministris dilectissimis fratribus nostris in Domino,*

SALVTEM.

SAEPE multumq; in seruos Dei rectæ fidei cultores, audaciam suam exercuerunt Ariomanitæ, dum spuriã doctrinam subiiciunt, & toti in hoc sunt ut orthodoxos eiiciant: tanta autẽ ui iam contra fidem insurrexerunt, ut id ne pietatem quidẽ religiosorum Imperatorum latuerit. Quapropter cooperante Dei gratia, religiosissimi principes nos ex diuersis prouinciis & ciuitatibus in unum conuocauerunt, cupientes, ut sancta Synodus in Sardorum ciuitatem conueniret, quo omnis controuersia præcideretur, & eiecto quicquid prauæ fidei esset, sola in Christum pietas ab omnibus retineretur. Venerunt quoq; ex Oriente Episcopi ad id instigati à religiosissimis Imperatoribus, & potissimum ob ea quæ subinde iactauerant de dilectis fratribus nostris & cõministris, Athanasio Episcopo Alexãdriæ, & Marcello Angiro Galatiæ Episcopo, forsitan & ad uos quoq; eorum calumniæ penetrarunt, & uestras aures concutere admoliti sunt, ut ipsorum de innocentibus calumniam ueram putaretis, & sub hoc prætextu flagitiosam hæreseos opinionem dissimularẽt. Atqui non in longum id iis facere licuit: Est enim qui Ecclesiis præsidet Deus, qui pro illis & pro nobis omnibus mortem subiit, & in adscendendo omnibus nobis adscensum in cœlos donauit. Quum igitur iam pridem literas suas accusatrices de Athanasio & Marcello Asclepa cõministris nostris Eu

sebiani ad Iulium Romanæ Ecclesiæ Episcopum misissent, cõtigit ut etiam alij ex alijs locis Episcopi, ad eundem Iulium literas suas mitterent, quibus & Athanasij innocentiam & Eusebianorum sycophantiam cõtestabantur, atq; id ita esse ex eo præcipue apparuit, quòd accersiti à dilecto nostro comministro Iulio, iudicio non steterunt: stetissent enim, si sui actorumq; suorum in cõministros nostros fiduciam habuissent. Fraudem tamen suam per ea quæ in sacratissima Synodo gessere, longe manifestius declararũt. Nam cum ad Sardorum ciuitatem accessissent, conspectis ibi Athanasio, Marcello, Asclepa, alijsq; nonnullis, ueriti sunt in iudicium prodire, & quum nõ semel aut bis, sed iterum atq; iterum citati essent, citationibus non obtemperauerunt, tametsi omnes Episcopi simul congregati essent, & in primis grauissima ætate Hosius, homo & ob æui longitudinem, & confessionem suã & ob tantos suos labores omni reuerentia dignus. Expectauimus igitur eos, & cohortati sumus ut in iudicium prodirent, & ea quæ rumoribus & literis de cõministris nostris absentibus iactitauerant, præsentes iustis rationibus cõprobarent. Verum illi quantũcunq; citati prodire noluerunt: qua tergiuersatione (ut diximus) suam sycophantiam manifestissimam reddiderunt, & propemodũ ea ipsa recusatione accipiendi iudicij, insidias suas conspirationesq; quasi clamoribus cõfessi sunt. Qui enim dictis suis confidũt, ij non uerentur ea in præsentia defendere: postq; autem iudicio non steterunt, arbitramur neminem ignorare, etiamsi denuo malitiose agere uelint, nihil eos habere aduersus cõministros nostros, quod probent, quũ eos absentes criminentur, & præsentes refugiant. Fugerunt autẽ non eò solum q; sycophantiam suam agnoscerent, sed q; præsto uiderent, qui ipsos de uarijs criminibus incesserent, qui uincula & ferrum promebãt, quæ secum ab exilio extulerant. Cognati autem eorum, qui illic adhuc uincti asseruantur, ibi quoq; præsentes eorum oculis apparebant, unaq; cum ijs amici eorũ quos ipsi trucidauerant. Et quod maximum est, aderant Episcopi, quorum aliqui ferrum & catenas sibi ab ipsis inditas circũferebãt, aliqui mortes eorum calumnijs illatas detestabantur. Eò enim furoris processerant, ut etiã Episcopos interficere conarentur, & interfeciissent, nisi eorum manibus erepti fuissent: certe comminister noster beatus Theodulus per calumniam eorũ iussus interfici, fuga salutem sibi quæsiuit: alij ictus gladiorum ostentabant: alij famem toleratam cõquerebantur: neq; harum rerum uulgares homines, sed integræ Ecclesiæ testes erant, quarum nomine legati qui huc uenerant, de militum gladijs, turbarum fustigationibus, iudicum minis, adulterijs, & subornatis falsis literis certa documenta adferebant. Lectæ enim sunt literæ quas Theognius in fraudem Athanasij, Marcelli & Asclepæ adulterauerat, ut Imperatores in hos uiros cõcitaret, & hoc ita esse, ij qui Theognio per id temporis diaconi fuere, cõmonstrarunt, ut interim omittamus uirginum denudationes, Ecclesiarum incendia, carceres eorum qui in sacris ministri erant. Quæ scelera nulla alia de causa, quàm ob infaustam abominandamq; Arianorum hæresim cõmiserunt. Omnia enim ista mala coacti sunt experiri, qui eorum cõmunionem recusabant: his igitur conspectis, in arctũ cogebantur eorum consilia, quũ & facta perpuderet confiteri, nec dissimulandi

landi spes esset. Venerant illi quidem in Sardorũ ciuitatem, ut aduentu suo existimationem, quasi non peccassent, excitarent. Cæterum quum eos accusatores suos futuros esse conspicerent, quos uel calumnijs, uel calamitatib. afflixerant, & in oculis hærerent, & sub conspectu essent rerum quæ obijcerentur documenta, noluerunt ad citationem in iudicio cõparere, quamuis magna fiducia & libertate à cõministris nostris Athanasio, Marcello & Asclepa incesserentur, querelas suas proponentibus, ac nulla nõ ratione prouocantibus, quum denunciarent se paratos esse, non solum calumnias eorũ refellere, sed ostendere quoq; quæ contra Ecclesiam publice deliquissent. Igitur tanto metu correpti sunt, ut se fugę mandarint, & fugiendo calumnias suas patefecerint, & quæ peccauerant, cursu illo confessi sint, & quamq; eorũ prauitas non modo ex superioribus, sed & istis quoq; innotesceret, tamen ne de fuga sua nouum aliquod scelus mutuarentur, decretum fuit, ut secundum ueritatis rationem illorum fictæ fabulæ examinarentur. Quũ ergo in hoc proposito essemus, deprehẽdimus ex actis, eos meros sycophantas esse, & insidias nostris coepiscopis struxisse. Arsenius enim, quem necatum aiebant ab Athanasio, uiuit etiamnum, & inter uiuos spectatur. Cæteraq; quæ fama uulgauerat, uana esse apparent. De poculo autẽ à Macario presbytero Athanasij, uti ipsi aiebant, confracto, illi qui Alexandria & Mareota, locisq; contiguis huc uenere, testantur nihil omnium factum esse, & Episcoporum Ægyptiorum literis ad cõministrum nostrum Iulium abunde confirmatum est, ne suspicionem quidem ibi eius rei fuisse. Porro monumenta actorum, quæ aduersus eos se habere aiunt, satis constat, altera parte inaudita, confecta fuisse, & tamen in istis ipsis monumentis, ethnici & catechumeni pro testimonio interrogati fuere, ex quibus unus dicebat, cum ex eo quæreretur, Ischyram ab ipsis toties iactitatum, ægrotum per id temporis in cellula decubuisse, ut ex eo appareat, nihil omnino mysteriorũ actum fuisse, eò quòd catechumeni intus essent, & Ischyras non adesset, sed ægrotus decumberet. Quin & ipse sceleratissimus Ischyras, qui mentitus erat Athanasium, nescio quẽ sacrorum librorũ combussisse, & de eo crimine conuictum esse, postmodum confessus est se per id tempus ægrotasse & decubuisse quũ Macarius superueniret, ut uel inde facile eum colligas sycophantam esse, certe huius sycophantiæ gratia, ei, qui ne presbyter quidem erat, titulum Episcopi indulsere. Duo enim quondam Meletij presbyteri postea à beato Alexandro Episcopo Alexandriæ recepti, ijdemq; nunc Athanasij presbyteri testimonia deposuere, nunq; Ischyram Meletij presbyterum fuisse, imo ne habuisse quidem Meletium Mareotæ ullam Ecclesiam, aut ministrum in Sacris. Nihilominus tamen eum qui presbyter non erat, ut Episcopum in testem produxerunt, ut magnificentia nominis per sycophantiam auditores percellerent. Recitata quoq; sunt scripta collegæ nostri in sacris Marcelli, & deprehensa est Eusebij dolosa uafricies. Quæ enim Marcellus per modum quæstionis tractauerat, ea tanquam ita esse profiteretur, calumniati sunt. Recitata quoq; sunt in his quæstionibus, quæ intercederent & subsequerentur, & inuenta est bona & recta fides istius uiri. Non enim ex Maria, ut ipsi asseuerabant, uerbo Dei initium attribuit, neq; finem eius

regno constituit, sed regnum eius initio & fine carere scriptis prodidit. Asclepas aũt cõministe noster in sacris, prolatis actorũ monumentis Antiochiæ confectis docuit, quum ibi simul & accusatores & ipse Eusebius Cæsarienſis adessent, iudicijs Episcoporum qui huic causæ præsidebant, se innocentem pronunciatum esse. Non igitur sine causa est, dilectissimi, quòd sæpius citati non obtemperauerint, sed fugere maluerint, & conscientia ad fugam propulsi, crimẽ suæ sycophantiæ cõfirmauerint, & causam dederint, ut quæ eorum accusatores præsentes obijcerent & demonstrarent, pro ueris haberentur. Imo præter hæc omnia, depositos olim & eiectos ob Arianam hæresim nõ solum receperint, sed ad maiores gradus euexerint, ex diaconis presbyteros, ex presbyteris Episcopos facientes, non in alium usum quàm ut impietatem disseminarent, latiusq; diffunderent, & piam fidẽ corrumperent. Quo in negocio post Eusebium facile principes sunt, Theodorus ab Heraclia, Narcissus à Neroniade Ciliciæ, Stephanus ab Antiochia, Georgius à Laodicea, Acacius à Cæsarea Palæstines, Menophantes ex Epheso, quæ est Asiæ, Vrsacius à Syngidono Misiæ, Valens à Mursis Pannonicis. Nam & isti eos qui secum ab Oriente descendebant, non permiserunt ad sacrosanctam Synodum introire, aut ullo modo ad Ecclesiam Dei appellere, & in itinere Sardicensi certis in locis conciliabula in morem Synodi per se habuerũt, & fœdera cum interminationib. conflauerunt. Quapropter quum Sardicam peruenissent, minime omnium iudicio steterunt, aut in eundem locum cum sacra Synodo cõuenire uoluerunt, sed mox ubi eò peruenissent, & pro perfunctoria specie purgationis aduentum suum ostentassent, raptim inde aufugerunt. Rem ita actam esse per cõministros nostros Macarium Palæstinum, & Asterium Arabem, qui unà cum ijs in itinere fuerunt, & ab eorum infidelitate recesserunt, rescisse licuit, qui quũ ad sacram Synodum ueniissent, simul & de ui quã passi essent, cõquesti sunt, & quanta prauitate in rebus agendis usi essent Eusebiani, indicarunt: id quoq; ab illis additũ, esse illic multos rectæ fidei cultores, quos isti prohibuerunt, ne huc uenirẽt, pericula minasq; si quis ab ipsis recederet, denunciantes: Ac propterea curasse, ut omnes in itinere, eodẽ domicilio uterentur, ne uel tantillum quispiam ab illis seorsum agere posset. Sed quia eorum sycophantię, uincula, cædes, uerbera, falsæ epistolæ, contumeliæ, uirginum denudationes, exterminationes, euastationes, incendia Ecclesiarum, transultusq; à minoribus ciuitatibus, ad maiores parœcias, & quod grauissimum est, denuo per eosdem excitata contra rectam fidem infœliciſsima Arianorum hæresis reticenda non sit: ideo nos dilectos fratres & cõministros nostros Athanasium, Marcellum, Asclepam, & cum cæteris cõministros nostris innocentes & puros pronũciamus, literis ad singulas parœcias missis, ut populi cuiusq; Ecclesiæ cognoscant sui Episcopi synceritatem, eumq; pro Episcopo, & habeant, & expectent: istos aũt more luporum in horum Ecclesias inuadentes, Georgium inquã in Alexandriam, Basilium in Ancyram, Quintianum in Gazam, eos neq; Episcopos appellent, neq; ullam cum eis communionem habeant, aut eorum literas recipiant, aut uicissim mittant. Theodorum aũt, Narcissum, Achacium, Stephanum, Vrsacium, Valentem, Menophan-

phantem,& Georgium,per metum huc ab Oriente non audentem uenire, ſed tamen à beato Alexandro depoſitum, tum quia iſte & cæteri illi ſectatores ſunt Arianicæ rabiei,tum ob reatū criminū,omnes ſacroſancta Synodus cōmuni calculo exauctoratos omnino ab officio Epiſcopatus ſummouet.Decreuimuſq; eos non modo Epiſcopos non eſſe, ſed ne dignos quidem fidelium cōmunione. Imo quia ſeparant Filium à Patre,& Verbum à ſuo Patre abalienant,æquum eſſe eos ab Eccleſia Claithoc ſeaparari, & alienos indignosq; haberi Chriſtiano nomine. Sint uobis igitur anathemata, eò quòd uerbum ueritatis adulterauerunt: præceptum ſiquidem Apoſtolicum eſt,Si quis euangelizauerit uobis præter id quod accepiſtis, anathema eſto,cum his ne quis cōmunionem habeat,præcipite.Nihil cōmune luci cum tenebris:hos procul à uobis arcete.Quum nulla ſit concordia Chriſto cum Belial,cauete interim dilecti,ne uel ſcribatis ad eos, uel eorum ſcripta recipiatis.Quin & uos quoq; ſtudete fratres & comminiſtri noſtri in ſacris obeundis,ut ſpiritu præſentes in noſtra Synodo idem ſuffragium conferatis per ueſtras ſubſcriptiones, quo ab omnibus ubiq; ſacrorū miniſtris concordia ſeruetur.Diuina prouidentia ſanctos & lætos uos conſeruet dilecti fratres. Oſius Epiſcopus ſubſcripſit, quod & cæteri fecere. Hæc ita ſcriptis mandata,ſacrum Sardicenſe concilium ad eos qui intereſſe non poterant,miſit,qui ipſi quoq; ſuis ſuffragijs decreta Synodi approbarunt.Eorum aūt,qui in Synodo ſubſcripſerunt, cæterorumq; aliorum iſta ſunt nomina: Oſius ab Hiſpania, Iulius Romæ per Archidamum & Philoxenum presbyteros ſuos, Protogenes Sardicæ, Gaudentius, Macedonius, Seuerus,Prætextatus,Vrſacius,Lucillus, Eugenius, Vitalius Calepodius, Florentius,Baſſus,Vincentius,Stercorius,Palladius,Domitianus,Chalba,Gerontius,Protaſius,Eulogus,Porphyrius, Dioſcorus, Zoſimus, Ianuarius, Zoſimus,Eutichius,Socrates,Diodorus,Martyrius,Eutherius,Eucarpus, Athenodorus,Irenæus,Iulianus, Alypius,Ionas, Aetius, Reſtitutus, Marcellinus, Aprianus, Vitalius, Valens, Hermogenes, Caſtus, Domitianus, Fortunatius,Marcus Annianus,Heliodorus,Muſæus,Aſterius, Parogorius,Plutarchus,Hymenæus,Athanaſius,Lucius,Amantius,Arius, Aſclepius,Dionyſius,Maximus,Tryphon, Alexander, Antigonus, Ælianus, Petrus,Symphorus,Muſonius, Eupychus, Philologius, Spudæus, Patricius Soſimus,Adolius,Sapritius.

GALLIAE, Maximianus, Veriſsimus, Victor, Valentinus,Deſiderius, Eulogius,Sarbatius,Dyſcolius, Superior, Mercurius, Declopetius, Euſebius,Seuerinus,Satyrus,Martinus,Paulus, Oppatianus, Nicaſius, Victor, Sempronius,Valerinus,Pacatus,Ieſſes,Ariſton,Simplicius, Metianus, Amantus, Amillianus, Iuſtinianus, Victorinus, Saturnilus, Abundantius, Donatianus,Maximus.

APHRICAE,Neſſus,Gratus,Megaſius,Coldæus,Rogatianus, Conſortius,Raphinus,Manninus,Ceſilianus,Hortenſianus, Marianus, Valerius, Dinamius,Myzonius,Iuſtus,Celeſtinus, Cyprianus, Victor, Honoratus, Marinus,Panthagatus,Felix,Candius,Liber, Capito,Minerſales,Coſmas, Victor,Heſperio,Felix,Seuerianus,Oppantius,Heſperus,Fidentius,Saluſtius,

stius, Paschasius. AEGYPTI: Liburinus, Amantius, Felix, Ischyramon, Romylus, Tyberius, Consortius, Heraclides, Fortunatus, Hermeas, Fortunianus, Dioscurus, Bastamon, Datyllus, Andreas, Serenus, Areus, Theodorus, Euagoras, Helias, Timotheus, Orion, Andronicus, Paphnutius, Hermias, Arabion, Pseuosiris, Apollonius, Maius, Sarapampon, Serenus, Philon, Philippus, Apollonius, Paphnutius, Paulus, Dioscorus, Nilamon, Serenus, Aquila, Aotas, Apocration, Isac, Theodorus, Apollos, Ammonanus, Nilus, Heracleus, Arcton, Atas, Arsenius, Agathammon, Theon, Apollonius, Helias, Pammithius, Andragathius, Nemesion, Sarapion, Ammonius, Xenon, Gerontius, Quintus, Leonidas, Sempronianus, Philon, Heraclides, Hieraces, Rufus, Pasophius, Macedonius, Apollodorus, Flamianus, Psales, Syrus, Apphus, Serapion, Esaias, Paphnutius, Timotheus, Elurion, Gaius, Musæus, Pistus, Heraclāmon, Hero, Helias, Anagamphus, Apollonius, Gaius, Philotas, Paulus, Tithois, Endæmon, Iulius. Qui autē in Canalio Italiæ, Probatius, Viator facundinus, Ioseph, Numidius, Speran tius, Seuerus, Heraclianus, Faustinus, Antoninus, Heraclius, Vitalis, Felix, Crispinus, Paulianus.

CYPRI: Auxibius, Photius, Gerasius, Aphrodisius, Erinicus, Nunechius, Athanasius, Macedonius, Tryphillus, Spyridon, Sosicrates, Norbanus.

PALAESTINAE: Maximus, Aetius, Arius, Theodosius, Germanus, Solmanus, Paulus, Claudius, Patricius, Elpidius, Germanus, Eusebius, Zenobius, Paulus, Petrus. Qui igitur decretis Synodi subscripserunt sunt isti, plurimiq; item alij sunt, qui ante hanc Synodum pro nobis scripserunt, tum ex Asia, tum ex Phrygia, tum ex Isauria, quorum singulorum nomina cum suis epistolis circunferuntur, prope sexaginta. In uniuersum aūt trecenti quadragintaquatuor. Hæc cum præcepisset religiosissimus Imperator Constantius, nos ad se accersiri iussit, & seorsum ad fratrē suum beatum Constantē scripsit, ad nos quoq; semel iterum ac tertio literas misit. Cōstantius uictor Augustus, Athanasio. Diu te iactari, uexariq; immanibus undarum procellis, nostræ clementiæ humanitas non permisit: nudatum siquidem paternis penatibus, bonisq; suis spoliatum, & in aurjs feralibusq; locis errabundum nostra indefatigabilis pietas non deseruit. Nam tametsi iam pridē supersedi mentis meæ propositum ad te scribere, eò quòd te ultro aduenturū expectarem, & postulaturum malorum tuorum remedium, tamen quia fortasse uoluntatem propositi tui metus impediuit, ideo literas munificentiæ nostræ plenissimas ad tuam constantiam misimus, ut securiter conspectui nostro cōprimum tuam præsentiā offeras, ut uoti particeps, nostramq; humanitatem expertus, tuis restituaris: hac enim de causa dominum meum & fratrem Constantem, Victorem Augustum, pro te adhortationib. cōueni, ut tibi ueniendi facultatem daret, quo utriusq; nutu patriæ restituaris, & hoc pro pignore nostræ gratiæ habeas.

EPISTOLA SECVNDA.

Etsi superioribus literis significauimus, ut securiter ad nostrum comitatum

tum accederes, eò quòd maxime cupiamus, te ad tuos remittere, tamen etiã nunc has literas ad tuam ſoliditatẽ miſimus, quibus adhortamur, ut ſine omni diffidentia aut metu, publica uehicula inſcendas, & properes ad nos, ut quæ concupiſcis, aſſequare.

EPISTOLA TERTIA.

Cum Edeſſæ commoraremur, præſentibus tuis presbyteris, placuit, ut miſſo ad te presbytero, feſtinares ad noſtrum comitatum uenire, ut ubi noſtrum uidiſſes conſpectum, ſtatim in Alexandriam tranſires: ſed quia plurimum temporis interceſsit, ex quo literis noſtris acceptis non ueniſti, ideo te nunc denuo admonitum uolumus, ut uel nunc ſaltem quàm celerrime ad nos te conferas, quo & tu ita patrię tuæ reſtituaris, & nos tuis precibus frui poſsimus. Ad pleniorem autẽ cognitionem Achitan diaconum ad te miſimus: ex quo diſcere licebit, & mentis noſtræ uoluntatẽ, & te aſſequi poſſe ea quæ uotis optas. Imperator igitur iſtas literas miſit, quib. acceptis Romam adſcendi, Eccleſiam & Epiſcopum aditurus. Nam Aquileiæ tum temporis eram, quum has literas accepi. Ingens igitur gaudiũ in Eccleſia, Pontifexq; Iulius ut gratularetur noſtræ reſtitutioni, literas ad Eccleſiam miſit: nos autem quacunq; tranſiuimus, cum pace ab omnibus Epiſcopis deducti ſumus. Literæ autem iſtiuſmodi fuere.

IVLIVS PRESBYTERIS, DIACONIS ET POPVLO IN PAROECIA *Alexandriæ.*

GRATVLOR uobis dilectiſsimi fratres, quòd fructum fidei ueſtræ ante oculos uideatis: id enim ita eſſe liquidiſsime apparet in fratre & coepiſcopo noſtro Athanaſio, quem Deus & ob uitæ ſanctitatẽ & orationes ueſtras uobis reſtituit: ex qua re ſpectare licet, quàm puras ſemper preces & charitatis plenas ad Deum extuleritis. Memores quippe cœleſtium repromiſsionum, & cœleſtis conuerſationis, quam ex doctrina prædicti fratris noſtri didiciſtis, certo, uereq; cognitum habuiſtis, & pro ueſtra recta fide apprehendiſtis, nunquã illum perpetuo à uobis diremptum iri, quem in piis pectoribus ueſtris tanq; præſentem retinebatis. Non igitur mihi ad uos ſcribenti multis uerbis opus eſt. Quæcunq; eẽ à me dici poterint, ea ueſtra fides iam anticipauit, & adimpleuit, ſecundum Dei gratiam quicquid à nobis optari poſsit. Gratulor igitur uobis: Rurſus enim dicam, gratulor uobis, q; animas ueſtras intuenda fide inexpugnabiles conſeruaſtis, ſed interim fratri meo Athanaſio non minus gratulor, q; quanq; multa acerba pateretur, nulla tamen hora ueſtræ charitatis ueſtriq; deſiderij obliuionem induerit. Nam tametſi corpore ad tempus uideretur à uobis ſeparari, ſpiritu tamen perpetuo uobiſcum agebat. Redit igitur ad uos ſplendidior nũc quàm cum à uobis diſcederet, quòd ſi res precioſas aurum & argentum ad puritatem ignis explorat, quid quæſo dignũ eloquaris tanto uiro, qui ex tantis malorum periculis purus innocensq; uobis reſtituitur?

ſtituitur: talisq; non noſtro duntaxat iudicio, ſed ab uniuerſa Synodo iudicatus eſt. Excipite igitur dilecti fratres cum omni ſecundum Deum gloria & lætitia Epiſcopum ueſtrũ Athanaſium, & cum eo quotquot socĩ tantarum ærumnarum fuere, lætiq; ſitis de fructu orationum ueſtrarum, qui paſtorem ueſtrum (ut ſic dicam) deſiderantem & ſitientem ueſtram pietatem, ſalutaribus ſcriptis aluiſtis, potũq; ei dediſtis. Nam peregre illi cõmoranti, conſolationi fuiſtis, eumq; perſecutiones tolerantem, fideliſsimis animis & mentibus ueſtris refocillaſtis: mihi certe uoluptati eſt, imaginanti & iam animo proſpicienti uniuſcuiuſq; in eius reditu lætitiam, & multitudinis religioſiſsimæ occurſus, & celebrem cõuenientium feſtiuitatẽ. Quis putas, aut qualis erit uobis ille dies, quum & frater noſter reuertetur, & mala ſuperiora finem accipient: quumq; precioſus & optabilis illius reditus omnes alacritate pleniſsimi gaudĩ in unum coaptabit: Tale gaudium maxima ex parte etiã ad nos uſq; pertingit, quibus diuinitus tanti uiri notitia conceſſa eſt. In preces igitur epiſtolam deſinere oportet. Deus omnipotens & eius filius Dominus & Saluator noſter Ieſus Chriſtus perpetuam uobis gratiam præbeat, referens præmia ueſtræ admirabili fidei, quam claro martyrio in Epiſcopum ueſtrum exhibuiſtis, ut uobis ueſtrisq; poſteris, & hic & in futuro optima impartiat, quæ nec oculus uidit, neq; auris audiuit, neq; in cor hominis aſcendit, quæ Deus præparauit diligentibus ſe, per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem omnipotenti Deo gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Valere uos omnes in Domino exopto fratres dilecti: Cæterum quum iam ad Imperatorem ueniſſem, ille nos ſereno ſynceroq; uultu intuitus, in patriam & Eccleſiam remiſit cum iſtis literis, ad Epiſcopos & presbyteros & populos datis.

VICTOR CONSTANTIVS MAXIMVS AVGVSTVS, EPISCOPIS ET PRESBYTERIS *Catholicæ Eccleſiæ.*

NON EST derelictus à Dei gratia reuerendiſsimus Athanaſius, tametſi ad breue tempus humanæ probationi ſubiectus fuerit, Iuſtum enim debitumq; iam ab omnia ferente & ſuſtinente prouidentia calculum retulit, eò quòd & uoluntate Optimi, & iudicio noſtro patriam & Eccleſiam, quam antea diuino nutu poſſedit, recipiat: ad quem congruentia etiam à noſtra humanitate perferri oportet, adeo ut omnia, quæ antea contra eos qui cum eo communionem celebrarunt, decreta fuere, obliuioni tradi uelim, omnisq; deinceps ſuſpicio contrà abolea tur: & immunitas quam olim habuere ipſius clerici, firma illis & rata (prout decet) conſeruetur. Quin & hoc quoq; eius gratiæ adĩci æquum arbitrati ſumus, ut apud uniuerſos ſacri ordinis uiros promulgetur, cũctis qui Athanaſio adhæſere, datam eſſe ſecuritatem, ſiue Epiſcopi ſiue clerici ſint. Abunde enim argumenti eſt unumquemq; eorũ probi animi eſſe, uel eo ſolo, quòd Athanaſio conſociati fuere. Quicunq; enim meliori & iudicio & factione huius cõmunionem elegerunt, hos omnes iuſsimus ad exemplar ſupe-

superioris prouidentiæ,& secundum nostram uoluntatem, ut gratia ab optimo Deo tributa securiter perfruantur. Deus uos seruet.

EPISTOLA SECVNDA.

VICTOR CONSTANTIVS MAXIMVS AVGVSTVS, POpulo *Alexandriæ, Catholicæ Ecclesiæ.*

CVM ante oculos habeamus uestram in omnibus disciplinam,& nequaquam insciĩ sumus uos iam pridem Episcopali prouidentia destitutos, decreuimus Athanasium Episcopũ, uirum apud omnes rectitudine,morumq; probitate clarũ, ad uos remittere: hunc igitur,si lubenter & decenter receperitis,eumq; uestris precibus opitulatorem adhibueritis,concordiam & uobis decoram & nobis gratissimã simul,& pacem perpetuam,Ecclesiæ legem,conseruabitis. Absurdum enim discordiam aut seditionem inter uos agitari,& alienum hoc ipsum est à nostrorum temporũ integritate. Volumus igitur & hoc uitium prorsus à uobis abesse,& uos in uestris precibus perpetim illo,ut dixi, præside & opitulatore apud Deum uti, & in eo studio solito more perseuerare, ut tali proposito,uestro omnium ore celebrato,gentiles,qui etiamnum idolorum erroribus inhærent,ad sacræ religionis cognitionẽ promptissime decurrant: quapropter denuo uos admonemus, ut superioribus dictis acquiescentes Episcopum suffragio Optimi, & nostra uoluntate huc remissum libenter suscipiatis, eumq; ab animis sententijsq; uestris indiuulsibilem putetis: id enim uos decet,& nostræ mansuetudini congruum est:ad omnem siquidẽ cõturbationis & seditionis materiem extirpandam, qua cupidi malorum libenter utuntur, nostris apud uos iudicibus per literas iniunximus,ut quot quot seditiosos inuenerint,pœnis supplicijsq; legum coerceãt. Omnia igitur ista præ oculis habentes,& nostram cum optimo Deo coniunctam sententiam, curamq; uestram, simul & concordiæ, pœnamq; in immodestos constitutam,congrua decentiaq; sacræ religionis legibus seruantes,prædictum Athanasium cum omni reuerentia & honore colite, uestrasq; preces cum eo & pro uestra & pro cuiusq; uitę sanctitate ad omniũ parentem Deum offerte. His scriptis,iussit ea quæ prius aduersus eum decreta erant per calumnias Eusebij, abrogari & tolli de tabulis ducis & præfecti Ægypti,missusq; ea de causa Eusebius decurio,sustulit ea de tabulis.scripta autẽ sese ad istum modum habent.

VICTOR CONSTANTIVS AVGVSTVS NESTERIO, ET EADEM FORMA AVGVstamnicæ *Thebaidis & Aphricæ Præfectis.*

SI quid unquã ad noxã contumeliámue eorũ,qui Athanasio cõmunicauerũt,decretũ inuenitur,id omnino deleri uolumus. Nã & officiũ q̃d antea habuerunt eius clerici,iterũ eosdẽ habere uolumus.

Hoc enim decretum obseruari iubemus, ut restituto Athanasio suæ Ecclesiæ, cõmunicatores illius idem habeant officium, quod antea possederunt quo & ipsi se gaudeant prorsus restitutos esse. Deductus igitur cum suis ad istum modum Athanasius, in peragrãda Syria Syros & Palęstinos Episcopos conuenit, qui Synodo Hierosolymis coacta, synceriter eum cum suis exceperunt, & cum pace deduxerunt. Simul has literas ad Ecclesiam & Episcopos scripserunt.

SANCTA SYNODVS HIEROSOLYMITANA, OMNIBVS SACRORVM IN APHRICA ET AEGYpto comministris nostris, presbyteris item Alexandrinis, diaconis, populoq́, dilectißimis fratribus in Christo, SALVTEM.

PRO dignitate rerum omnium Domino gratias agere non sufficimus de miraculis quæ ubiq; & potissimum erga uestram Ecclesiam operatur, quum uobis restituat pastorem uestrũ & dominum cõministrum nostrum Athanasium. Quis enim sperauit unq; ea se oculis uisurum, quæ nunc re ipsa experimini? Certe preces uestræ exauditæ sunt ab omnium rerum Domino, qui pro tanta Ecclesia curam gerit, uestrasq; lachrymas lamẽtationesq; intuetur, ac proinde uestras obsecrationes ratas uoluit. Eratis tanq; oues abiectæ dissipataq; sine pastore, propterea ad uos cœlitus respexit uerus Pastor, ouium suarum mire solicitus, eumq; uobis restituit, quem desiderabatis. Ecce enim nos omnia pro Ecclesiastica pace agentes, & cum uestra dilectione conspirantes, priores illum amplexi sumus, & communione cum eo inita, has salutationes uobis mittimus, & hæc nostra gratulantia uota, ut cognoscereti nos copula communionis illi coniunctos esse. Vestrum autem est pro pietate religiosissimorum Imperatorum orare, qui & ipsi in gratiam uestri desiderij illiusq; innocentiæ, quam iam cognitam habent: eum cum omni honore restituere uoluerunt. Supinis igitur manibus eum excipientes, preces gratulatorias, ut par est Deo qui hæc tribuit, offerre studete, ut semper in Deo gaudeatis, & glorificetis Deum in Christo Iesu Domino nostro, per quẽ Patri sit gloria in secula seculorum. Horum subscribentium nomina etsi antea significaui, tamen nũc iterum ea edenda arbitratus sum. Sunt aũt isti, Maximus, Aetius, Arius, Theodorus Germanus, Syluanus, Paulus, Patricius, Elpidius, Germanus, Eusebius, Zenobius, Paulus, Macrinus, Petrus, Claudius. His conspectis de se iam desperantes Vrsacius & Valens Romam profecti, peccata sua cum pœnitentia confessi sunt, gratiamq; facti postularunt, literasq; & ad Iulium ueteris Romæ Pontificem, & ad nos quoq; in hanc formam miserę, quorum exempla mihi transmissa sunt à Paulino Episcopo Tyburis.

EPISTOLA AD IVLIVM E ROMANO SERMONE TRANSLATA, DE VRSACII & Valentis confessione.

QVAN-

T. Z.

QVANDOQVIDEM satis constat & nos superioribus temporibus multa grauia de Athanasio per Epistolas criminatos fuisse, & tuæ humanitatis literis admonitos, ut crimina probaremus, nunc̄p earum rerum documēta afferre potuisse: Ideo cōfitemur tuæ humanitati coram uniuersis nostris fratribus presbyteris, omnia quæ antehac ad uestras aures de Athanasio perlata fuere, falsa & ficta esse, & omnibus modis ab eo aliena: ac proinde recipimus eius communionem, maxime quia tua in Deum pietas ueniam secundum genuinam suam probitatē nostro errore impartiri dignata est. Quin & hoc promittimus, nunc̄p, si aliquando Orientales atcp adeo ipse Eusebius uelit malitiose eū in iudiciū uocare, nos citra tuam sententiā eò abituros. Hæreticum porro Arium, eiusc̄p propugnatores qui dicunt, Erat, quando non erat Filius: aut eū ex non ente ad essentiā emersisse: aut qui neget Christū Deum esse Dei Filium ante secula, quemadmodū in priori libello nostro Mediolani edidimus, & nunc & semper anathemate dānamus, nostrac̄p manu denuo protestamur, nos Arianam hæresim eiusc̄p authores in æternū damnare. Ego Vrsacius, quum præsens meæ confessioni interessem, subscripsi, quod itidem & Valens fecit.

DOMINO ET FRATRI ATHANASIO EPISCOPO, VRSACIVS ET VALENS *Episcopi.*

NACTI occasionem per fratrem & cōpresbyterum nostrum Museum istuc ad tuam dilectionem euntem, chare frater, eius opera admodum te ex Aquileia salutatum uoluimus, optamusc̄p te saluum nostras epistolas perlegere, cuius rei fiduciam nobis datus es, si tu quoc̄p in scribendo uices obseruaris: scire enim te uolumus, pacem tibi nobiscum esse, & cōmunionem Ecclesiasticā intercedere, cuius rei fidem esse uolumus nostram istis literis inscriptā salutationem: diuina prouidentia seruet te domine dilecte frater. Scripta igitur huiusmodi fuere, talec̄p Episcoporum iudicium, sententiac̄p pro nobis data est. Vt aūt sciri posset nihil per gratiam in mea causa actum esse, necp quenc̄p ad id peruim coactum, cum uestra bona uenia altius & ab ipso primordio repetam, quo uobis constet Episcopos recti bonic̄p studio ad istum modū scripsisse, & Valentem & Vrsacium, quamuis sero, ueritatem tamen confessos esse. Petrus apud nos ante persecutionem Episcopus, & in persecutione martyr declaratus, Meletium Episcopum Ægypti nominatum multis conuictum criminibus, & in primis quòd idolis sacrificasset, in cōmuni Episcoporum Synodo deposuit, Meletius aūt non ad aliam Synodum confugit, necp eorū successoribus se studuit purgare, sed schisma fecit, adeo ut illius sectatores etiā nunc pro Christianis Meletiani uocitentur, ac iam tum in Episcopos conuitia dicere incepit, & primum Petrum, deinde eius successorem Achillam calumniatus est, & post Achillam Alexandrum, idc̄p magna cum callidita-

nn̄s innocentiū ulciscereturInterim dum hæc ageret Meletius, etiam Aria-

na hæresis emersit. Cæterum ea in Synodo anathemate damnata est, Arianíq; reiecti sunt. Meletiani aũt aliquo modo recepti sunt, necq; necessum est ut eius rei causam dicam. Nondum quinq; menses præterierant, quum beatus Alexander mortẽ obijt. Meletiani aũt quos & quietos & gratos esse oportuit, quòd aliquo saltẽ modo recepti essent, more canum non obliti uomitus sui, rursus Ecclesias perturbare inceperunt. Eusebius igitur propugnator Arianæ hæreseos, re cognita, ad illos literas dat, magnisq; promissis societatẽ & amicitiam clanculũ init, sibiq; inuicẽ rebus agendis tempus constituũt. Quapropter primum ad nos literas hortatorias scribit de Ario recipiendo, sed ita, ut sine scripto minaretur: scriptis aũt speciẽ rogantis præ se ferret. Verũ ubi illi responsum esset, hæreseos inuẽtores ueritati infestos, & damnatos ab uniuersi orbis concilio, minime recipiendos esse, Cæsarem beatæ memoriæ Constantinũ inducit, ut mihi cũ minis scriberet, ea nos expectare debere, quæ & nũc & antea passi sumus, nisi Ariũ reciperẽ: pars aũt epistolæ sic se habet, quã detulerunt Palatini, Synclitius & Gaudentius.

PARS EPISTOLAE IMPERATORIS CONSTANTINI.

CVM igitur mentis meæ sententiã intelligas, omnibus qui Ecclesiam intrare postulant, aditũ inoffensum præbebis, quòd si prohibueris quempiam, qui se Ecclesiæ participes uolunt, aut si excluseris ab ingressu, mittam continuo cum meis mandatis qui te deponant, & in alium locum deportent. Hic, quum ego Cæsari persuasissem, nullam esse debere Ecclesiæ Catholicæ cum hęresi Christi oppugnatrice communionem, tum demũ tempus obuenisse arbitratus Eusebius, quod cum Meletianis constituerat, literas ad eos scribit, ut scelera ea de nobis fingerent & fama spargerent, quibus se aduersus Petrum, Achillã, & Alexandrum exacuerant: sed quum plurima captantibus nihil reperiretur, ex sententia Eusebianorum tale crimen per Isionem Endæmonem & Callinicum de ordinarijs linteis ementiuntur, quasi ego canonem istiusmodi tributi Ægyptijs inducerẽ, & primus omnium exigerem, sed id frustra fuit: presbyteri enim nostri Apis & Macarius, qui ibi forte præsentes aderant, eos audiẽte Imperatore de calumnia uicerunt. Imperator autem damnato Isione, me istiusmodi literis ad se accersit, re cognita Eusebius ijs author est, ne loco se moueant. Ex eius consilio rem apud Cæsarem nouis criminibus tentant, accusantes Macartum de calice: mihi autẽ non quoduis crimen, sed quod maximum omnium est, imposuere, quasi hostis Imperatoris crumenã auri cuidam Philumeno misissem. Imperator igitur, Psammathiæ causa audita, illos quidem merito ut calumniosos reiecit: nos autem in patriam redeuntes cũ istiusmodi epistola ad populos remisit.

CONSTANTINVS MAXIMVS AVGVSTVS, POPVLO CATHOLICAE PER ALEXANDRIAM *Ecclesiæ*.

DILECTI

DILECTI fratres saluto uos, inuocans Deum summum meæ uoluntatis testem, & nostræ legis unigenitum creatorem, qui omnium uitæ præsidet, & discordias odit. Verũ quid nam potissimum dicã, an scilicet nos bene ualere? uerũ id quidem, sed multo felicius agere liceret, si uos mutuo excusssis odijs amaretis: rixosorũ enim hominum procellis debemus, quòd portus dilectionis à nobis relictus sit. O rem absurdam: uah quantæ quotidie calamitates per inuidiã omnia miscentem existunt, unde fit ut populus Dei infamia laboret? Quo igitur iustitiæ fides recessit, quum tantarum tenebrarum caligine inuoluamur, neq; id tam ex errore, qui multiplex est, q̃ malignorum hominũ uitijs, dum & propugnatores uecordiæ sustinemus, & eos qui æquitatem & ueritatem profligant, etiam quũ id sensibus nostris percipiamus, negligendos putemus. Quodnam id genus nostræ peruersitatis, inimicos nõ reprehendimus? sed latrocinio nos comites damus, unde fit ut uiam quandã sibi facillime strauerit nemine repugnãte pernicioſissima fraus. Nullus ne tandem sensus est, ne pro dotibus quidem cõmunis omnium naturæ, si legis præcepta cõtemnenda duximus? Sed dixerit aliquis, saltem charitas prout ductus naturæ est, reperitur. Admodum scilicet, qui & Dei lege & bono ingenio instructi, toleremus tamen inimicos turbationum & tumultuũ, facibus quasi incendia miscere, id q̃ neq; oculis præditi cernimus, neq; legis sententia imbuti sentimus. Quantus igitur stupor nostram uitam incesit, quum nostrimet tam incurijsimus etiam Deo admonẽte? Quid igitur, num id mediocre aut tolerabile malum est? num pro hostibus habendi sunt? nónne in domum & populum Dei ante oculos nostros per sæuitiẽ debacchantur, & probra iaciunt scelerati illi? Iam quanta id cum uesania faciant, ipsis uobis cogitandum relinquo. Stulti enim illi in lingua sua sitam habent malitiam, plumbeas q̃ iras ita secum circũferunt, ut seipsos mutuis uicibus feriant, & nos secũ ad auctarium sui supplicij abstrahant, interim qui recta docet, hostis iudicatur: qui aũt inuidiæ uitium præ se fert, populum mansuetum quod minime oportuit, inuadit, euastat, absumit, & semetipsum ultro corrumpit, gloriatur, extollit, ueritatem subuertit, & fidem circumuenit, donec suæ conscientiæ cauernam, & latibulum quæritando inueniat. Ferocitas igitur agrestis eos miseros facit, qui ita temere seipsos, quũ indigni sint, efferant: inclamantes, Hem scelera, ille ne presbyter est? aut ille ne puer? mea existimatio attingitur, mihi hoc ipsum debetur, ab illo ablatum est. Ego igitur omnibus spoliatis pro uiribus nocebo. Luculentũ insaniæ tumultum dicas, si acies, conciliabula, aut comitia istorum importunissimorũ conuentuũ uideas. O nostram in Ecclesia Dei peruersitatem, spectaculum q̃ maligni & dementis animi. Nunc q̃ ne tandem pudefient? nunc q̃ ne semet ipsi improbabunt? nunquam ne in animo morsus sentient, ut uel nunc saltem contra imposturam & rixas, dignum aliquid animo cõcipiant, & sentire uideantur? Vis sola inuidiæ est suis fucis & pigmentis innitens: Sed tamen nihil mali isti aduersus Episcopum uestrum potuere. Mihi credite fratres, nihil aliud studio habent, quàm afflictis nostris temporibus nullum sibi locum pœnitentiæ in hac uita relinquere. Ipsi igitur uobismet ipsis auxilio estote (obtestor uestrã

Odij turpitudo.

charitatem)ipſi uos inuicem diligite,& omni ope pro ueſtra cõcordia iſtos perſequamini,qui ueſtram concordiæ gratiam demoliri ſtudent, Deumq; præ oculis habentes in mutua charitate conſiſtite. Ego enim ueſtrum Epiſcopum Athanaſium libenter recepi,eumq; ut uirũ Dei allocutus ſum. Veſtri autem eſt,non mei iudicij,de ea re cognoſcere. Quantum autem attinet ad officium ſalutationis,colloquijq; cum reuerendiſsimo Athanaſio, idoneum eum neceſſariumq; arbitratus ſum, qui uobis in ſacris miniſter eſſet, ea eſt hominis in æquitate tuenda ſedulitas, non indigna profecto nec ineptа noſtræ pacificæ religioni,ut quæ dotes ſalutaris ſententiæ ſemper foueat,& rationis adhortamenta ſequatur. Deus uos conſeruet dilecti fratres. His ita actis,quum aliquantiſper quieuiſſent Meletiani,denuo infeſtius inſurgentes conſilium tale inierunt,ut gratificarentur ſuarum operarũ redemptoribus. Mareotis regio quædam Alexandrina eſt, ubi Meletius quondã ſchiſma inducere non potuit. Quum igitur ibi eccleſiaſtici certas ſuas ſedes obtinerent,& presbyteri ſynaxes in Eccleſia celebrarent,populusq; in quiete eſſet:Iſchyras quidam, ut nequaq; clericus, ita moribus improbiſsimus conatus eſt ſui pagi incolas decipere,iactans ſeſe clericum eſſe: id ubi reſciuiſſet eius loci presbyter,mihi tum Eccleſias perluſtranti,renunciauit. Ego igitur illum ipſum cum Macario presbytero ablego ad Iſchyram accerſendum,quem quum morbo decumbentem in cubiculo inueniſſent, patri iniunxere ut filio denunciet,ne tale quid,quod de eo ferebatur, tentaret. Ille aũt ubi à morbo ſurrexiſſet,& ab amicis,atq; adeo ſuomet ipſius patre coercetur,ad Meletianos confugit. qui re cum Euſebianis cõmunicata, iſtiuſmodi calumniam compoſuerunt: calicem à Macario fractum, Arſenium autem Epiſcopum à me interfectũ eſſe,Arſeniumq;,ut calumnia ſuccederet,in abditis habẽt,quo ſi nuſq; appareret,occiſus eſſe crederetur: interim illi manum cuiuſdam,tanq; ex eius corpore reciſam ad oſtentationem circumferre:Iſchyram quem non nouerant,ut presbyterum celebrare,ut quum de calice loqueretur,autoritate tituli cõmodior ad fraudem eſſet. Ibi quum Iſchyras à ſuis reprehenderetur,ad nos lamentabundus acceſsit, nihil quicq;,inquiens,tale factum eſſe à Macario, qualia iactitabant, ſed ſe ſubornatũ eſſe à Meletianis ad iſtud flagitium cõminiſcendum, quapropter & iſta quoq; ſcriptis protulit.

BEATO PAPAE ATHANASIO ISCHYRAS IN DOMINO SALVTEM.

QVIA me Domine præſul in te adeundo, ut in Eccleſiã reciperer obiurgaſti,quòd iſtiuſmodi locutus eſſem, quaſi ego ultro hoc feciſſem,ac nõ ui potius huc adactus eſſem,ideo hanc ſatisfactionem tibi ſcripto porrigendam putaui, ut cognoſceres uim mihi factam eſſe tum ab Heraclide:ab Iſaac porro Letois,& à ſocijs eius etiam uerberibus cæſum eſſe. Ego autẽ Deo in teſtem adhibito pro excuſatione mea dico,me nihil eorum,quæ illi à te facta iactitant,conſcium eſſe,neq; ullum calicem confractum ſcire, aut menſam ſubuerſam eſſe, meq; ad omnia iſta

ista calumnianda eorum ui adactum esse. Hanc autē pro me excusationē facio, tibiq; eam scripto trado, optans me unum eorum esse, qui ad tuos conuentus pertinent, & tuis iudicijs parent. Valere te in Christo exopto: tradidi autem manum meam tibi Episcopo Athanasio in præsentia presbyterorum Ammonis, Dicellæ, Heraclidæ, Phasci, Bocconis, Chenebri, Achillæ, Myrsenes, Didymi, Taphrosieris, & Iusti ab Comatheo. Diaconorum aūt eorum qui Alexandrini erant, Pauli, Petri, & Olympij. Mareoticorum uero Olympij, Ammonij, Pisti, Demetrij, & Caij. Hæc quum ita confessus esset Ischyras, æque tamen illi istiusmodi crimina passim iactitarunt, remq; ad Imperatorem Constantinum detulerunt. Cæterum ille iam antea Psammathiæ de hoc calice audierat, quum nos ibi præsentes essemus. Quapropter repudiata aduersariorum sycophantia, Antiochiam literas ad Dalmatium Censorem misit, ut cognosceret de causa homicidij. Censor igitur mihi perscribit, ut me pararem ad criminis defensionem. Ego aūt literis acceptis principio eius rei nullam curā feci, eò quòd mihi conscius essem, nihil ueri ab illis dici: sed tamen, quia Imperator commotus erat, certiores eius rei facio cōministros nostros in sacris per Ægyptum: & diaconū amando, qui de Arsenio cognosceret, quem intra quinq; uel sex annos prorsus non uideram: is ut compendio loquar, primum quidem in Ægypto dum ibi occultaretur, repertus est, postmodum eundem Tyri se abstrudentem nostri inuenerūt, & quod mireris, repertus deprehensusq; noluit se agnoscere Arsenium esse, nisi in iudicio à Paulo eius loci Episcopo cōuictus: ab eo enim tempore pudore impeditus, seipsum negare non est ausus. Id aūt ideo faciebat, quòd pacta Eusebio seruata cuperet, ne se reperto argumentum fabulæ dissolueretur, nec fefellit eum opinio sua. Quum enim scripsissem Cæsari, Arsenium repertum esse, & in memoriam reuocassem quæ de Macario Psammithæ audierat, inhibuit iudiciū Censoris, literasq; misit, quibus nostri calumnias improbabat, Eusebianosq; ad se in Oriente contra nos uenientes, re infecta abire iussit. Quòd autē me de cæde Arsenij accusarint, ne multorum scriptis ad eam rem probandam utar, sufficit si unam duntaxat Alexandri Thessalonicensis Episcopi epistolam, unde & cæterorum æstimes, apposuero. Ille enim cū sciret quæ de cæde Arsenij aduersum nos uulgo sparsa essent, non ignarus Arsenium uiuere, istiusmodi epistolā scripsit.

DOMINO DILECTO FILIO VNANIMI ET SVO IN SACRIS COLLEGAE ATHANASIO, *Alexander Episcopus in Domino salutem.*

GONGRATVLOR optimo Serapioni ita se sacris moribus exornare satagenti, & patris memoriam laudabiliorem efficienti. Consummatus est enī ille (ut alicubi dicit Scriptura sacra) & non mortuus est: reliquit enim uitæ suæ monumentum. Quo igitur nos affectu esse erga eum, qui ita uirum memoria dignum in se conseruat, existimas? quum tu Domine & sacram eius uiri memoriam & recentioris humanitatem cognitam habeas, per quē unam solum à tua reuerentia epistolam

accepi: significaui igitur hoc ipsum tibi, ut scire possis, domine, dilectum nostrum condiaconū Macarium, literis è Constantinopoli huc ad me missis, ingenti me gaudio affecisse, dum mihi scriptis suis referret opprobrium, de decusq; Achabis Sycophantæ de calumnia conuicti, quod hominē uiuum quasi interfectum sermonibus apud omnes diuulgasset. Condignā autem eum sua audacia mercedem à iusto iudice cum sua cohorte relaturum esse, sacræ literæ mentiendi nescíæ satis deprædicant. Omnium Dominus te uirum optimum q̄ diutissime conseruet. Iam ideo eum occultatum fuisse, ut cædem uerisimilem facerent, testantur eius familiares, quorū Pinnes reperto tandem post longam uestigationem Arsenio ad Ioannem histrionem istius sycophantiæ in hunc modum scripsit.

DILECTO PATRI IOANNI PINNES PRESBYTER DOMICILII PTEMENGYRIS, *quæ est in Anteopolitæ nomo.*

SCIRE te uolumus, Athanasium misisse Thebaidem diaconum suum, ut omnia scrutaretur ad Arsenium quærendum, primum autē obuiŋ repertiq; Pecysius presbyter, Syluanus Heliæ frater, Tapenacerameus, & Paulus monachus Hypseles confessi sunt eum apud nos esse: id quum resciscéremus, curauimus illum in nauem conjici, ut ad partes inferiores cum monacho Helia aueheretur. Nō ita diu post Diaconus cum quibusdam superueniens, Arseniumq; quærens in nostras ædes irrupit: uerum illum ablegatum iam ad partes inferiores, quemadmodum dixi, non inuenerunt, me autē cum monacho Helia, qui Arsenium auexerat, secum Alexandriam deportauerunt, Ducíq; nos obtulerunt, ibi mihi minime licuit inficias ire, sed confessus sum eum uiuere & interfectum non esse, eadem quoq; monachus, qui eum auexerat, fassus est. Hæc ideo tibi significaui pater, ut scires Athanasium tibi accusandum non esse: dixerunt enim eum uiuere, & apud nos in abditis haberi, resq; innotuit uniuersæ Ægypto, neq; celari potest. Paphnutius monachus eiusdem domiciliŋ hanc epistolam scripsi, plurimum se saluto, & ualere opto. Scripta aūt Imperatoris certioris facti de incolumitate Arsenij, sunt ista.

VICTOR CONSTANTINVS MAXIMVS AVGVSTVS, PAPAE ATHANASIO.

LITERIS tuæ prudentiæ perlectis in eam ueni sententiam, ut putarim te scriptis nostris adhortandum, ut populum Dei ad modestiam & misericordiam adduceres. Meo enim in animo hæc inter præcipua habeo, ut & ueritatem colam, & in mente iustitiam semper conseruem, ijsq; potissimum gaudeam, qui recta uia incedūt: De illis aūt omni execratione dignis Meletianis, immanibus inquam & nefarijs hominibus, qui quasi apoplexia icti stupent, & solūmodo inuidia & æmulatione & tumultibus ad scelera motum habent, nefariā suam mentem decla-

declarantes, ista mihi dicēda puto. Vides enim homines illos, quos ipsi ferro interfectos aiebant, in medio uersari & uita frui. Quo ipso nullum unq̄ fuerit grauius præiudicium, quodq̄ tam clare eorum causam oneret, quàm eos, quos ipsi necatos asseuerabāt, uiuere, & luce frui, qui ipsi pro se causam dicere possunt. Deinde & id quoq̄ additum fuit Meletianorum criminibus nefario impetu irrumpentē, rapientemq̄ poculum, quod in sacratissimo loco repositum erat, confregisse, quo scelere nullum unquam profecto grauius esse posset, siquidem id ita factū & cōtestatum esset. At quódnam hoc genus criminationis? quæue ista desultoria personarum transmutatio, & reorum diuersitas? ut nunc in hunc, nunc in alium crimen conferant? quæ res ipsa luce lucidior est, ipsos tuæ prudētię insidias tetendisse. Deniq̄ quis iam deinceps homines istos tam multa ad noxam fingentes, sequi uelit? maxime quum ipsi se ipsos in barathrum ducant? quumq̄ in conspectu sit eos fictarum & falsarum rerum accusatores esse? Vt iterum dicam, quis eos sequi uelit, & iter exitij præceps inire, in quo illi soli mortalium spem salutis auxiliumq̄ constituunt? Si em̄ uellent pura conscientia ingredi, & bonæ mentis meminisse, & sanum animum induere, facile intelligerent nullam ipsis opem à Dei prouidentia expectandam esse, quum se talium rerum æmulatores ad suam perniciem præbeāt. Hanc igitur quam denuncio, non asperitatem, sed seueritatem iure appellauero. Postremo etiam illud adiungimus, ut operam des, quo ista quæ scripsimus, subinde ad populum recitentur, ut res ad omnium noticiam ueniat, & præcipue ut illi qui ita agunt, & ad istū modum cōuersantur, rescisscere possint, quòd ista quæ nunc à nobis emendationis causa dicuntur, re ipsa & factis demōstrabuntur uera esse. Iam quū in hoc negocio tanta sit malitiæ importunitas, certum habeant me ita decreuisse, atq̄ huius esse sententiæ, si quid tale iterū mouerint, nō pro more Ecclesiarum, sed pro legibus publicis memet meapte opera causæ cognitionē susceptum, ac deinde cognoscent se non solum humani generis, sed etiam diuinæ disciplinæ latrones esse. Deus te seruet frater dilecte.

ATHANASIO BEATISSIMO PAPAE

ARSENIVS EPISCOPVS CIVITATIS HYPSELITARUM, *cui aliquando præfuit Meletius unà cum presbyteris & diaconis in Domino S. D. P.*

ET NOS quoq̄ diligentes pacem & unanimitatem cum Ecclesia Catholica, cui tu per Dei gratiam præfectus es, uolentesq̄ Ecclesiastico canoni pro ueteri instituto subijci, scribimus tibi Papa dilecte, promittimusq̄ in nomine Domini, nos deinceps nō cōmunicaturos cum schismaticis, aut cum ijs, quibus nondum pax est cum Ecclesia Catholica, siue Episcopi sint, siue presbyteri, siue diaconi, neq̄ cum illis in concilio coituros, neq̄ literas pacatas ad illos daturos, neq̄ inuicem ab illis accepturos, neq̄ citra tuam Metropolitani Episcopi sententiam, ullum de Episcopis aut alio dogmate cōmuni & Ecclesiastico decretum ædituros, sed cessuros canonibus ante susceptis ad exemplar & modū Episcoporum

porum Ammoniani & Tyranni Plusiani,& reliquorum Episcoporũ.Præterea obsecramus tuam humanitatẽ,ut nobis q̃p primum rescribas, & de nobis ad nostros in sacris collegas, indicesq̃ nos iã stare pristinis decretis,pacemq̃ agere cum Catholica Ecclesia, & regionũ istarum Episcopis coniunctos esse: credimusq̃ tuis precibus ut gratis & efficacibus apud Deũ istam pacem firmam indissolubilemq̃ perpetuo futuram, secundum Dei uoluntatem Domini omnium per Iesum Christum Dominum nostrum. Totum cœtum sacrorum uirorum,qui sub tua iurisdictione est, nos & qui nobiscũ sunt, salutamus, & quum primum Deus permiserit, excurram ad tuam humanitatem. Valere te exopto multis temporibus Papa beatissime. Maius autẽ & liquidius argumentũ nos calumnijs impetitos fuisse,Ioannis pœnitentia demonstrat,cuius testis fuit ipse Deo gratiosiss.beatæ memoriæ Imperator Constantinus, qui cum sciret qualia crimina Ioannes ad se detulisset,literasq̃ eiusdem iam pœnitentis accepisset,in hunc modum scripsit.

CONSTANTINVS MAXIMVS AVGVSTVS, IOANNI.

EX ANIMO mihi gratæ fuere tuæ prudentiæ literæ: inde enim didici,quę desiderabam scire,omnem te minutiem animi deposuisse,& cũ Ecclesia,ut par erat,cõmunicasse,& cum Athanasio Episcopo reuerendissimo quàm maxime in concordiã uenisse. Certum igitur habeas te à nobis collaudari,quòd relicta omni conserendæ manus cupidine,id quod Deo gratum erat,feceris. Vt igitur quæ concupisti,assecutus esse uidearis,tibi permittendum putaui,ut inscenso publico uehiculo ad nostras stationes uenias,restat igitur ut nihil cures,quum Epistola hæc tibi facultatem publici uehiculi præbeat, ut quàm celerrime ad nos peruenias, & uotis tuis implearis, nobisq̃ conspectis congrua fruaris lætitia. Deus te conseruet frater dilecte. Hunc finem habuit cõspiratio.Meletiani igitur cum pudore recesserunt, Eusebiani aũt ne ita quidem cõquiescere potuerunt,eò quòd ipsis non Meletiani,sed Ariani curæ essent.Veritiq̃ igitur ne Meletianis cõquiescentibus destituerentur huiusmodi calumniæ histrionibus, denuo eos in nos exasperant, iterum Imperatori Synodũ Tyri indicendum persuadentes, ad quam & comes Dionysius missus est, Eusebianisq̃ satellitium militare additũ, eodem Macarius sed uinctus per milites deductus est, mihi scribitur ut adsim, atq̃ adeo necessitas ueniendi iniungitur,ut nisi uenirem,inuitus adducerer.Tota igitur cõspiratio in fingendo scelere ex literis Ægyptiorum Episcoporũ cognosci poterit. Quomodo aũt crimen subornarunt,referendum puto. Hinc enim malitiam uafriciemq̃ eorũ contra nos,deprehendi licebit. Sunt autẽ ex Ægypto & Libya & Pentapoli Episcopi propemodũ centum,quorum nemo nos insimulauit,neq̃ presbyter ullus conquestus est, neq̃ quispiam nobis ex populo obtrectauit. Sed Meletiani qui à Petro unà cum Arianis eiecti fuere, ita insidias inter se partiti sunt: ut isti accusationem, illi officium iudicandi sibi uendicarent. Nos igitur Eusebianos ut inimicos nobis ob hæresim ab hac

lite

lite reiecimus, & accusatorē nostrū docuimus nullo unq̄ modo presbyterum haberi potuisse: idq̄ istis rationibus: Beatum Alexandrum suspectantem Meletij Episcopi (quod utinam nunq̄ factum fuisset) designati callidi-tatem postulasse ab eo breuiarium eorum Episcoporum, quos in Aegypto habere se dicebat unà cum presbyteris & diaconis siue Alexandrinis, siue ruralibus. Hoc autem ideo Alexander fecit, ne Meletius per Ecclesiam securitati restitutos titulos plurimos uenderet, & mēdacio quotidie nouos tanquam à se creatos subijceret. Breuiarium igitur Aegyptiorum, quod fecit Meletius, tale est.

BREVIARIVM MELETII, EPISCOPO ALEXANDRO DATVM.

Ego Meletius in Lyco, Lucius in Antinoo, Phasileus Hermopole, Achilles Cusis, Ammonius Diospole in Ptolemaide, Pachymes Tetyris, Maxianopole, Theodorus in Copto. In Thebaide, Cales in Hermethe, Caluthus in superiori Cyno, Pelagius in Oxyrincho, Petrus Hiracle, Theon in Nelupe, Isaac in Leto, Heraclides in Nicio, Isaac in Cleopatride, Melas in Arsenoite. In Ilio, Amos in Leontis, Ison in Atribia, Harpocration in Bucalto, Moses in Phascusis, Callinicus Pelusij, Eudæmon in Tanee, Ephraim in Thmui. In Sai, Hermæon in Cyno & Busiride, Sinterichus in Serbennito, Pinimutes Phthenegij, Cromus in Metole, Agathammon in Alexandrinorum agris. In Memphi Ioannes iussus ab Imperatore, ut esset unà cum Archiepiscopo: & hi quidem Aegyptij præsules. Clerici aūt Alexandrini isti fuere, Apollonius presbyter, Ireneus presbyter, Tyrannus presbyter. Diaconi uero, Timotheus diaconus, Antinous diaconus, Ephestion diaconus, & Macarion presbyter paremboles. Hos etiam præsentes Episcopo Alexandro tradidit. Ischyræ aūt nusquam mentionem fecit, nec unquam fassus est se presbyterum Mareotæ habuisse, uerum ea res nihil remorata est inimicos, quum & presbyter fingeretur, qui presbyter non erat, & Comes uim adhiberet, & milites nos traherent, sed tamen gratia Dei uictoriam retulit: neq̄ enim de calice Macarium conuincere potuerunt, imo & Arsenius, quem, ubi diuulgauerant à nobis interfectū esse, uiuus adstabat, & eorum sycophantiā claram, euidentemq̄ faciebat. Aegerrime igitur Eusebiani ferentes inuictum ita remanere Macarium, amissa præda quā uenabantur, persuadent comiti Dionysio, qui cum ipsis erat, ut nonnullos in Mareoten amandaret sciscitaturos, si quid de hoc presbytero deprehendere possent, uel potius ut nobis absentibus consuerent, quod uellent: id enim illis studio fuit. Certe nobis dicentibus superuacuam esse in Mareoten legationem, néue simularent se de ijs quæ iam pridem meditati essent, quasi nondum satis disseruissent, néue dilationes quærerent, quum quæ se deprehendere posse sperauerant, omnia iam in mediū protulissent, ac proinde ipsos rebus destitutos tergiuersationes aucupari. Quòd si omnino Mareotica legatio necessaria uideretur, ne saltem homines suspectos eò mitteret. Comes igitur quantum ad suspectos pertinet, obtemperabat, uerum illi id ipsum tanto acrius fecerunt: quos enim ob Arianam

nam hæresim reiiciebamus, eos illi omni ope eò ablegarunt, Diognium scilicet, Marem, Theodorum, Macedonium, Vrsacium, Valentem. Rursumq; diplomata ad Ægypti præfectum, & satellitium militare datum. Et id quod mirum in primis, ac omni suspicione plenum, Macarium, qui reus erat, militari manu detentum reliquerunt, & accusatorem eius secum abduxerunt. Quis iam inde non speculatur illorum conspirationem? quis non intuetur clarissime Eusebianorum malitiam? Si enim Mareotica cognitione ad iudicium opus erat, reum eò mitti oportuit: quòd si non iudicij causa illuc abierunt, quasi accusatorem secum abduxerunt? satis enim erat, quòd ille reatum docere non poterat: uerum hoc agebant ut Macarium, quem præsentem uincere non poterant, absentem opprimerent, & ea occuparentur, quæ uellent. Nam presbyteros tum Alexandriæ, tum uniuersæ regionis, qui cũ querimonijs expostulabãt, eos solos quæstioni adhiberi, ac se in primis adhibendos esse, quòd & maxime istarum rerum conscij esse possent, & Ischyram probe cognitum haberent, non admiserunt. Ægypti aũt præfectum religionis nostrę transfugam, & milites ethnicos homines secum adduxerũt, ea perscrutantes, quæ ne catechumenis quidem fas est intueri: clericos autẽ non admiserunt, ne & ibi quoq; quemadmodũ Tyri contigit, suos haberẽt refutatores. Sed ne ita quidem latere potuerunt. Presbyteri enim Alexandriæ & Mareotes, animaduersa illorum malitia ad hunc modum scripserunt, & protestati sunt.

THEOGNIO, MARI, MACEDONIO, THEODORO, VRSACIO ET VALENTI, EPISCOPIS E

Tyro profectis, presbyteri & diaconi sub reuerendißimo Episcopo Athanasio, Catholicæ Ecclesiæ Alexandrinæ.

DECVIT in primis cum huc ueniebatis cum ipso accusatore, adducere quoq; uobiscum presbyterum Macarium: ita enim iudicia constitui debent, secundum sacram Scripturam, ut reus & accusator simul appareant. Postq; autẽ nec Macarium adduxistis, neq; reuerendissimus Episcopus noster Athanasius ad iudicium receptus est, postulauimus, ut saltem nobis interesse liceret, ut nobis prẽsentibus certa inquisitio haberi posset, ut ad istum modũ rebus actis iure fidem uestris iudicijs haberemus. Verum & hoc nobis pernegatũ, & soli cum præfecto Ægypti unà cum accusatore, id agitis quod libet. Profitemur igitur nos uidere in uestris actis maliciæ suspicionem, animaduertimusq; uestrũ aduentum nihil aliud in se habere quàm conspirationẽ & insidias, eaq; de causa epistolam hanc uobis dedimus, monumentum testimoniumq; istius rei aliquando futurum in uera & legitima Synodo, ut omnibus innotescat, quòd inaudita altera parte, ea quæ libuit, inter uos egeritis, & nihil studuisse, nisi ut conspiratione nos opprimeretis. Exemplar istarum literarũ etiam Palladio dedimus Imperatoris Curioso, ne celari posset à uobis. Scelera eĩ quæ fecistis talia nos de uobis suspicari cogunt. Dionysius presbyter has literas

dedi.

dedi. Alexander presbyter, Nilas presbyter, Longus presbyter, Aphthonius presbyter, Athanasius presbyter, Amentius presbyter, Pistus presbyter, Plution presbyter, Dioscorus presbyter, Apollonius presbyter, Serapion presbyter, Ammonius presbyter, Gaius presbyter, Rhenus presbyter, Æthales presbyter: Marcellinus diaconus, Appianus diaconus, Theon diaconus, Timotheus diaconus. Literæ igitur & nomina clericorum ciuitatis hæc sunt. Clerici aũt Mareotes, qui mores accusatoris norãt & mecum prouincias lustrabant, ad istum modum scripserunt.

SANCTAE SYNODO BEATORVM EPISCOPORVM CATHOLICAE ECCLESIAE, MAREOTICI OMNES & presbyteri, & diaconi in Domino, S. P. D.

NOS nequaq; ignari huius Scripturę, quę ita dicit, quod uiderũt oculi tui, loquere, & item illud, quod falsus testis impunitus nõ erit, ea quæ uidimus, testãda arbitramur, & potissimum quia testimonium hoc nostrum necessariũ reddidit conspiratio aduersus Athanasium Episcopum nostrum inita. Admiramur aũt quomodo uel ulla tandem ratione Ischyras pro Ecclesiastico habeatur, de qua re primum nobis referendum arbitramur. Ischyras enim nunq; ex sacris Ecclesiæ cõministris fuit: sed primum iactauit se Colluthi presbyterum, uerum ita ut neminem haberet, qui ipsi crederet, exceptis dũtaxat cognatis suis, ut qui nec unq; Ecclesiam obtinuerit, nec clericus ab ullis, nisi qui longius ab illius pago habitarẽt, unq; sit creditus, solis dũtaxat eius cognatis exceptis. Idemq; quum talem sibi titulũ uẽdicasset in Alexandrina Synodo in præsentia patris nostri Hosij depositus est, & cum laicis in ordinem redactus, atq; in eo statu reliquum iam inde tempus permansit: ad istum igitur modum inanis illi fama presbyterij excussa est. Nam de moribus eius loqui superuacuum, quum ij ab omnibus sciri possint. Cæterum quia calumniã impegit nostro Episcopo Athanasio de collisso calice, & mensa subuersa, de ijs necessum est ut uerba faciamus. Ante omnia dicimus illum nullam unquam Ecclesiam in Mareote habuisse, qua in re Deum testem facimus, neq; calicem ullũ confractum esse, neq; mensam à nostro Episcopo Athanasio, neq; à quoquam aliorum qui cum illo degunt euersam esse, nihilq; in istis uerbis esse nisi calumniam, & ista quidẽ ut conscij pro testimonio loquimur, utpote qui nec longis finibus ab Episcopo distamus, & comites ei in lustrãda Mareote adhæsimus. Nunquam em̃ ille solus uisitandi causa itinera obire solet, sed comites secũ trahere presbyteros & diaconos, & non paucos ex plebe: & quia illi per omnia itinera comites fuimus, quo tẽpore ad nos accessit, ideo hæc uobis pro testimonio dicimus, nec poculum confractum esse, nec mensam subuersam: sed omnia Ischyram mentiri, quod & ipse sua manu testatũ cõfitetur. Nam quum ille post defectionem ad Meletianos nobis reconciliari & coniungi uellet, quemadmodũ & Pistus, qui ipse quoq; talia de Athanasio in uulgus sparserat, neutrum tamen, quamq; propria manu testarentur, nihil tale factum esse, & se subornatos à certis hominibus, ut talia dicerent, recipere uoluerunt. Ac proinde Theognium, Theodorum, & Marem, Macedonium,

cedonium, Vrſaciũ & Valentem in Mareoten profectos, nulla documenta reatus deprehendere potuiſſe. Verum quum res eò tenderet, ut illorũ ſycophantia in Athanaſium in apertum proditura uideretur, Theognius inimicus Athanaſio, cognatos ſuos & quoſdam Ariomanitas ita inſtituit, ut quæ ipſe uellet, pro teſtimonio loquerentur. Nemo enim ex populo quicquam contra Athanaſiũ locutus fuiſſet, niſi terrore Philagrij Ægyptij præfecti, importunitatecq; Arianorum uehemẽter inſtantiũ uicti coactiq; eſſent ad ea facienda, quæ ipſis liberet. Siquidem nos ad calumnias refutandas eò uenientes non admiſerunt: nobisq; reiectis, eos quos idoneos putauerunt, ad calumniam inſtruendam receperunt, qui metu Philagrij præfecti in partes eorum conceſſerunt. atq; ideo nimirum erat quòd nos ſummotos uolebant, ne ſcilicet ſubornatos ab ipſis criminatores, aut Eccleſiaſticos non eſſe: aut ſi eſſent, Arianos eſſe, doceremus. Scitis aũt dilecti fratres in ſacris literis præcipi, non ualere inimicorum teſtimonia. Cæterum à nobis uera dici, atteſtatur manus ipſa Iſchyræ, atteſtãtur quoq; ipſorum facta, qui nobis nihil iſtiuſmodi criminum conſcijs præſidio Philagrij, & armorum terrore ea confecere quæ uoluerunt. Hæc, ut coram Deo, teſtamur, hæc, ut certi de futuro iudicio Dei, loquimur. Noſtra quidem omnium uoluntas fuit huc excurrendi, ſed tamen in eo acquieuimus, ut nonnulli ex noſtris iſtuc uenirent cum literis noſtrorum qui hic remanſerunt, ut ita eorum uicem abſenti amq; ſuſtinerent, & cõpenſarent. Ingenuus presbyter uos ualere in Domino opto dilecti fratres. Theon presbyter, Ammonius presbyter, Heraclius presbyter, Etocion presbyter, Tryphon presbyter, Petrus presbyter, Hierax presbyter, Sarapion presbyter, Marcus presbyter, Pollarion presbyter, Caius presbyter, Dioſcurus presbyter, Demetrius presbyter, Thyrſus presbyter. Diaconi, Piſtus diaconus, Apollos diaconus, Serras diaconus, Piſtus diaconus, Polynicus diaconus, Ammonius diaconus, Maurus diaconus, Ephæſtus diaconus, Apollo diaconus, Metopas diaconus, Apollos diaconus, Sercipas diaconus, Meliphthongus diaconus, Lucius diaconus, Grigoras diaconus.

IDEM AD CVRIOSVM ET PHILAGRIVM PRAEFECTVM AEGYPTI.

FLAVIO PHILAGRIO, ET FLAVIO PALLADIO DVCENARIO PALATINO, *Curioſo & Flauio Antonino commeatuum præfecto centenario, dominorum meorum illuſtriſſ. præfectorum ſacri prætorij, presbyteri & diaconi Mareotici ex regione & Nomo, cuius Epiſcopatum gerit reuerendiſſ. Athanaſius, hæc uobis cum ſubſcriptione noſtra pro teſtimonio porrigimus.*

QVONIAM Theognius, Mares, Macedonius, Theodorus, Item Vrſacius & Valens, miſsi ab Epiſcopis qui Tyri in cõſiliũ coierant, ad noſtram paroeciam profecti, dixere ſeſe in mandatis habere, ut inquirerent in quædã Eccleſiaſtica facinora, & inter cætera

tera de calice confracto, quum iam antea ad id Ischyram quẽdam subornassent, quem secum adduxerũt, hominem minime presbyterum, tametsi se eo nomine iactitet, quippe ordinatum à Collutho quodam, non uero, sed imaginario Episcopo, cui in generali concilio ab Hosio & à cæteris Episcopis qui unà aderant, iussum fuit, ut se pro presbytero, qualis antea fuerat, haberet, atq; ideo omnes ab illo cõstitutos in ueterem suum ordinem recurrisse, inter quos etiam Ischyras numerandus est, qui dicit se eam Ecclesiam habere, quæ nunc̃q; fuit, quippe quæ domuncula sit in prædijs cuiusdam pupilli nomine Isionis. ea res in causa est, ut hoc testimonio utendũ putaremus, uos religiose adiurantes per omnipotentem Deum, & per Dominos nostros Constantinum Augustum & liberos eius illustrissimos Cæsares, ut hæc in cognitionem eorum pietatis referatis. Non enim Ischyras presbyter est Catholicæ Ecclesiæ, neq; Ecclesiam habet, neq; unc̃q; calix confractus est, sed hæc omnia falsa & ficta sunt, consulibus Iulio Cõstantio illustrissimo patricio fratre religiosissimi Constantini Augusti, & Ruffino Albino clarissimis & Deo gratissimis uiris. Et hæc quidem presbyteri: quæ aũt Episcopi scripserint, qui mecum ex Ægypto Tyrum conuenerant, quæc̃q; illi re animaduersa de illorum conspiratione & insidijs pro testimonio dixerunt, sunt ista.

EPISCOPIS TYRI CONGREGATIS

DOMINIS PRECIOSISSIMIS, II QVI CVM ATHANASIO EX *Aegypto ad concilium uenere, in Domino, S. P. D.*

NON arbitramur ulterius Eusebij, Theognij, Maris, Narcisci, Theophili & Patrophili conspirationẽ incertã dubiamc̃q; haberi, principio quidem omnes reclamabamus per cõministrum nostrum in sacris Athanasium, ne illis, quum adessent, causæ cognitio permitteretur, ut non ignari, uel unius inimici præsentia, nedum pluriũ, iudicia turbari, & lædi posse. Neq; uobis in occulto est odium eorum, non solũ in nos, sed in omnes orthodoxos, & quàm Arianicæ rei furioso & immani studio & zeli impiæ eius doctrinæ omnibus immineant, & aduersus omnes conspirent. Hic tamen nos ueritate freti, ubi Meletianorum calumnias refellere cuperemus, nescio quibus artibus Eusebiani nostros conatus interturbare studuerunt, magnamc̃q; operam impendere, ut nostra dicta reijcerentur, nunc synceriter iudicantibus interminantes, nunc etiam nonnullis contumeliam inferentes, non alio scopo, c̃q; ut id quod contra nos molirentur, progressum haberet. Fortasse diuina uestra religio domini honoratissimi, per id temporis ignorabat eorum cõspirationem, quam nunc putamus uobis manifesto apparere, quum sese quales essent, tam clare ostenderint. Quotquot enim ex toto grege suspectissimi erant, Mareoten ablegarunt, ut per nostram absentiam, quibus hic hærendum est, populos perturbent, & studia sua perficiant. Ecce enim Arianos, Colluthanos, & Meletianos hostes Catholicæ Ecclesiæ ideo potissimum emittere studuerũt, ut per præsentiam hostium nostrorum, sutelas quas uellent, aduersus nos facerẽt. Certe Meletiani qui hic Tyri apud nos sunt, ante quatriduum, quasi certi

essent,hoc in concilio decretum iri,quosdam ex suis uesperi per uereda rios ablegarũt,qui Meletianos etiam ex reliqua Ægypto Mareoten, quum ibi nulli essent,cõuocarent,eodemq; Colluthanos & Arianos ex alijs locis cõtraherent,ut eos instruerent,quid contra nos dictum uellent.Memores eñ estis ipsum Ischyram confessum esse coram uobis,non plures se habere quã septem cõmunicantes.Cæterum quia post sutelas suas summissosq; suspectissimos homines,audiuimus eos singulos uestrum ambientes, postulare uestram subscriptionem,ut omnium uestrum consilio id actum uideri possit,ideo nos & ista scribimus,& pro testimonio dicimus, protestantes coniurationes insidiasq;, quas & ab illis & per illos patimur, oramusq; ut suscepto Dei timore,indignantesq;,sine uestra autoritate illos missos esse, quos ipsi uoluerunt,abstineatis à subscriptione,ne quas ipsi per se sutelas consuunt,eas tanquã uobis authoribus factas iactitent,quum deceat homines in Christo non humana respicere,sed ueritatẽ omnibus anteponere:neq; minas eorũ aut cõspirationem in omnes,sed potius Deum metuere. Æquum certe erat,siquidem legati Mareoten mittendi fuerant,nos quoq; unà cum illis ibi præsto esse ad hostes Ecclesiæ indicandos, peregrinosq; eliminandos,ut purum istius rei scrutinium haberi possit.Scitis enim Eusebianos suis sutelis curauisse epistolam reddi,quasi à Colluthanis, Meletianis & Arianis contra nos scriptam,neq; ignota res est, hostes Catholicæ Ecclesiæ nihil ueri de nobis,sed omnia infesta loquuturos.Lex aũt Dei inimicum neq; testem neq; iudicem esse uult.Reliquum est igitur,ut,tanq; in die iudicij rationes reddituri, accepta hac nostra protestatione, certiq; fraudis aduersus nos institutæ,nostrisq; precibus mature admoniti, caueatis quicq; contra nos facere,aut Eusebianorum consilium adiuuare.Scitis enim, quemadmodum superius dixi,eos nostros inimicos esse,& cur ita pridẽ Eusebius Cæsariẽsis odiũ in nos susceperit.Valere uos optamus domini desideratissimi. Adamantius Episcopus has literas dedi,Ischyras,Ammon,Petrus,Ammonianus,Tyrannus,Taurinus,Serapammon,Ælurion, Harpocration,Moses,Optatus,Anubion, Saprion, Apollonius, Arbæthion, Potamon,Paphnutius,Theon,Nonnus,Ariston,Theodorus,Agathamnon, Cinus,Pistus,Aethas,Nicon,Pelagius,Theon,Pammithius, Irenæus, Blastammon, Philippus,Apollo,Dioscurus,Timotheus,Diopolitanus,Macarius,Heraclammon,Cronius,Muis,Iacobus,Ariston,Arthomidorus,Phinees,Psais, Heraclides.

RVRSVM IIDEM AEGYPTII EPISCOPI QVI TYRI CONVENERVNT EX PARTE CATHOLICAE *Ecclesiæ,Flauio Dionysio Comiti illustrissimo.*

QVVM multas uideremus calumniarũ cõsarcinationes, & ex consarcinationib.insidias Eusebij,Narcissi, Flacilli, Theognij,Maris,Theodori, & Patrophili aduersus nos, quos quia principio detrectantes reijcere non licuit, necessario ad hanc protestationem decurrimus,præsertim quum animaduertamus multa ad gratiam Meletiano-

Z.

letianorum,multa rursus ad insidias Catholicæ Ecclesiæ sub nostri crimini bus agitari,necessario ob id quoq; libellum hunc tibi porrigimus cum mul tis obsecrationibus,ut Dei metu in animo seruato,qui imperium augustissi mi & pientissimi Imperatoris Constantini tuetur, cognitionem causarū no strarum ipsi augustissimo Imperatori reserues. Æquum enim est te ab Im peratore missum,negocium hoc integrum Imperatori retinere. Quādoquí dem tolerare non possumus compositas istas calumnias, quibus insidiose ab Eusebianis premimur, ideoq; postulamus causam istam pientissimo & religiosissimo Imperatori reseruari, apud quem licebit & iura Ecclesiæ, & nostra proponere:plane enim confidimus, eius pietatem, cognitis nostris rationibus,nequaq; nos condemnaturam esse. Quapropter denuo te obte stamur,adiuramusq; per omnipotentem Deum,ita pientissimus Imperator per multos annorum recursus cum liberis suæ pietatis ualeat,ut nihil in hoc negocio deinceps facias,neq; tibi indulgeas, ut quicq; contra nos in Syno do commoueas,sed reserues rei cognitionem eius pietati. De ijsdem rebus etiam dominis nostris Episcopis orthodoxis significauimus, quibus cer tior factus Alexander Episcopus Thessalonicensis,scripsit ad Dionysiū Co mitem in hæc uerba.

DOMINO SVO DIONYSIO ALEXANDER EPISCOPVS.

CLARE uideo Athanasio calumniam strui:omnes enim quos re cusauit,nescio quo modo,illi emittere uoluerunt,nullo nobis e ius rei indicio facto.Erat enim decretum ut consultatio habere tur,quosnā eò amandare oporteret. Consule igitur illis,ne quid temere faciant. Venerunt enim ad me turbidi cum his uerbis,belluas inhor ruisse,& in proximo esse ut exiliant,eo quod sonitu strepituq; consternatæ sint,audierintq; Ioannem nōnullos emisisse:uide ergo,ne anteuertāt, & ita ut uelint,sutelas faciant. Nosti porro Colluthianos unà cū Arianis & Me letianis hostes Ecclesiæ esse. Isti nunc inter se animo calculisq; consociati,in gentia mala patrare possunt. Vide igitur quid utile sit,ne quid triste emergat,ne subijciamur obtrectationi, quasi qui nequaq; iuste iudicauerimus. Ea aūt potissimum de illis suspicio est,ne peragratis Ecclesijs, quarum Episcopi hic sunt,per metum & uim totam Ægyptum perturbent,ut ita Melet ianis Ecclesiæ tradantur,quod quidē agitari iam pridē animaduersum est.

AD HAEC COMES DIONYSIVS EVSEBIANIS SCRIPSIT AD HVNC MODVM.

HAEC ipsa erant quæ dicebā domino meo Flacillo, Athanasius insurget,diceq;,quos ipse reiecerat,eos ad istud negocium sub mitti,seq; iniuria tractari,& circūueniri uociferabitur. Hæc quo que eadem illa sunt quæ dominus animæ meæ Alexander suis epistolis mihi significauit. Verum ut sciretis ratione constare, quæ mihi ab

illius humanitate perſcripta ſunt, ipſius epiſtolam, ut à uobis quoq; legeretur ſubieci. Memores autem eſtis eorum, quæ prius ſcripſi, quum admonerem ueſtram bonitatem, legatos communi iudicio & ſuffragio deligendos eſſe. Videte igitur ne res iſta culpæ obnoxia ſit, néue iuſtam obtrectandi noſtri occaſionem criminatoribus præbeamus. Vt enim accuſantium partem grauari non oportet, ita neq; reorum. Arbitror porro non minimam noſtri obtrectandi materiam datum iri, ſi dominus meus Alexander actis noſtris non uideatur ſuffragari.

NARRATIO QVOMODO E TYRO ABIERIT IN AEGYPTVM PAPA ATHANASIVS.

QVVM res ita ageretur, ab ijs, tanq; è concilio iniurioſorum receſſimus: quod enim libuit, fecere. Sed tamen ea quæ inaudita altera parte fiunt, nihil habere roboris nemo omnium mortalium ignorauerit. Hoc enim & lex diuina præcipit, hoc quoq;, quum inſidias pateretur beatus Apoſtolus, & reus eſſet, poſtulabat. Oportebat, inquiens, Iudæos ex Aſia corã te adeſſe, & accuſare ſi quid habent: quo tempore & Feſtus, conantibus Iudæis eaſdem contra Paulum inſidias, quales ego nunc patior, ita loquutus eſt, Non eſt moris Romani gratiæ aduerſariorum donare hominem reum, qui nondum accuſatores ante oculos ſuos habuit, aut reſpondendi locum de crimine adeptus eſt. Euſebiani autem & legem mutare auſi ſunt, & illis ipſis iniuſtiſsimis Iudæis iniuſtiores ſeſe exhibuerunt. Non enim ſtatim à principio iſta ſeorſum ſine reliquis agere tentauerunt, ſed tum demum, quum coram à me in præſentia refutati ſuccubuiſſent. Ex eo namq; tempore, quemadmodũ Iudæi, conſilium ſeorſum & ſoli inierunt, ut & nos perderent & hæreſim introducerent: & quemadmodũ illi Barrabam poſtulauerunt, ita quoq; & ipſi omnia ob hæreſim ſe facere profitentur. Et hæc quidem abunde ſufficiũt ad defenſionem meam, ſed tamen ut corũ ſcelera & ueritatis libertas magis appareat, nihil uetat, quo minus denuo earum rerum mentio fiat, ut pateat ipſos ſibimet cõtraria egiſſe, & in tenebris conſilia ſua conflantes, in ſemetipſos impegiſſe, & ſtudio nos occidendi, ſeipſos, uti inſani ſolent, uulneraſſe. Nam de myſterijs inquirentes Iudæos interrogarũt & catechumenos examinauerunt, ubi nã inquientes eratis, quum Macarius acceſsit, & menſam ſubuertit? illiq; reſponderũt, nos intus fuimus. Iam ſi id uerum eſt, ergo eo tempore oblatio celebrari nõ potuit, ſiquidem catechumeni intus erant, æque tamen paſsim ſcriptitarũt, ſtante presbytero & ſacrum faciente, Macarium ingreſſum ſubuertiſſe omnia. Et quum interrogarent quos uellent, ita percunctati ſunt, quo in loco erat Iſchyras, quum Macarius ſuperueniret, illiq; rurſum reſponderunt, in cubiculo ægrotus decumbebat, ergo in ſacro non ſtabat, qui per morbũ decumbebat, neq; oblationem facere poterat, qui in cellula ſua ægrotus iacebat: inſuper dicente Iſchyra, combuſtos eſſe libros à Macario, ſubornati ad eam rem teſtes, nihil tale factũ eſſe, & mentiri Iſchyram aſſeuerauerunt. Iam quod admireris, quum literis ſuis famam eam ſpargant, ubiq; terrarũ à nobis ſub-

bis ſublatos eſſe, qui conſcij teſtimoniū ferre poſſent, eoſdem tamen quum iam apparerent, percunctati ſunt, nullo interim pudore tacti, quum ſe uiderent undecunq; quadruplatores declarari. Sed tamen quanquã ſeorſim ſine aliorum authoritate ita pro libidine agerent, nutibusq; teſtes admonerent, præfectus minas iactaret, militesq; tela ac uulnera intentarent, nihilominus tamen Dominus ueritatem patefecit, eosq; ſycophantiæ coarguit. Illi ergo actorum monumenta, quæ habebant, ſuppreſſerunt, & notarijs iniunxere, ut ea amolirentur, neq; ulla exemplaria uulgari ſinerẽt. Sed fruſtra hæc omnia. Nam qui ea ſcripſit, Rufus eſt, qui nunc in Auguſtalliana ſpeculatorem agit, & teſtis eius rei citari poteſt. Atq; adeo ipſi Euſebiani ea per ſuos Romã miſerunt, eademq; illa ab Iulio Epiſcopo ad me tranſmiſſa ſunt, Inſaniũt igitur ſua arcana in manibus noſtris haberi, & à nobis recitari. His & iſtiuſmodi facinoribus patratis, cauſam cur ea facerent, manifeſtam reddidere. Nam & in digreſſu ſuo Arianos ſecum Hieroſolymam adductos in cõmunionem receperunt, ſcriptis eiuſmodi ſuper ea re literis, quarum principium & pars hæc eſt.

SACRA SYNODVS HIEROSOLYMIS CONGREGATA, ECCLESIAE DEI APVD ALEXANdrinos, omnibusq; per Aegyptum, Libyam, Pentapolim, & ubiq; per orbem Epiſcopis, presbyteris, diaconis in Domino, SALVTEM.

OMNIBVS nobis in eundem locum ex diuerſis prouincijs ad magnum & feſtum diem congregatis, ut dedicationem templi Saluatoris, cura religioſiſsimi Imperatoris Conſtantini, omniũ regi Chriſto ædificati celebraremus, accumulatiorem uim lætitiæ attulit & Dei gratia, & Imperator religioſiſsimus, quum nos ultro ſuis literis, ad ea quæ facienda eſſent, adhortaretur, ut profligata ab Eccleſia Dei omni inuidia, & omni malignitate procul abacta, per quas membra Dei antea diſſidebant, ſimplici animo & pacato Arianos reciperemus, q̃s aliquantiſper iniqua inuidia extra Eccleſiam retinuit. Certe ipſe Imperator religioſiſsimus ſuo teſtimonio iſtorum uirorum rectigradam in fide ambulationẽ cõmendat, eamq; ex eorum uiua uoce cognitam approbauit, & nobis eam ſignificauit, certamq; & indubitatam reddidit, literis ſuis ſubiecta eorum uirorum orthodoxa mente quam ſcripto ediderant. Quis igitur auditis iſtis, fabricas eorum & technas non perſpiciat? Non eñ diſſimulauerunt, quod ipſis in animo fuit, & fortaſſe etiam inuiti ueritatem confeſsi ſunt. Nam ſi ego is eram qui Arianos ab Eccleſia arcebam, Arianiq; me oppreſſo recepti ſunt, quid aliud intelligas quàm omnia in gratiam Arianorum facta eſſe, omniaq; contra me inſtituta eſſe, tam calumniã poculi confracti, quàm Arſenij cædem, ut & hæreſim in Eccleſiam immitterent, & ipſi interim hæreſeos damnati non haberentur? Id profecto erat quod antea Imperator mihi per minas ſcripſerat. Nec uerentur in dictis ſuis eos affirmare recte ſentire, quos uniuerſum orbis conciliũ anathemate damnauit. Neq; timuerũt tam præ-

claram Synodum,quantum in ipſis eſt,in angulis demoliri,homines quiduis temere & dicentes & facientes. Cæterum præmia redemptarum calumniarum,multo adhuc magis eorum malitiam & impium propoſitum declarant. Mareotes enim, ut dixi, ager eſt Alexandriæ, quo in loco nunc̄ Epiſcopus fuit,imo ne Chorepiſcopus quidem, ſed uniuerſæ eius loci Eccleſiæ Epiſcopo Alexandrino ſubiacent,ita tamen ut ſinguli pagi ſuos presbyteros habeant. Sunt aũt pagi iſti maximi decem numero,aut aliquanto plures. Pagus autẽ ubi habitat Iſchyras,minimus eſt,& pauciſsimorũ hominũ, adeo ut non ibi,ſed in proximo pago Eccleſia conſtituta ſit. Nihilo tamen minus hominem,qui ne presbyter quidem erat, huius pagi præter maiorũ traditionem Epiſcopum ſcilicet appellauerunt. Non quidem ignari ne ipſi quidem,quàm hoc abſurdum eſſet, ſed promiſsis redemptæ calumniæ adacti,etiam illud ſuſtinendum putauerũt, ne maligne habitus ſceleratiſsimus Iſchyras, ueritatem enunciaret, Euſebianorum̄q malitiam proderet. Verũ ille nec̄q Eccleſiam, nec̄q populum ſibi obedientem habet, atc̄q ut canis ab omnibus agitatur: Euſebiani autẽ Imperatori autores fuere literarum mittendarum ad Catholicum(adeo omnia illis licent)ut iuberet Iſchyræ Eccleſiam ædificari,ut auctus ea dignitate, fide dignus habeatur in ſuis de calice & menſa calumnijs:ſtatim igitur curauere ut Epiſcopus nominaretur,eòq ſibi nec Eccleſiam poſsideret,nec̄q presbyter eſſet,pro ſycophanta neceſſario haberetur,& mentiri uideretur: ille tamen quum nec populum habeat, nec ſuos ſibi obſequentes,quemadmodũ inane nomen Epiſcopi, ita quoq epiſtolam illam Imperatoriã ſine ullo fructu detinet, quippe quæ argumentum ſit ipſius,Euſebianorum̄q teterrimæ & intentionis & uoluntatis.

EPISTOLA CATHOLICI FLAVIVS HIMERIVS EXARCHO MAREOTE, S. P. D.

AD preces Iſchyræ presbyteri pietati dominorũ meorum auguſtorum & Cæſarum ſupplicantis, ut ſibi in loco pacis Secontaururi Eccleſia ædificaretur,decreuit diuinitas illorum,ut id quam primum fieret. Cura igitur, exemplaribus diuini iſtius diplomatis,quod primo loco poſitum eſt, noſtræq ſanctitatis monumentis perlectis breuiterq perluſtratis,ut in negocio procedatur, & quæ diuinitus conſtituta ſunt,ad effectũ perduci queant. Illi igitur eo modo captationes inſtituebant,doloſq & fraudes moliebãtur. Nos aũt adito principe, qui Synodum indixerat,in qua ipſius Comes præſederat, Euſebianorũ ſcelera patefecimus.quibus ille auditis,grauiter cõmotus in hæc uerba ſcripſit.

VICTOR CONSTANTINVS MAGNVS AVGVSTVS.

EGO ignoro quid ſibi uelint iſta, quæ à ueſtra Synodo per tumultum & tempeſtatẽ iudicata ſunt. Mihi ſane uidetur, neſcio quo pacto,ueritas per immodeſtiam opprimi,dum per ueſtram contentionem,quã inuictam cupitis,ea quæ Deo placent, non conſideratis.

ſideratis. Sed erit diuinæ prouidentiæ officium, & explorare ſcelera iſtius contentioſitatis, & explorata diſsipare, uobiſq; clare oſtendere, quantam in ueſtro congreſſu ueritatis curam habueritis, & an ueſtra iudicia citra gratiam & odium calculum ſuum prompſerint. Quocirca feſtinanter ad meam pietatem accurrite, ut rerum iſtarum excuſſam, exactamq; fidem coram me in præſentia ipſi præſentes doceatis. Quare autem iſta ſcribere uoluerim, & quapropter uos literis meis accerſendos putauerim ex ſequentibus cognoſcetis. Ingredienti mihi cognominem & fœlicem patriam meam Conſtantinopolim (eram autẽ in equo) ſubito Athanaſius Epiſcopus in media uia, cũ nonnullis alijs quos circũ ſe habebat, ita inexpectatus occurrit, ut non leuem mihi cauſam admirationis præberet. Teſtis mihi Deus omnium ſpeculator, me, quiſquis eſſet, primo aſpectu agnoſcere nequiuiſſe, niſi noſtrorum quidam, quis nam ille, & quamnam iniuriam paſſus eſſet, iam antea auditam, ut fieri ſolet, mihi indicaſſent. Ego igitur per illud temporis uerba cũ illo non habui, neq; colloquium miſcui. Quum aũt ille ſe audiri poſtularet, & hoc recuſarem, & propemodum eum ſummoueri iuberem, magna libertate nihil aliud poſtulauit, quàm ut uos huc euocari iuberẽ, quo uobis præſentibus, quæ per uim paſſus eſſet, cõqueri poſſet. quod quum mihi æquũ & temporibus meis congruum uideretur, ſcripto uobis denunciatum uolui, ut quotquot Synodum Tyri abſoluiſtis, ſine omni tergiuerſatione ad prætorium noſtræ clementiæ conueniatis, re ipſa, quantum ſynceritatis integritatisq; ſit in ueſtris ſentẽtijs coram me ipſo ſyncero famulo Dei (quod ne ipſi quidem abnegaueritis) declaraturi. Certe per meum erga Deum cultum obſeruantiamq; ubiq; iam terrarum pax eſt, & à Barbaris ipſis nomen Dei ſynceriter benedicitur, qui hactenus ueritatem ignorabant. Nihil dubij aũt eſt, eum qui ueritatem ignorat, etiam Deum ignorare. Sed tamen, ut antea dixi, Barbari per me ſyncerum Dei famulum, Deum agnouerunt, & iam metuere didicerunt, ideo quòd illum mihi protectorem eſſe, meiq; curam gerere, re ipſa experti ſint, atq; ita in noſtris rebus Deum agnitum, noſtri formidine Barbari reuerentur. Nos contra qui myſteria clementiæ eius oſtentare & præferre uidemur: non enim dixerim tueri, nos inquam, nihil facimus, niſi ea quæ ad diſcordiam & odium pertinẽt, & ut ſemel dicã, quæ ad humani generis perniciem referuntur. Quapropter uos meo prætorio ſiſtite, quemadmodum dixi, & feſtinate huc quàm celerrime, certiq; ſitis me omni ope ſtudioq; anniſurum, ut ea quæ ſunt legis Dei, cõq; maxime inoffenſa illabefactaq; ſeruentur, quibus nullum nec probrum nec infamia allini poſsit, profligatis ſcilicet & contritis ſemel inimicis legis, qui ſub ſpecie ſancti nominis, multiplices & diuerſas blaſphemias adferunt. Quibus cognitis, conſcijſ ſuorum facinorum, cæteris Epiſcopis à profectione retentis, ſoli Euſebius, Theognius, Patrophilus, & alter Euſebius, Vrſacius & Valens principem adierunt abſq; omni mentione calicis aut Arſenij. Deerat enim illis eius rei fiducia, ſed aliud crimen cõmentitium detulerunt, Athanaſium ſcilicet minatum eſſe, ſe impediturum quo minus frumentũ ex Alexandria in patriam Cæſaris deueheretur, idq; Epiſcopos Adamantium, Ambium, Agathammonem, Arbethinonem, Petrum præſentes ex eo audiuiſſe. Emi-

cuit

cuit ibi Cæsaris ira, adeo ut post tot atroces minas & tantopere damnatas Eusebianorum iniurias, inaudita causa, euestigio efferbuerit, & omisso iudicio, quod in expectatione erat, nos in Gallias relegarit. Quæ relegatio eorũ scelera magnopere ostendit. Certe beatus Constantinus minor, memor scriptorum patris sui, dum nos patriæ restitueret, in hæc uerba epistolam misit.

CONSTANTINVS CAESAR POPVLO CATHOLICAE ECCLESIAE *Alexandrinæ.*

NEQVE uestram sacram mentem latere arbitror, ideo Athanasium adorandæ legis interpretem in Gallias missum esse, ne quo tempore sanguinolentorũ hostiũ feritas sacro eius capiti quàm maxime immineret, implicitusq; malorũ collimitio aliquid intolerandum, & cui remedium nullum esset, pateretur. Ad hanc igitur feritatem eludendam, tot faucibus inhiantiũ subtractus, ut sub me ageret, iussus est, atq; ita in hac urbe cõmoratus est, ut omnibus rebus necessarijs abundaret, tametsi eius reuerenda uirtus diuina ope fretus, onera asperioris fortunę uilipenderet. Iam quum in primis uestrę in Deum pietati, suisq; sedibus hunc Episcopum dominus noster & pater Constantinus restituere uellet, & humana sorte præuentus, anteq; hoc uotũ impleret, requieuerit, ego mihi conuenire puto, ut suscepta uoluntate sacræ memoriæ Imperatoris, idipsum adimpleam, quod ille non potuit. Quum igitur Athanasius ad uestrũ conspectum penetrauerit, tum demum intelligetis, quantæ apud nos reuerentiæ fuerit. Neq; id mirum uideri debet, si quid huiusmodi in eius gratiã fecerim. Ad hoc enim faciendum meam mentem & uestri desiderij imago, & species tanti uiri instigauit. Diuina prouidentia uos seruet dilecti fratres. Datum Tremris xv. Calendas Iulias. Quum igitur ex hac causa in Gallias amandati simus, quis non simul uidet & Imperatoris mentem, & Eusebianorũ sanguinarios animos, & principem id propterea fecisse, ne grauiore calumnia ab illis opprimeremur? Simplici enim animo in audiendo fuit. istiusmodi igitur Eusebianorum acta atq; hæc illorum uafricies in consuendis dolis fuit. Quis igitur istis animaduersis, non fateatur in mea causa nihil per gratiam actum esse, sed omnia bono iure & merito constituta fuisse, quum tanta multitudo Episcoporum publice priuatimq; nostræ causæ scriptis patrocinetur, & sycophantias inimicorũ uituperet? Quis istis conspectis, non pronunciauerit Valentem & Vrsacium merito semetipsos improbasse? & ex pœnitentia culpam suam scriptis confessos esse? maluisseq; aliquantisper pudefieri, quàm in æternum sycophantiarum pœnas luere? recte igitur & Ecclesiastice fecere beati in sacris cõministri nostri, quòd quũ nonnulli ambigua de nobis loqui: & quæ pro nobis iudicata essent, irrita facere conarentur, omnia pati, & exilium sustinere maluerint, q; ut abrogarent tot ac tantorum Episcoporum iudicia. Si igitur ueri & legitimi præsules uerbis duntaxat nostris aduersarijs repugnassent, aut si ipsi uulgares homines fuissent, ac non potius eximiarum urbium Episcopi, & capita tantarum Ecclesiarum, suspicio oboriri posset, per gratiam ista ab illis facta esse:

iam

iam quum & uerbis mihi patrocinati sint, & exilia sustinuerint, in quorum numero est & Liberius Romanus præsul, qui quanquã non usq; ad finem exilij mala perpessus est, biennium tamen in ea transmigratione perdurauit, non ignarus sycophantiarum, quas patiebamur. Nec non & Hosius ille magnus. Itali itẽ, Galli, Hispani, & Aphricani Episcopi, & quotquot sunt Pentapoleos. Nam tametsi Osis minis Constantij conterritus non uidebatur Eusebianis cõtradicere, uis tamen illa & tyrannica Constantij potestas multæq; contumelię & interminationes satis ostendunt minime eum in nostri condemnationẽ cõsensisse, sed senij imbecillitate imparẽ uerberibus ad tempus cessisse. Quapropter æquũ, ut omnes in re minime dubia tanto impensius oderint & auersentur uim iniustitiamq; quas passi sumus, uel saltẽ ea de causa, quòd satis constet illas non ob aliud nobis q̃ ob Arianam impietatem illatas esse. Si quis igitur qualis sit nostra causa, & quales sint Eusebianorum sycophantiæ, scire uelit, legat scripta nostræ defensionis, sumatq; testes, non unum quidem aut alterum, aut tres, sed tantam Episcoporũ multitudinem, & inter eos Liberium & Hosium cum suis: Hi enim quum uiderent ea quæ contra nos agerentur, omnia pati maluerunt, quàm aut ueritatem, aut causam nostram prodere. Idq; bono & sancto cõsilio fecerũt. Præterea uis illa quam tanti uiri passi sunt, indicio est, quid alij tolerauerint. Cætera omnia illa nihil aliud sunt quàm monumẽta & trophæa de Ariana hæresi, & scelere sycophantarum erecta, & exemplar posteris inscriptum, ut ad mortem pro ueritate depugnent, & auersentur Arianam hæresim, Christo inimicam, Antichristiq; anteambulatricem: & ut nihil fidei habeant nostris criminatoribus. Testimonia enim tot ac talium Episcoporum digna sunt fide, & abunde sufficiunt ad nostram innocentiam ostendendam.

SANCTI PATRIS ATHANASII AD SERAPIONEM FRATREM, EPISTOLA.

LEGI literas tuæ reuerentiæ, quibus adhortaris, ut tibi scriberẽ ea quæ contra me hoc tempore acta sunt: & de impijssima hęresi Arianorum causa, authoreq; earum rerum quas patimur, & quo fine Arius uitam clauserit. Ex tribus istis postulationibus, duo quidẽ libenter feci, misiq; tuæ pietati ea, quæ ad monachos scripsi. Inde eñ tum nostra aduersa, tum res hæreseos cognoscere poteris. De tertio autẽ capite, nimirũ de morte Arij, multa mecũ perpendi, metuẽs ne si id agerẽ, hominis morti insultare uiderer, ueruntamẽ quia disputatio apud uos de hæresi habita in hanc quæstionẽ desijt, An cõmuniõe celebrata cũ Ecclesia, diẽ suũ obierit Arius? ut quęstio de eius morte dissoluatur, dicã quod res est, in pari numero collocans, & rem gestã indicare, & cõtentiosos compescere. Persuadeo eñ mihi,

cognito

cognito mortis eius miraculo, non auſuros eſſe, qui prius dubij erant, rem denuo in dubiũ uocare, ſitne Ariana hæreſis Deo odioſa, an non? Ego quidem non aderam, quum ille uita defunctus eſt. Aderat autẽ Macarius preſbyter, & ex eius relatu didici. Accerſitus aũt erat ab Imperatore Conſtantino Arius opera & ſtudio Euſebianorum, quem ingredientem Imperator interrogauit, an fidem Catholicæ Eccleſiæ ſeruaret. Ille aũt ſe recte credere iureiurando affirmauit, ſuppreſsis ijs, ob quæ de Eccleſia reiectus erat per Alexandrum Pontificem, adductis in ſpeciem uerbis Scripturæ. Illum igitur ita iuratum, ſe nihil eorum ob quæ ab Alexandro reiectus erat, feciſſe, abſoluit Imperator cum his uerbis: Si recta eſt tua fides, bene iuraſti: ſi autẽ impia eſt, & tamen iuraſti, Deus te pro iuramento condemnet. Ita eum digreſſum à principe uoluerunt Euſebiani ſolita ſua ui in Eccleſiam introducere: Sed cõtradicebat Cõſtantinopolitanus Epiſcopus beatus Alexander, non debere, inquiens, hæreſis inuentorẽ in cõmunionem recipi. Ibi iam minabundi Euſebiani, quemadmodũ (inquiũt) eum uobis inuitis curauimus ab Imperatore euocari, ita craſtino die, etiam ſi uobis minime ex ſentẽtia ſit, in cõmunionem Eccleſiæ adducemus: Sabbatum autẽ erat, quum hæc loquerentur. Quibus auditis, Alexander magno cum mœrore Eccleſiam intrauit, & porrectis ad Deum manibus lamentatus eſt, pronus in uultum cadens, humiq; iacens ita orauit: aderat autem cum eo Macarius ſocius orationis, qui eius uerba excepit. Poſtulabat aũt alterutrum, ſi Arius inquiens craſtino die in Synaxim introducetur, nunc dimittas quæſo ſeruum tuum Domine, & nõ pium unà cum impio perdas. Sin aũt Eccleſiæ tuæ parces, ſcio aũt q; parces, reſpice in uerba Euſebij, neq; des in exitium & uituperiũ ſontem tuam, & tolle Ariũ, ne eo recepto in Eccleſiam, uideatur ſimul cum eo & hæreſis recipi, neue deinde impietas pro pietate habeatur. Hæc precatus Epiſcopus, plurimum cogitabundus & anxius inde receſsit, & res mira incredibiliſq; euenit. Euſebianis minantibus Epiſcopus orabat. Arius autem Euſebianis fretus, multa blaterans in ſeceſſum abijt, quaſi ad uſum alui, & derepente (iuxta quod ſcriptum eſt) pronus factus, medius crepuit, humiq; expirauit, utroq; & uita & cõmunione fraudatus. Hic finis Arij. Euſebiani aũt magnopere confuſi ſocium coniurationis ſepelierunt: Alexander uero, gaudẽte Eccleſia, cum pietate & ſana fide cõmunionem celebrauit unà cum omnibus fratribus, Deum, gratias agendo, magnopere glorificans, non q; de morte hominis lætaretur, abſit: omnibus enim hominibus conſtitutum eſt ſemel mori, ſed quòd ea res humana iudicia ſuperauerit. Ipſe ſiquidẽ Dominus iudicem ſe præbens minis Euſebij & Alexandri precibus, hæreſim Arianam condemnauit, oſtendens eam indignam eſſe communione Eccleſiæ, omnibusq; manifeſtum reddidit eam tametſi ab Imperatore & ab omnibus mortalibus adiuuetur, ab Eccleſia tamen damnatam eſſe: declaratumq; eſt, officinam Arianorum nõ Deo gratam, ſed impiam & inimicam eſſe. Certe plurimi ex ijs qui ante decepti erant, cõuerſi ſunt, ideo nimirum, quòd non quiuis alius, ſed ipſe Dominus blaſphemijs impetitus, cõdemnauerit hæreſim aduerſus ſe conflatã, & manifeſto edocuit, etiam ſi nunc Conſtantius Epiſcopos ui compellat, illam tamen ex ſeſe eſſe incõmunicabilem

Eccleſiæ,

Ecclesiæ,& cœlo alienam. Quamobrem apud uos hæc iam deinceps quæstio consopiatur(id enim in pactis fuit)nemoq; adiungatur hæresi: sed qui decepti sunt,resipiscãt. Quam enim Dominus reprobat, quis approbabit? & quam ipse incõmunicabilem reddidit,quomodo qui eam recipit,non ingens piaculum cõmiserit? & palam se Christo hostẽ declarauerit? Hoc igitur sufficit ad cohibendos contentiosos:ista igitur illis,qui tum hanc quæstionem mouerant, recitentur, unà cum ijs quæ compendio de hæresi hac ad monachos scripta sunt,ut inde edocti magis ac magis impietatem & malitias Arianorum reprobent. Nemini aũt harum literarum exemplar edas, aut tibi ipsi transscribas:nam hoc ipsum monachis quoq; iniunxi. Sed pro tuo candore,si quid scriptis deest,addas, atq; ita ea ad nos q̃primum remittas. Ex epistola mea ad fratres cognoscere poteris quid in scriptis meis sim passus, quapropter tutum non est scripta edi idiotæ, præsertim de summis & præcipuis dogmatibus,ne,si quid per imbecillitatẽ & obscuritatem sermonis minus plene sit dictum,noxã id lectoribus adferat. Plericq; enim non fidem aut intentionem scribentis respiciunt,sed aut per inuidiã,aut per contentionem suæ iam antea conceptæ in animo opinionis, prout uolunt,uerba accipiunt,& scripta pro sua libidine immutant. Det Dominus omnibus & præcipue auditoribus,quibus ista recitas,ut teneant & ueritatem, & sanam integramq; in Dominum nostrum Iesum Christum,fidem,Amen.

SANCTVS PATER ATHANASIVS, OMNIBVS VBIQVE SOLITARIAM VITAM COLENTIBVS, ET FIDE *fundatis,sanctificatisq; in Christo Iesu,dicentibusq;,Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te,dilectis & desideratiss.fratribus in Domino,* S. P. D.

VESTRIS animis fretus,maxime q̃ id multis hortatibus à me postulatis, paucis recensui & nostras & Ecclesiæ calamitates,simulq;,quantum potui,confutaui sceleratã Arianorũ hæresim, docuiq; q̃ illa aliena esset à ueritate. Sed tamẽ quę mihi,dum hęc scriberẽ, in mentẽ uenerint,ea uestrę pietati intimãda opinor, ut inde disceretis,q̃ uere hoc dictũ sit à beato Apostolo, O altitudo diuitiarũ sapientiæ & scientię Dei: quæso aũt mihi homini natura imbecilli ueniã detis:quanto eñ magis scribere uolebã,& instantius rem urgebam,ut diuinitatẽ uerbi intelligerẽ, tanto longius eius rei cognitio à me subterfugiebat:& sentiebam me tantũ à tergo relictum esse,quantũ me promouisse & assecutum esse arbitrabar. Nam hoc ipsum,quod animo cõprehendere uidebar,scribere nõ potui: & quod scribebã,minus erat, quàm concepta in animo ueritatis umbra, licet ea ipsa Rom.11

Eccle.7 perq̃ pusilla esset. Dixi igitur, ut in Ecclesiastico scriptum erat, sapiam, & sa
Ibid. pientia elongata est à me magis quàm erat, & ô profunditatem profundita
Psal.138 tis, quis inueniet illam? & illud in Psalmis, admirabilis habita est scientia tua
à me, inualuit, & non potero ad eam: & ut Salomon dicit, Gloria Dei ab-
scondit rationem. Sæpe igitur uolui subsistere, & desinere à scribendo, cre-
dite mihi, tamen ne aut uobis difficilior uiderer, aut illis qui id à uobis po-
stularunt, & quibus periculum est, ne silentio meo pertinacius in impietate
uersentur, uim mihi ipse feci, ut pauca ista, quæ iam uestræ pietati mitto, con
scriberem. Nam quamq̃ procul à nobis est, ut reuera est, ueritatis compre-
hensio, ob carnis imbecillitatem, sed tamen, ut dixit Ecclesiastes, cognosce-
re poterimus impiorum amentiam, eamq̃, ubi deprehenderimus, dicere li-
cebit mortem amariorem esse: huius rei fiducia, quum certum haberem ea-
tenus à nobis scientiam comparari posse, ista meditatus sum, nõ ignarus im
pietatis refutationem, fidelibus sufficere ad eruditionẽ pietatis. Nam tam-
etsi impossibile sit deprehẽdere quid sit Deus, tamẽ dicere possumus, quid
non sit Deus. Scimus autem eum non ut hominẽ esse, nec fas esse, ut quic-
quam, quod creatum est, illi affingas: ita quoq̃ de Filio Dei, etsi longius na
tura ab illo absistimus, quàm ut eam assequamur, facile tamen est & in pro-
cliui reprobare, quæ ab hæreticis proferuntur, ac dicere non esse id Filium
Dei, neq̃ fas esse de diuinitate eius uel semel cogitare, quæ ipsi dicunt, ne-
dum è labris proferre. Ego igitur, ut potui, scripsi, uos aũt charissimi excipi-
te ea, non tanq̃ illa, quæ plenam habeãt interpretationẽ de diuinitate Ver-
bi, sed tanq̃ ea quæ refutent impietatẽ hostium Christi, & præbeant uolen
tibus occasionem ad pietatem sanæ & rectæ in Christo fidei. Quod si ali-
quid omissum est: puto aũt omnia omissa esse, ueniam dabitis pro æquita-
te uestra & pura conscientia, & sola audacia propositi mei pro defendenda
pietate contenti eritis. Solam enim ad plenam damnationẽ reiectionemq̃
hæresis Arianorum, iudicium Domini de morte Arij sufficere credendum
est, quam iam antea per alios didicistis. Quæ enim Deus uoluit, quis diffi-
pabit? & quem ipse condemnauit, quis iustum pronunciabit? Quis porro
ex tanto signo non cognoscit, Deo odiosam esse hanc hæresim, etiamsi ho-
mines propugnatores habeat? Quum igitur nostra illa legeritis, orate pro
nobis, & inuicem ad id exhortamini, & statim ista ipsa ad nos remittite, nul
lumq̃ eius exemplar edite, aut uobis describite, sed contenti estote ut pro-
bi trapezitæ sola lectione, etiamsi sæpius legere cupiatis: non enim tutum
est ad posteros peruenire nostra ista scripta, quæ ut balbutientes & indocti
conficimus. Salutate uos inuicem in charitate, & quotquot uos adeunt in
1.Cor.16 pietate & fide. Si quis enim, ut dixit Apostolus, non amat Dominum, ana-
Rom.1 thema sit. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit uobiscum, Amen. Illi aũt
ea, in quorum finem his machinis usi fuerant, non ita diu postea adimpleue
runt. Mox enim ab istis insidijs Arianos in cõmunionem recepere sine om
ni cura respectuq̃ tot iudiciorum, quibus illi damnati erant, iterumq̃ impe
riale mandatũ causificati sunt, nec puduit eos in epistolis suis scribere, post
Athanasium afflictũ, odia desijsse, & iam inde se Arianos recipere, & ad ter-
rorem

rorem audientium ita sibi ab Imperatore mandatum esse, iactitant. Quin illud ausi sunt sine omni fronte adijcere, Arianos recte sentire, nihil prę oculis habentes illud quod scriptum est, Væ qui dicitis amarum dulce, & qui statuitis tenebras esse lucem. Ad omnia enim pro hæresi parati sunt. Age num uel istinc manifeste ostenditur, nos nõ quidem Ecclesiastico iudicio, sed minis Imperatoris, ob nostram in Christum pietatem, & tum hæc passos esse, & nunc in præsentiarum persecutionibus agitari? Quum & alijs Episcopis ad eundem modum fictis criminibus insidiati sint, quorum aliqui in exilio obdormierunt, adepti iam gloriam confessionis in Christum, aliqui etiamnum extorres fortiter adhuc contra eorum hæresim obsistunt, dicũtq; cum Paulo, Quis nos separabit à charitate Christi? quin etiam hinc eorum hæ- Rom. 8
resim cognoscere, uel potius conuincere possis, quòd quisquis ipsis charus est, & eiusdem impietatis socius, etiamsi alijs delictis, infinitisq; sceleribus obnoxius sit, etiamsi aduersus se habeat argumenta scelerum suorum, & demonstrationes euidentissimas, probus tamen apud eos, & in precio habetur, quin imo statim Imperatoris amicus efficitur, cõmendabilis scilicet sua impietate: & qui nundinator, & pleraq; quæstui habet, libertatem quiduis agendi à iudicibus impetrat. Qui aũt eorum impietatem redarguit, & quæ Christi sunt, synceriter procurat, iste tametsi purus in omnibus, tametsi sibi nihil sit conscius, tametsi nullum habeat accusatorem, modo ipsi crimen fingant, statim abripitur, & sententia Imperatoris euestigio in exilium mittitur, ut obnoxius criminibus, quæ isti uoluerunt, quòd in regem fuerint contumelioſi, quasi in nomen Dei: contra, qui hæresim illorum fouet, requiritur, & statim summittitur in exulum illorum Ecclesias: ac continuo confiscationes, contumeliæ, & quicquid graue est, in eos intentatur, qui huncsuperuentitium Episcopum non recipiunt. Et quod iniquissimum est, quem populi cupiunt, & irreprehensibilẽ cognoscunt, hunc tollit & in exiliũ mittit princeps: eum uero quem non cupiunt, quem non norunt, hunc è longinquo cum militibus & diplomatibus suis ad populos mittit. Ac iam inde magna necessitas inducitur, odisse quem diligunt, suum inquam & in fide magistrum, & in pietate parentem eumq; quem nolunt, diligere, eiq; suos liberos cõcredere, cuius uitã conuersationemq;, & quis denicq; sit, ignorant, aut supplicium pati, nisi Imperatori pareant. Hæc & nunc & olim fecere contra orthodoxos impij isti homines, monumenta suæ malitię & impietatis omnifariam apud omnes exhibentes. Esto Athanasium culpauerint aliqui, quid alij Episcopi fecere? quam in illos causam habuere? aut quis ab illis Arsenius interfectus est? Quis apud illos Macarius presbyter? aut calix confractus? quis ibi Meletianus fabulam agit? Ergo ex facinoribus illorum aduersus istos, obiecta Athanasio falsa esse demonstrantur: rursumq; quæ in Athanasiũ moliti sunt, satis coarguunt, quæ illis imputauere, calumnias esse. Immanis bellua, nempe hæresis ista terras inuasit, ut quæ non uerbis, ueluti dentibus suis homines innocentes lædat, sed & externam uim ad insidias faciendas cõparauit, & quod prorsus iniquissimum est, nemo ex illis accusatur: aut si accusetur, iudicio subijcitur: aut si species iudicij prætexitur, & causę cognitio simulatur, sententia quę datur, eum innocentem pro-

nunciat,& accusatores damnat, magisq; accusator probãs periculo, quàm reus conuictus pudore tentatur. Omnes certe apud illos sordibus scatent, & eorum catascopi,hoc est,exploratores,quum minime sint Episcopi,longe maculosissimi sunt. Quòd si quis apud eos Episcopus esse uelit, non illi
1.Tim.3 occinitur,Oportet Episcopum esse irreprehensibilẽ:sed hoc illi dicitur,Sentias contra Christum,nec de moribus tuis sis anxius:id enim tibi sufficit ad cõmendationem,& ad principis amicitiã. ita reuera agitur cum ijs qui Arianice sentiunt.Contra ueritatis æmulatores,tametsi sancti,tametsi puri appareant (quemadmodum dixi) rei fiunt,quum illis libuerit,quum eam,quam uolunt,causam finxerint. Et hoc ex eorũ calamitatibus perspicere licet.Fuit quidam Eustathius Episcopus Antiochiæ uir confessione clarus,religione pius,quem magno studio pro ueritate stantem, & Arianam hæresim odio prosequentem,auersantemq; homines Arianicæ opinionis,ita apud Constantium ficta calumnia accusarunt,quasi in matrem principis contumeliosus fuisset:nec mora,in exilium eijcitur & cum eo ingens turba presbyterorum & diaconorum,ac iam deinde eos,quos ob impietatẽ ne in clerum quidem recipi oportuit,post exilium Episcopi, non solum in Ecclesiam introduxerunt,sed & plerosq; ex ijs Episcopos creauerunt, ut eos in sua impietate socios cõiuratosq; haberent,ex quorum numero est Leontius ille castratus,qui Antiochiæ nunc Episcopatũ tenet,& ante eum eodem in loco Stephanus tenuit:Laodiceæ uero Georgius & Theodosius,qui Tripolim etiã habuit.Eudoxius porro Germaniciæ, & Eusthatius nunc in præsentia Sebastiæ pro Episcopo se gerit. Quid, an hic saltem gressum suũ repressẽrũt? minime gentium:Eutropius enim Adrianopoli Episcopus, uir bonus & in omnibus perfectus,quia subinde Eusebium coarguerat, & illa transeuntibus author erat,ne impijs Eusebij uerbis fidem adhiberent, easdẽ cum Eustathio calamitates patitur,& à ciuitate sua & Ecclesia propellitur,eò quòd Augusta illi grauiter succensеat.Euphration aũt Calanis, Cymathius Palti, alter item Cymathius Taradi,Asclepas Gazæ,Cyrus Bercææ,quæ est in Syria, Diodorus in Asia, Dommen in Siemio, Ellanicus in Tripole Episcopi uisi sunt tantũmodo hæresim odisse, & id tanti fuit,ut hos sub specie alicuius causæ,illos prorsus sine ulla causificatione,diplomate Imperatoris exturbatos è ciuitate aliò transtulerint,suffectis in eorũ locum, quos impios nouerant.De Marcello aũt Episcopo Galatiæ,superuacuũ fuerit fortasse mentionem facere,quum nulli nõ constet,Eusebianos ab eo de hæresi reprehensos,hæreseos recriminationẽ pro talione illi uicissim impegisse,senemq; hominem in exilium eiecisse.Ille autem Romam profectus sese innocentẽ docuit, & ut iussus ab illis fuerat, scripto suam fidem,quam Sardica Synodus amplexa est,edidit.Eusebiani contra neq; causam dixerunt, neq; de impietate scriptorum suorum conuicti, pudore repressi sunt, sed potius grauius in omnes sæuierunt: & quia per fœminas ad Cæsarem cõmendationem habent,cunctis se terribiles præbuere.Episcopum autẽ Constantinopolitanũ nemini arbitror ignotum esse: quanto enim clarior ciuitas,tanto minus factum celari poterit.Etiam huic quoq; crimen obiectũ est, idq; falsum fuisse uel inde colligas,quòd qui illum reum fecit Macedonius, nobis in ea accu-

sationepræsentibus,cum reo suo, cuius presbyter erat, cõmunionem sumpsit. Huc tamen ubi oculos suos adiecisset Eusebius, ut raperet episcopatũ eius ciuitatis (eodem enim modo à Berito Nicomediam transilijt) non defuit in hunc Paulum species calumniæ, necp illi ignari oblitiq; suarum insidiarum fuere, sed perseuerarunt in criminando, & primũ quidem per illos in Pontum relegatus est, postea à Constantio ferro uinctus in Singra Mesopotamiæ deportatus est,rursum inde in Emesam,atq; ex Emesa in Cucusam Cappadociæ circa deserta Tauri abreptus est,quo in loco ut ab illis renunciatum est,qui cum illo fuere, laqueo per Eusebianos strangulatus uitã finijt,Eusebiani uero hoc scelere cõmisso sine omni pudore, ut ubiq; mendaces,hominis extincti aliam causam finxere,tanq; ex morbo perijsset,quũ longe aliud constet omnibus eius loci incolis. Siquidem Philagrius per id tempus eorum locorum uicarius,omniumq; quæ ipsi uellent histrio,sed tamen super hoc scelere stupens ac mœrens,credo q; alius,ac non ipse potius eius necis author esset,plurimis rem prodidit, & inter reliquos mihi notos Serapioni Episcopo, Paulum ab Eusebianis in arctissimo & obscurissimo loco reclusum fuisse, relictũq; ibi ut fame periret, deinde post sex dies, quũ eò ingressi Eusebiani,hominem adhuc spirantem inuenissent,per uim Episcopum strangulasse,atq; eo genere finis uitam clausisse,& diaconũ dixisse, inferendæ necis ministrum Philippum præfectum fuisse. Verũ ad hoc scelus uindicta diuina conniuendum sibi nõ putauit: Philippus enim nondũ uertẽte anno,præfectura sua cum magna ignominia spoliatus est,ac iam inde priuatus ijs quibus minime uolebat,ludibrio fuit. Mœstus igitur mirũ in modum,& quemadmodũ Cain gemẽs & tremens,& quotidie percussorem expectans,longe à suis ac patria sua,ueluti attonitus,quod minime uolebat,morte extinctus est. Quid? quòd ne mortuis quidem parcunt,quos uiuos olim calumnijs persequebantur, ac tantis terroribus agunt, ut uiuos in exilia propellant, & mortuorum nihil misereantur. Nam etiam tunc soli præter morem omnium mortalium extinctis infensi remanent,& in extinctorum amicos & consanguineos successionem suarum insidiarum transferunt,homines prorsus probitati infesti,& plusq; hostes animo efferati,idq; in gratiam hæreseos. Nec enim ueris sed fictis criminibus tum mihi tum cæteris omnibus insidiantur. Hoc quum uiderent tres fratres Constantinus, Constantius, & Constans, post obitum patris sui iusserũt quemq; in suam Ecclesiam & patriã reuerti, scribentes quidem de singulis ad singulas ipsorum Ecclesias:de Athanasio uero ad istum modum,quæ & uim rei actæ,& Eusebianorum parricidalem animum ostendunt.

EXEMPLAR CONSTANTINI CAESARIS POPVLO CATHOLICAE ECCLESIAE *Alexandrinorum.*

EGO aũt id uestras sanctas mentes latere non arbitror,ideo Athanasium, &c. Epistola superius descripta est. Scripta igitur principis istiusmodi fuere: Ecquis igitur eorum fraudulentiæ & insidiarum grauior testis esse possit, q; ille qui certus de negocio

in hunc modum ſcripſit: Euſebiani igitur uidentes hæreſim ſuam ſuccumbere, & Romam, & ad Imperatores Conſtantinum & Conſtantem contra Athanaſium ſcribunt: ſed quia ab Athanaſio miſsi legati, mendacia eorum refutabant, ab Imperatoribus cum pudore reiecti ſunt. Epiſcopus autē Romanus Iulius Synodum iuſsit fieri ubicunq; uellemus, ut tuto & crimina obiícerētur, & inuicem ſibi obiecta refutarent: id enim eorum legati, quum ſe uinci animaduerterant, poſtularunt. Rebus igitur inceptis, quum male ſibi ubiq; conſcij de cauſa ſua in Eccleſiaſtico conſeſſu deſperarent, Conſtantium cum lamentis, ut hæreſeos propugnatorem, adeunt. Vides, inquiunt, omnes à noſtra hæreſi deficere, pauci reſidui ſumus, incipe perſequi, quoniam etiam ab iſtis paucis deſtituimur, & deſerti relinquimur: quos enim ui ad cōmunionem noſtram per exilia Epiſcoporum adegimus, ij ab Epiſcopis in ſedes ſuas reuertentibus, ut contra nos ſentiant, perſuadentur. Scribe igitur ad omnes, & mitte denuo Philagrium præfectum Ægypti: ille enim idoneus eſt his negocijs gerendis, ut re ipſa & experimentis patuit, nec mirum quum ſit apoſtata. Mitte item Gregorium Epiſcopum Alexandriam, nam & iſte poterit quoq; ſtabilire noſtrā hæreſim. Mittit igitur literas Conſtantius, & in omnes perſecutionem mouit, emiſſarijs ad eam rem uſus Philagrio, & quodam Araſcio Eunucho. Miſſus quoq; eſt Gregorius militari manu. Eadem ſtatim deſignata ſunt quæ prius. Coacta enim multitudine ex bubulcis, opilionibus, & forenſi uulgo, unà cū proteruis iuuenibus, cum gladijs & fuſtibus templum Quirini inuadūt, alios mactant, alios pedibus obterunt, pleroſq; conciſos, partim in carcerem, partim in exilium conijciunt, multasq; fœminas miſeris modis captatas, publice ad tribunalia crinibus trahunt, tractasq; contumelijs indigniſsime afficiunt: aliorum bona fiſco addicunt, aliorum alimenta interuertūt, nulla alia de cauſa, quàm ut eos ad partes Arianorum, & Gregoriū recipiendum, quem Imperator miſerat, compellerent. Athanaſius autē priuſquam iſta fierent, ſemel re cognita, Romam profectus eſt, non ignarus hæretici furoris. Iulius uero presbyteros ſuos Elpidium & Philoxenem cum literis ad Euſebianos miſit, certū diem definiens, ut aut præſentes ſe ſiſterent, aut cognoſcerent ſe omnibus modis ſuſpectos haberi. Cæterum Euſebiani, ubi ſemel audiſſent Eccleſiaſticū conſeſſum fore, ubi nec Comes affuturus eſſet, neq; ſatellites pro foribus excubarent, nec ex Cæſaris præſcriptis omnia fierent, quibus rationibus & non alijs Epiſcopos uicerant, imo qui ſine hoc præſidio ne loqui quidem auderent: ita inhorruerunt & metu contracti ſunt, ut presbyteros detinerent ultra diem condictam, cauſificationem interim turpem fingentes, ſe ob bella Perſarum uenire non poſſe, ſed in ea re nihil ueri: metus enim conſcientiæ eos impediebat. Quid enim negocij Epiſcopis cum bello? aut quid obſtaculi illis à Perſis oriebatur, quo minus Romā quamuis longinquā & tranſmarinam urbem proficiſcerentur? Orientis igitur loca ſuasq; prouincias obeuntes quærebant, ſi quis ipſis aduerſaretur, ut eum per calumniā in exilium profligarent. Certe presbyteros ſuos dimiſerūt cum abſurdiſsima excuſatione, hoc genere colloquij inter ipſos habito: Quandoquidem Eccleſiaſtico iudicio uincere non poſſumus, ſolita noſtra ui agamus. Dant igitur

literas

literas ad Philagrium, authoresq; sunt, ut ille q̃ primum cum Gregorio in Ægyptum abeat: ac statim iam inde Episcopi flagellabantur, & acerbis uinculis cõstringebantur, Sarapammonem confessorem in exiliũ mittunt, Potamonem quoq; & ipsum confessorem, qui oculum in persecutione perdiderat, ita conciderunt plagis in ceruicem, non antè desinentes, quàm ubi illum pro mortuo abijcerent, adeo ut uix post aliquas horas curationibus fomentisq; spiritum recollegerit, Deo quidem illi concedente uitam, sed admodum breuem: paulo enim post ex dolore & plagis ex hac uita decessit, adeptus in Christo gloriam iterati martyrij. Alios uitæ monasticæ æmulatores, sedenti pro tribunali Philagrio, unà cum Blacio duce, heu mihi, quot ibi Episcopi uirgis concisi sunt? Deinde miser Gregorius post tanta scelera inuitabat omnes, ut secum cõmunicarent. Atqui si cõmunionem ab illis postulabas, indigni erant, qui uerberarentur: quòd si ut malos eos uerberandos censuisti, cur illos ut sanctos inuitas? Verum nihil illi curæ erat, quàm ut eorũ iussa, à quibus missus erat, adimpleret, & hæresim stabiliret, eas ob causas stultus ille homicida carnifex & contumelioſus, fraudulentus, & in summa, Christi hostis factus est: Episcopi autẽ materterã ita persecutus est, ut ne extinctam quidem humari sineret, & quod uoluit consecutus esset, & insepulta abiecta fuisset, nisi qui eam sustulissent, suum se cadauer efferre dixissent, tam impijs isthic moribus fuit. Nam quum & alij mendici errones eleemosynam acciperent, iussit ea quæ eleemosynis destinata essent, diripi: & uasa quibus oleum & uinum deferebatur, confringi, ut non solum in accipiendo se impium præberet, sed re ipsa dominum contumelioſe tractaret, auditurus iamiam ex Domino, quatenus uilipendisti istos, & me uilipendisti. Multa etiam alia fecit, quæ dicendi facultatem transcendunt: & quibus auditor fidem negaret. Cæterum ista ideo patrauit, quia neq; secundum Ecclesiastica institituta creatus erat, neq; pro Apostolica traditione nomen Episcopi obtinebat. Sed ex Palatio cũ militari manu & magnifica pompa missus fuit, non aliter quàm si secularis magistratus ei demandatus esset. Ideoq; maiori studio magistratuum amicitiam, q̃ Episcoporum aut monachorũ sectabatur. Si quando igitur pater Antonius ad illum è montanis scribebat (quemadmodũ pietas peccatori in abominationẽ est) eodem quoq; modo sancti uiri scripta abominabatur. Quòd si Imperator aut dux exercitus, aut alius quispiã ludex ad eum literas dedisset, ita lætus alacerq; erat, quemadmodum ij de quibus in Prouerbijs non sine querimonijs dicitur, O qui relinquitis uias rectas, qui malis oblectamini, & gaudetis conuersatione malorum. Certe qui cũ huiusmodi literas adferebat, pecunijs honorabat, Antonij aliquando epistolam duci Blacio conspuendam abijciendamq; tradidit. Sed hoc diuina uindicta inultũ non prætermisit. Siquidem non diu postea Blacij femur proficiscentis ad primam mansionem equus cui insidebat, ceruicibus retortis ita momordit, atq; è dorso excussum humi afflixit, ut intra triduum proximum periret. Ad istum modũ illi cum omnibus agebant. Romæ uero cõgregati Episcopi prope quinquaginta, Eusebianos ut suspectos timentesq; se sistere, non receperunt, & quæ ab ipsis scripta essent, pro uanis habuerũt: nos aũt receperunt, nostramq; cõmunionem amplexi sunt. Prou. 2

Interim quum ista fierent, simul & de Synodo Romana Constans Imperator simul, & quid Alexandriæ & per uniuersum orbem contra Catholicos gereretur, resciuit: missæ igitur sunt literæ à Constante ad fratrem suum Cõstantium, ibiq; de amborum sententia placuit ut Synodus celebraretur, & de rebus actis cognitio fieret, ne ulterius iniurioſe habiti iniurijs afficerentur, uel iniurioſi ulterius pergerent iniuriam facere. Conueniunt igitur ab Oriente & ex Occidente in urbem Sardicam numero plus minus centum Episcopi, Occidentales unum duntaxat Hosium secum habuere, Orientales contra succincti pædagogis & aduocatis Musaniano comite & Hesychio Castrensi, aduenere, eorumq; fiducia nixi audacter sese præsentes obtulerunt, sperantes eorum uiribus iterum omnia confici posse. Horum enim opera se quibus uolebant, terribiles ostendebãt, & insidias, quibus libitum erat, innectebant. Cæterum ubi iam re ipsa experiebantur Ecclesiasticũ morem tantũmodo obseruari, & ex singulis Ecclesijs ciuitatibusq; accusatores ibi præsto esse, & documẽta rerumq; probationes aduersus se in promptu esse, cõspicatiq; ibidem Arium & Asteriũ uenerabiles Episcopos una quidem secum ex Oriente profectos, sed diuerso itinere ingressos, nobisq; in ueniendo comites factos, eosdemq; memorantes uafriciem ipsorũ, & quantopere res suas suspectas haberent, iudiciumq; metuerent, ne à nobis quidẽ sycophantiæ, ab accusatoribus uero ab ipsis subornatis omnia per dolum feciſſe cõuincerentur: Hæc inq; illi conspicati, & si alacriter aduenerant arbitrati nos metu conterritos minime occursuros, tamen quum animaduerterent nostram fiduciam, intra Palatium se recluserunt, quo in loco domiciliũ habebant. Atq; ibi ita inter se cõsusurrarunt: Ad alia uenimus, & alia cõspicimus, accessimus cum comitibus, & sine comitibus res agitur, prorsus futurum est ut condemnemur. Nostis qualia sint decreta ordinationesq;, Athanasio in manu sunt monumenta omniũ Mareotæ actorum, quibus ille quidem purgatur, nos aũt confundimur. Quid igitur hæsitamus? quid moramur? fingamus aliquam causificationẽ, & discedamus, ne si manserimus, cõdemnemur. Melius est de fuga erubescere, quàm conuictos de sycophantia condemnari. Si fugerimus, poterimus aliquo modo hæresim propugnare. Quòd si nos fugientes cõdemnauerint, habemus Cæsarem propugnatorem, qui non permissurus est ut à populis de Ecclesijs ejiciamur. Ad istum modum ipsi inter se disceptabant: Hosius aũt cæteriq; Episcopi crebro illis Athanasij fiduciam renunciabant, & quàm promptus ad causam dicendam esset, & quantopere iactaret se eos sycophantiæ conuicturum, & inter cætera dicebat, Si timetis iudicium, cur huc uenistis? oportebat aut huc non uenire, aut huc profectos iudicium non subterfugere. Illi quum hæc audirent, & magis magisq; percellerentur, absurdiore q; Antiochiæ causificatione usi sunt, & sub eo prætextu quasi Imperator ipsis triumphalia de Persis per literas scripsisset, fugam adornarunt, & sine omni pudore hanc cauillationẽ pro excusatione per Eustathium presbyterum Sardicensis Ecclesiæ renunciarunt. Verum ne ita quidem ipsis fuga ex sententia succesit, statim enim Synodus, cuius patronus erat Hosius, illis diserte scripsit, ut aut occurrerent responsuri, & de suis in alios, aliorumq; criminibus in ipsos, aut certo scirẽt se pro

se pro reis à Synodo condemnandos, & Athanasium cum suis, ut puros ab omni crimine liberandos. Illi aũt maiori metu conscientiæ angebantur, quã ut istiusmodi literis obtẽperarent. Nam cum uiderent eos, quos iniuria afecerant, ne ad respondendum quidem ausi se reflectere, summa intentione fugam rapiebant. Talis igitur & tam fœda illorum fuga fuit. Synodus autẽ ex pluribus quàm triginta quinq; prouincijs coacta, cognita Arianorũ malitia, permisere Athanasio cum suis ut causam diceret tum de calamitatibus suis, tum de calumnijs quas passus esset, auditisq; eius rationibus, hominẽ innocentem, quemadmodũ superius dixi, pronunciarũt, eumq; magna admiratione prosecuti sunt, adeo ut eius cõmunionem amplecterentur, & literas passim missitarẽt tum ad cuiusq; diœcesim, tum potissimũ in Ægyptũ, Alexandriam, & Libyam, quibus significabant Athanasium cum suis puros & extra omnem culpam esse, eorumq; accusatores sycophantas & facinorosos, & quiduis potius quàm Christianos appellari debere. Eos igitur cum pace dimiserunt, Stephanum aũt & Miophantum, Acacium, & Georgium qui Laodiceæ pro Episcopo fuit, Vrsaciũ item & Valentẽ, & Theodorum & Narcissum deposuerunt: Georgij aũt nomen Alexandriam missi ita in damnando recitarũt, ut nec unq; eum Episcopum, nec dignum, qui Christianus appellaretur, censerent: rescinderunt enim omnes illius in ordinibus dandis constitutiones, interdicentes ne quisq; ab eo ordinatus in Ecclesia uel nomẽ sui ordinis obtineret, idq; in odium inauditorum scelerum Georgij. Et ita quidem Athanasius cum suis dimissus est in pace: literæ aũt quæ in hac pace scriptæ fuerũt, propter longitudinem omisimus. Synodus porro ad istum modum soluta est. Qui aũt exauctorati erant, quum æquũ esset, ut uel sic quiescerent, unaq; cum ijs qui tam fœda fuga recesserãt, ea in abeundo designarũt, ut priora eorum facinora pro minimis æstimes. Quũ enim eorum cõmunionem ut fugientium à Synodo & noxiorum, Adrianopolitani auersarentur, rem detulerunt ad Imperatorem Constantium, effecereq; ut illi è loco fabricæ cognomine, more laicorum capitibus truncarẽtur administro in istis rebus Philagrio, præsente quoq; & ibi comite. Huius rei monumenta ante urbem consistunt, quæ nos inter prætereundũ uidimus, idq; ideo fecere, quòd eo modo fugam suam se, ne sycophãtæ haberentur, corrigere posse existimarent. Imperatore uero prompto ad omnia quæ ipsi uellent, effecere, ut ab Alexandria in Armeniam duo presbyteri & tres diaconi relegarentur. Arium porro & Asterium, alterum in petra Palęstines, alterum in petra Arabiæ Episcopum, qui ab ipsis desciuerant, non solum in superiorem Africam relegarunt, sed ut contumelias paterentur, operã dedere. Lucij porro Adrianopoleos Episcopi manus ceruicemq;, plurima aduersus ipsos audacia utentis & impietatem redarguentis, iterum uti prius ferro uinxerũt, uinctumq; in exilium deportarunt, ibiq;, quod ipsos minime latet, extinctus est. Diodorum quoq; Episcopum suis sedibus expulerunt, Olympium item ex Aenis, & Theodulũ ex Traianopoli, ambos Episcopos Thraciæ bonos & orthodoxos uiros, infensos hęresi, calumnijs impetiuerunt: semel quidem quum ad Eusebianorum calumnias Constantius Imperator edictum misit, iterum aũt quum istius rei memoria ab Eusebianis

bianis refricata est. Habebat aũt edictum, ut non solum ciuitatibus & Eccle
sijs eijcerentur, sed & capitali pœna, ubicunq; inuenti essent, plecterentur.
Mirum quidem facinus, sed non alienum ab ipsorum moribus. Siquidem
non aliter q; Eusebij discipulos, Eusebianiq; animi successores decuit, sese
gessere, adeo ut æque terribiles sese in Thracia exhiberent, ac patres ipsorũ
Alexandriæ sese exhibuerãt. Curauere igitur edicta fieri, quibus portus &
introitus ciuitatum obseruari iuberentur, ne quibus à Synodo concessum
erat, reditus in Ecclesias suas pateret: simulq; diplomata ad iudices Alexan-
drinos nominatim de Athanasio & presbyteris certis impetrauerunt, ut si-
ue Athanasius siue quispiam suorũ urbes aut fines illos ingredi deprehen-
deretur, capite id lueret. Ad eum modũ Iudaica ista hæresis, non solũ Chri-
stum inficiari, sed etiam cædes facere condidicit. Verum ne hoc quidem si-
tis fuit, ut quietem uellent: nam ut ipsorum hæreseos pater, ut leo circuit,
quærens quem deuoret, ita isti publici cursus facultatem nacti, ac proinde
circumcursitantes, in quoscunq; incidunt, qui uel fugam eorum carpãt uel
hæresim auersentur, eos indignis modis nunc flagris concidunt, nunc uin-
culis constringunt, nunc è natali solo exterminant. Tantus certe terror eo-
rum hominum fuit, ut multos coegerint ad hæresis simulationẽ, multosq;
eo metu affecere, ut maluerint in heremum defugere, q; uel semel in illos in
cidere. Hæc sunt post fugam eorum audaciæ & insaniæ facinora. Quin &
nouum quiddam mirumq; designant, quod, ut probe eorum hæresim de-
cet, ita nunq; prius auditum est: & tale, quod fortasse ne apud gentiles qui-
dem proteruiores, nedum apud Christianos futurum putes. Missis enim à
sancto concilio in legationem Episcopis Vincentio Capuæ, quæ metropo
lis est Campaniæ: & Euphratæ Agrippinæ, quæ est metropolis superioris
Galliæ, ut pro Synodi decretis Imperator Constantius Episcopos, quos ip-
se eiecerat, in suas sedes reuerti pateretur: & in eam sententiam à Constan-
te pientissimo ad fratrem suum literis datis, quibus Episcopos illi cõmenda
bat, uiri isti mirifici & ad quoduis facinus prompti, quum legatos istos An
tiochiæ uidissent, in cõmune quidem conciliũ ineunt, sed ita tamen ut Ste-
phanus fabulam initi concilij peragendam susciperet, utpote ad istiusmodi
res longe aptissimus. Suscepto negocio, conducit ille publicam meretricẽ,
in ipsis ferijs sanctissimi Paschatis, eamq; nudam per tenebras immittunt in
ædes Euphratæ Episcopi. Meretrix autẽ quia principio credebat iuuenem
esse à quo accerseretur, prompte sequebatur. Postq; autẽ ita destituta ab il-
lis, hominem dormientem, ignarum omnium intueretur, diligentiusq; con
siderans, senis uultum & Episcopi speciem animaduerteret, statim clamorẽ
edit ac uim quiritatur: illi contra, eam orare ut taceret, & falsum crimen Epi-
scopo concinnaret: die igitur illucescente, uulgatur facinus, & uniuersa ciui
tas concurrit, & qui in Palatio erant, rei admiratione cõmouebantur: neq;
eam silentio tradi uolebant, itur in iudicium, leno prodit eos qui meretricẽ
accersierant, illiq; deinde authorem istius rei Stephanum esse ostendunt: e-
rant enim eius clerici qui cum lenone conuenerant. Stephanus igitur Epi-
scopali dignitate exuitur, & in eius locum sufficitur Leontius ille castratus,
non in aliud q; ut nõ deesset hæreseos propugnator. Imperator uero Con-
stantius

stantius paulisper compunctus ad se rediit, cõiecturaq; ex ijs, quæ aduersus Euphratem designauerant, facta, consimiles esse eorum in alios calumnias arbitratus, relegatos ex Alexandria in Armeniam presbyteros & diaconos euestigio redire iubet, & diserte Alexandriam scribit, ne ulterius Athanasij aut clericos aut laicos persequerentur. Deinde post menses decem defuncto Gregorio, accersit & Athanasium cum omni honore, non semel aut iterum sed tertio ad illum amicissimas literas scribens, quibus illum animabat & ad ueniendum hortabatur, misitq; ad illum presbyterum & diaconum, ut maiori cum fiducia ad se rediret. Putabat enim me ob superiora pericula ad reditum negligentiorem esse. Scribitq; item fratri suo Constanti, ut ipse quoq; me ad reditum cohortaretur. Affirmabat enim totum se annũ Athanasium expectasse, nec permisisse unq; quicquam noui fieri, aut quempiam in eius locum Episcopũ creari, ut seruaret Athanasio suas Ecclesias. ita scribente eo, & plurium cohortatione ad eam rem utente (nam & comites suos Polemium, Datianum, Bardionem, Thalassum, Taurum, Florentium, quibus etiam magis fidendum erat) in eandem sentẽtiam scribere iussit. Venit igitur tandẽ Athanasius, uenientemq; syncero serenoq; uultu intuetur, eiq; liberum facit, ut in patriam & ad suas Ecclesias rediret, literis ad eius loci iudices datis (quia priori edicto aditus seruari iussum erat) ut nunc eum inofense transire permitterent: Episcopo aũt suas calamitates calumniasq; deplorante, & admonente ne denuo se absente calũniæ reciperentur: ut iam nunc accusatores euocaret: siquidem se non intercedere, quo minus illi se apud Cæsarem sistant, ut eos ita conuincere posset. Hæc quidem Cæsar facere noluit, sed tamen omnia quæ contra ipsum per calumniam scripta essent, tolli, & aboleri iussit, iurans se in posterum nullas calumnias admissurum, suumq; in hac re propositũ firmum & inconcussum fore. Neq; id simpliciter dixit, sed & iureiurando, Deo in testimonium uocato, obsignauit. Quum igitur Athanasium multis alijs cohortationibus incitasset, & bonæ fiduciæ esse iussisset, istiusmodi literas ad Episcopos & iudices dedit.

VICTOR CONSTANTIVS MAXIMVS AVGVSTVS, CLERICIS CATHOLICAE ECCLESIAE.

Non est destitutus à Dei gratia Venerabilissimus, &c.
Epistola tota superius descripta est.

ALTERA EPISTOLA AD POPVLVM ALEXANDRINVM.

Adspicientes uestram in omnibus æquitatem, &c.
Et hæc quoq; superius descripta est.

TERTIA EPISTOLA CONSTANTII.

VICTOR CONSTANTIVS AVGVSTVS NESTORIO PRAEFECTO.

CERTVM

CERTVM est ex meo decreto, diplomata contra existimationem uenerabilissimi Episcopi Athanasij supersesse, eaq; reperiri posse in prouincijs tuæ sanctitatis: uolumus igitur ut tua spectata sobrietas, omnes eas epistolas sub hoc nomine per tuã prouinciam editas, pro nostra iussione in nostrum comitatum transmittat. Quę autem post obitum beati Constantis scripsit, sunt eiusmodi, de Latina in Græcam linguam translata.

VICTOR CONSTANTIVS AVGVSTVS, ATHANASIO.

VOTVM meum fuisse, ut omnia ex sententia fratri meo Constanti procederent, neq; uel tuam conscientiam latet: In quanto aũt mœrore fuerim, quum didicissem eum à quibusdam impijs sublatum esse, facile iterum tua prudentia diuinauerit. Cæterũ quia nonnulli sunt in hoc luctuoso tempore, qui te terrere satagunt, ideo has literas tuæ firmitudini porrigendas censuimus, quibus tibi author sum, ut quẽ admodum Episcopum decet, ea quæ ad sacram religionem pertinẽt, populos doceas, tuisq; consuetis precibus uaces, neq; uanis rumigeratoribus credas, quicunq; etiam fuerint. Id nostro animo fixum est, ut secundum nostrã uoluntatem perpetuo in tua sede Episcopus maneas, Diuina prouidentia te plurimis annis conseruet parens charissime. Rebus igitur ad istum modum actis & cõstitutis, Athanasium cum suis iter carpentem amici quidem amicum intuentes gratulari, alij uero ad conspectũ eius pudescere, alij quibus nulla erat fiducia, sese abdere, alij pœnitentiam de ijs quæ contra Episcopum scripserant, agere. Certe omnes Palæstines Episcopi, exceptis duobus aut ad summum tribus, ijsq; suspectis, ita Athanasium exceperunt, & cõmunionẽ eius amplexi sunt, ut & scriptis & uerbis pro satisfactione protestarentur, omnia quæ prius scripserant, ea se non uolũtate sed ui coactos fecisse. Nam de Ægyptijs & Libycis Episcopis earumq; prouinciarum & Alexandriæ populis superuacuum est uerba facere, quum & omnes occurrerint, & ineffabili gaudio imbuti fuerint, nõ solũmodo quòd suos præter spem incolumes reciperent, sed quia ab hæreticis ueluti à tyrannis & rabiosis canibus in libertatem assererentur. Magna igitur lætitia populorum fuit, in sacris synaxibus mutuo se ad uirtutem cohortantium. Quot putas innuptæ quidem, sed tamen hactenus ad nuptias promptæ, uirgines in Christo remanserunt, quot item iuuenes aliorum exempla intuentes monasticã uitam amplexi sunt? Quot parentes liberos, liberi inuicem parẽtes suos obtestati, ne se à studio pietatis in Christũ reuocarent, quot mulieres uiris persuaserunt, quot item à uiris persuasæ sunt, ut orationibus uacarẽt, quemadmodum dixit Apostolus: quot uiduæ, quot orphani antea famelici & nudi ingenti populorum ad eleemosynam alacritate, postmodum neq; esurierunt, & uestiti prodierũt? In summa tanta æmulatio fuit ad uirtutem, ut singulas familias, singulas domos Ecclesiam esse, ob probitatem incolentium & preces ad Deum existimares. Eratq; in Ecclesia profunda & admirabilis pax,

pax,inuicem undecunq; Athanasio Episcopo scribentibus,ñsdemq; ab Athanasio consuetas pacis & tranquillitatis literas accipientibus. Quin Vrsacius & Valens quasi à sua ipsorum conscientia flagellati,pœnitentiã professi sunt,literasq; & amicas & pacatas ad Episcopum quas nullas ab eo acceperant, misere.Romanicq; abeuntes pœnitentiam egere, confitentes omnia quæ uel dixissent,uel fecissent contra Athanasiũ, falsa esse,& nihil aliud quàm calumniam:neq; id simpliciter egere,sed ita ut anathemate execrarentur Arianam hæresim, & pœnitentiam suam scripto promulgarẽt. Quę Latine ad Iulium Romanum Episcopum scripta, in Græco sermone hanc sententiam complectitur.

DOMINO MEO BEATISSIMO PAPAE IVLIO, VRSACIVS ET VALENS.

Quandoquidem constet nos superioribus temporibus multa & grauia, &c.scripta est superius.

IIDEM DOMINO SVO FRATRI EPISCOPO ATHANASIO.

Occasio nobis data est per fratrem & compresbyterum,&c.
sed & ea superius quoq; descripta est.

Has literas quum dedissent, ultro subscripserunt epistolis pacificis,quas Athanasij presbyteri,Petrus & Irenæus,& Ammonius laicus ad id circumeuntes colligebant,quum tamẽ Athanasius nihil tale ab Vrsacio & Valente postulasset.Quis igitur ista,& tantam Ecclesiæ pacem nõ admiratus est? quis non gauisus de tanta & tot Episcoporũ inter se concordia? quis Deum non glorificauit conspecta in synaxibus tanta populi lætitia? Quot igitur inimici simultatem deposuerunt,quot prius calumniati calumnias suas damnauerunt, quot prius odio infesti, Athanasium postea dilexerunt, quot palinodiam suorum in eum scriptorum cecinerũt? Multi qui ui non uoluntate apud Arianos agebant, noctu ad Athanasium uenientes sese ei purgabant, hæresimq; simul anathemate execrabantur, & ueniã de insidijs & calumnijs suis postulabãt, corporibus quidem se apud illos apparere, animo tamen cum Athanasio synaxim facere, & semper cum eo esse, postulantes hac in re sibi fidem haberi. Hæc quum audirent, & conspicerent sententiæ Eusebianæ, hæreseosq; successores, inter quos Leontius ille castratus,quẽ ne sub laici quidem specie ad cõmunionem admitti oportuit, eò quòd seipsum abscidit,ut libere cum Eustolio dormiret,reuera quidem muliere,sed quam ille uirginẽ prædicaret,Georgius item & Acacius,Theodorus,Narcissus,qui in Synodo depositi exauctoratiq; erant, magno pudore suffundebantur.Deinde cum uiderent tantum cum Athanasio animorum cõsensum,& pacem agitari: erant enim plures in hoc numero quàm quadringenti tum è magna Roma atq; uniuersa Italia,Calabria,Apulia,Campania,Brutia,Sicilia,Sardinia,Corsica,tum ex uniuersa Aphrica,Gallijs,Britãnia,Hispanijs,

Ecclesiæ communio & cõsensus.

ſpanijs, unà cum magno illo confeſſore Hoſio è Pannonijs, item & Norico, Siſcia, Dalmatia, Sardinia, Dacia, Miſia, Macedonia, Theſſalia, & uniuerſa Achaia, Creta item & Lycia, plurimiſq; item ex Palæſtina, Iſauria, Ægypto, Thebaide, & uniuerſa Libya & Pentapole. Hæc inquam quum uiderent, metu inuidiaq; anxij fuere, & q; tot Epiſcopi cum Athanaſio communionem fouerent: & quòd formidarent, ne quos ipſi deceperant, à ſe deficerent, & huic unanimitati cõmunioniq; ſeſe adiungerent, néue quod futurũ uidebatur, de eorum hæreſi iam ubiq; famoſa triumphus ageretur & trophæa excitarentur. Primum igitur Vrſacio & Valenti perſuadent, ut muta to propoſito quaſi canes ad proprium uomitum reuertantur, & ut ſues in priſtino impietatis luto denuo ſe uoluant, cauſificantes pœnitentiam quam ſimularant, ex metu Conſtantis religioſiſsimi Imperatoris extortã eſſe. At qui non decebat eos, ſi de factis ſuis bene ſperabant, ſociorum ſuorum partus prodere. Iam quum metus nullus fuerit, & merum mendaciũ ſit, quod dicunt, qui quæſo non omni probro digni habeantur? quippe quum nullus ibi neq; ſatelles, neq; Palatini, neq; Notarij adfuerint, qui ab illis adhiberi ſolent? Imo ne ipſe quidem Imperator ibi præſens fuerit, & quod maius eſt, ipſi à nemine accerſiti cõfeſsionem ſuam ſcripto prodiderint, Romamq; ultro profecti ſint, & in Eccleſia, ubi nullius niſi Dei metus, & ubi liberam quiſq; ſententiam proferebat, ſponte pœnitentiam ſuam profeſsi ſint & ſcripto ediderint. Nihilominus tamen iterũ Ariani facti nihil in tam futili cauſificatione fingenda cõminiſcendaq; erubuerunt. Nec ita diu poſtea inito conſilio, Imperatorem Conſtantinum iſtiuſmodi uerbis exacerbauerũt: Etiam tum quum primum deprecaremur, fides nobis habita non fuit: denunciauimus enim iam, tunc cum reuocares Athanaſium, quod illa ipſa reuocatione noſtram hæreſim tolleres, cui ille ab initio ſe aduerſariũ præbuit, neq; unq; eam deſinet anathemate perſequi, quin iam quicquid terrarum eſt, ſcriptis ſuis, quibus nos impetit, adimpleuit: & fere omnes cum eo cõmunione ſociantur: ex ijs autẽ qui noſtræ factionis eſſe uidebantur, alij ſeſe illi adiunxerunt, alij id ipſum iamiam facturi exiſtimantur: nos interim deſerti deſtitutiq; relinquimur, neq; leue periculum eſt, ne hæreſis noſtra palam innoteſcat, ac deinde tu nobiſcum hæreticus iudiceris, quod ſi fit, uide ne cum Manichæis in eandem claſſem cõputemur. Age igitur, incipe eos perſequi, & ſuſcipe patrocinium tuæ ſectæ: Siquidem illa te ſuum Imperatorem agnoſcit. Hæc erant illorum ſcelerum uerba. Ille igitur cum in expeditionem iret cõtra Maxentium, uideretq; Epiſcoporum cum Athanaſio cõmunionem, quaſi ignis ſuccenſus ſententiã ſuam mutat, nihil iam iuriſiurandi memor, & ſuarum literarum oblitus, gratitudinis officium erga fratrem nõ retinuit. Nam cum illi ſcriberet, & Athanaſium uidiſſet, iuramentum conceperat, ſe nunquã aliter facturum, q; ut populus uellet, & Epiſcopo gratũ eſſet. Sed ſtudium impietatis omnium ſimul illi obliuionem induxit. Neq; admirationi eſſe debet, ſi poſt tot epiſtolas, tot iuramenta Conſtantius immutatus ſit: ſiquidem & tyrannus Aegypti Pharao ſubinde promittens atq; indere laxationem mali adeptus, tam diu ſeſe mutauit, donec prorſus tandem cum ſuis gregalibus periret. Hos igitur ſingulis in urbibus ad ſentẽtiæ mutationem

nem cogebat. Cæterum quum esset Arelatæ & Mediolani, omnia pro hæreticorum adhortatu suggestionecp faciebat, uel potius illi ipsi agebant, insultabantcp in omnes Cæsaris potestate succincti. Statim igitur mandata literæcp ad præfectum, ut frumentum quod hactenus Athanasio cum suis cedebat, illi adimeretur, dareturcp illis qui Arianica saperent, & ut liberū esset contumeliam inferre in Athanasij cōmunicatores. Minæ item denunciatæ iudicibus, nisi cum hæreticis cōmunionem celebrarent. Erant aūt ista præludia eorum quæ postea per Syrianum ducem cōmissa sunt: rursus ad alias partes edicta missa, Notariicp præsto in singulis urbibus, & Palatini minas secum ad Episcopos & iudices deferentes, ut isti quidē de causa iudicarent: illi uero contra Athanasium scriberēt, ut aut cōmunionem cum Arianis haberent, aut pœnam exilij sustinerent, populicp qui ad cōmunionem cum illis coirent, uincula, contumelias, bonorumcp suorum direptionem expectarent. necp negocium negligenter curatum est, habebant secum in comitatu Vrsacij & Valentis clericos, qui eos incitarēt, & negligentiores iudices ad Cæsarem deferrent, aliascp hæreses minores ut sorores suas permittebant blasphemias in Dominū proferre, & Christianis tantummodo suis insidijs imminebant, non sustinentes ullos pios sermones de Christo. Quot igitur Episcopi, prout in sacris literis est, ad præsides & reges abducti sunt, & à iudicibus hanc sententiam audiuerunt, Aut subscribite, aut ab Ecclesijs recedite: Detrahi enim uos ab Ecclesijs Imperator iussit: quot in singulis urbibus palabundi sese sparserunt, ne ut Episcoporum amici accusarentur? Nam & magistratibus scriptū est, & mulcta pecuniarum denunciata, nisi quiscp suæ ciuitatis Episcopum subscribere coegissēt. In summa, omnia loca, omnes ciuitates implebantur terroribus & tumultibus, quum & Episcopi traherentur, & iudices uiderent luctus & suspiria populorum. Hæc quidem à Palatinis in legationem missis agebantur. Illi uero freti tanta potentia sua, nihil non moliebantur, & nunc hos Episcopos ad Imperatorē citabant, nunc illos literis circumueniebāt, cōminiscentes aduersus eos has & illas causas, ut illi præsentem Imperatorem exhorrescerent: isti uero legatos & minas falsarum criminationum formidantes de recta & pia sententia decederent: eo enim modo Imperator tantum numerum Episcoporum coegit, quum partim minis terrerent, partim promissis allicerent, ut se faterentur nō amplius communionem cum Athanasio habere. Quotquot enim ad Imperatorem profecti sunt, non prius ad eius conspectum admissi fuere, ne tantillo quidē laxamento indulto ut uel ex domicilio ipsis procedere liceret, priusquam subscriberent: aut si recusarent, in exilium mitterentur. Idcp ideo faciebat, quòd animaduerterat ab omnibus hæresim odio haberi. Quæ res in causa fuit cur tam multos repelleret, ut se hæreticorum paucitati adiungerent, magnopere id studens ut multorum nomina corrogaret, tum ad inuidiam Episcoporum, tum ut speciem aliquam, dignitatiscp imaginem Arianæ hæresi conciliaret, cuius ipse propugnator erat, existimans, cp quemadmodum hominum sententias, ita quocp ueritatē immutare posset, inscius ignaruscp Saducæos & Herodianos non ideo ualidiores factos esse ad ueritatem opprimendam, quia sibi Pharisæos associauerant. Ea enim eo modo magis ac

T.

Ioan.19 magis enituit. Ita quoq; isti uociferantes, Nõ habemus regẽ nisi Cæsarem, & extorquentes Pilato iudicij sententiam, nihilo tamen minus ob id desolati omnem confusionem probrumq; sustinent, nudandi aliquando & deplumandi ut ille perdix, quum uiderint suum propugnatorẽ morte sublatum. Quod si inhonestum est aliquot Episcopos metu coactos sententiã immutasse, quanto grauius fœdiusq; illorum facinus, qui, quod hominum est minime suæ causæ confidentium, inuitos ad mutationem sententiæ coegerũt. Ita quoq; diabolus, quia nihil ueri habet, in securi & ascia inuadens concutit fores eorum à quibus recipitur. Saluator cõtra mansuetus est, Si quis (inquit) uelit me sequi, & esse discipulus meus, docetq; se quum ad quempiam uenit, nõ ui instare, sed potius pulsare ac dicere, Aperi mihi soror mea sponsa: quòd si aperiant, intrat: sin grauentur aut nolint aperire, abscedit. Non enim gladijs, aut iaculis, aut militari manu ueritas prædicatur, sed suadendo & consulendo. Quæ aũt ibi suadendi libertas, aut consulendi ratio, ubi qui contradicit, pro mercede aut exilium aut mortem reportat? Dauid autem quanq; rex, quum hostem sub sua manu haberet, milites suos qui hosti necem inferre uolebant, non pro potestate sua prohibuit, sed, ut ait Scriptura, rationibus persuasit, neq; concessit eos insurgere ad cædem Saulis. Iste uero nulla ratione instructus, ui & potentia omnes cogit: adeo ut statim nulli non appareat ipsorum sententiam, non secundum Deum, sed humanam esse: & Arianos reuera nullum habere regem, nisi Cæsarem: per eum enim omnia quæ uolunt, perpetrant isti Christi perduelles. Sed quũ se arbitrantur plurimis insidiari, non animaduertunt se plures facere confessores, ex quorum numero clarissimæ sunt confessionis uiri religiosi, & Episcopi boni Paulinus Episcopus Treuirorum, quæ Galliarum metropolis est, Lucifer metropolitanus Episcopus Sardiniæ, Eusebius Marcellis ciuitate Italiæ, Dionysius Mediolani, quod & ipsum est metropolis Italiæ. His enim ad se uocatis, iussit Imperator ut contra Athanasium subscriberent, & cum hæreticis cõmunionem inirent: quibus admirantibus nouũ eius studium, dicentibusq; id non esse Ecclesiastici canonis, statim subiecit: At quod ego uolo, pro canone sit: ita enim me loquentem Syriæ Episcopi sustinent: aut igitur obtemperate, aut uos quoq; exules estote. Id quum audissent Episcopi, magnopere admirantes, & ad Deum manus tendentes, multa cum libertate illi suas rationes proposuerunt, docentes regnum non ipsius esse, sed Dei, à quo acceperat: cumq; metuendum, ne illud quod dederat, derepente adimeret. Denunciabãt illi diem iudicij, suadebantq; ne Ecclesiastica corrumperet, néue Romanum Imperium Ecclesiasticis constitutionibus immisceret, néue Arianam hæresim introduceret in Ecclesiam Dei. Verum nec ille audijt, nec eos plura dicere permisit. Quin ob hoc ipsum acriter minabundus & gladium intentans, quosdam ex ijs adduci iussit, sententiã suam quã antea professus erat, uti Pharao, reuocans. Excusso igitur sancti puluere, & oculis in Deum reiectis, nec Cæsaris minas uerebantur, neq; ob strictos ensses ueritatem prodiderunt, & exilium ueluti ministerij sui officium acceperunt, pergentes de loco in locum, & de ciuitate in ciuitatem, & nihilominus quanquam in uinculis essent, euangelizabant, piam quidem fidem deprædicantes:

Ecclesiasticæ constitutiones.

dicantes: Arianam autẽ hæresim anathemate damnantes, & pœnitentiam Vrsacij Valentisq; multa infamia traducentes. Resq; illa insidiatoribus plane in cõtrarium abijt. Quanto enim longioris interualli exilium erat, tanto maius odium aduersus insidiatores accumulabatur, iterq; sanctorum non nisi deprædicatio erat contra Arianam hæresim. Quis enim eos in itinere conspectos, non ut confessores admiratus est? & istos non ut impios cum abominatione, uel potius ut carnifices & homicidas auersatus est, & quidnuis potius quàm Christianos nominauit? Meliusq; à principio fuisset, prorsus non attigisse Constantium hanc hæresim: aut ubi attigerat, non tantopere indulgere impietati: aut si ijs indulgere uellet, hic saltem uestigium sistere, ut de hactenus cõmissis idem iudicium cum illis expectet. Sed ut apparet, quemadmodũ insani solent, catenis impietatis seipsos circumfibulantes, grauius iudicium aduersus se contrahunt. Primum, ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercerunt, nulla reuerentia ducti, uel quòd sedes illa apostolica esset, uel q; Roma Metropolis esset Romanæ ditionis, uel quòd eos apostolicos uiros in suis literis appellassent, sed omnia simul miscentes, æque omniũ obliuiscebantur, neq; quicq; illis curæ nisi sola impietas fuit. Nam quum Liberium uidisset orthodoxum, & osorem quidem Arianicæ sectæ: studiosum uero in hoc, ut cunctos ab ea hæresi retraheret, ista secum impij cogitarunt: Si Liberium in nostram sententiã traxerimus, omnes breui superabimus: rem igitur ad Imperatorem deferunt, ille autem sperans per Liberium omnes se posse attrahere, mittit eunuchum quendam Eusebium cum literis & donis ad eum, ut donis quidem blandiretur, literis uero minaretur. Profectus igitur Romam spado, primum incitabat Liberium ut contra Athanasium subscriberet, & cum Arianis cõmunicaret: id enim Imperatorem uelle & pro imperio iubere: deinde munera ostentãs uerbis instabat, manuq; Liberij apprehensa ita locutus est, Obtempera regi, & ista accipe: Episcopus contrà uerbis quærebat, quomodo hoc contra Athanasium posset fieri? quẽ enim (inquiens) non una sed iam altera Synodus probe ab omni crimine liberum pronunciauit, & Romana Ecclesia cum pace dimisit, quomodo poterimus condemnare? aut quis nos probaret, si quem præsentem dileximus & habuimus in nostra cõmunione, eundem absentẽ auersemur? Non ita se habet Ecclesiasticus canon, neq; unq; accepimus talem à patribus traditionẽ, quam ipsi à beato & magno Apostolo Petro acceperunt. Quòd si omnino Imperator curã suam pro Ecclesiastica pace interponere quærit, aut si scripta à nobis pro Athanasio deleri iubet, deleantur quoq; ea quæ contra illum scripta sunt, fiatq; deinde Ecclesiastica Synodus longe à Palatio, ubi nec Imperator præsto est, nec comes se ingerit, nec iudex minatur, & ubi solus timor Dei ad omnia sufficit, & Apostolorũ institutio, ut eo in loco ante omnia Ecclesiastica fides asseratur, quemadmodum à patribus definitum est in Niceno concilio, ijq; qui Arianicæ sententiæ sunt, eijciantur, & eorum hæresis anathemate damnetur, ac deinde iudicium de Athanasio fiat, aut si quis alius reus agitur: & quod ab ipsis iussum est, quotquot noxij reperti fuerint, eijciantur: quotquot aũt puri, reatu absoluantur. Non enim fieri potest, ut locum in Synodo habeant, qui fide im-

pñ sunt: necꝙ fas est prius quæstionem de factis alicuius, quàm de fide religionis haberi. Primum enim omnis fidei discordia rescindenda est, & tum quæstionem de negocijs fieri oportet: Nam & Dominus noster Iesus Christus non prius sanabat ægrotos, quã ubi ostendissent & prolocuti fuissent, quam fidem in ipsum haberẽt. Hæc à patribus didicimus, hæc renuncia Imperatori: siquidem ea ipsa & illi utilia sunt, & Ecclesiam ædificant. Eunuchus aũt tristis, non tantopere, quòd non subscripsisset, cꝙ quòd eum hæresi infestum reperiebat, oblitus sui quòd coram episcopo staret, magnis minarũ denunciationibus iactis, cum muneribus suis domo egreditur, & facinus designat quod & à moribus Christianorum abhorret, & quod audacius est, quàm pro spadone. Imitatus siquidem Saulis præuaricationẽ, templum Apostoli Petri ingreditur, ibicꝙ ea ipsa dona consecrauit: quod cum rescitum esset à Liberio, magnopere increpuit custodem loci, quod id non prohibuisset: ipse deinde progressus dona illa ut uictimam illicitam proiecit: quæ res longe adhuc magis spadonis iram commouit. Imperatorem igitur his uerbis irritat: Non iam nobis curę esse debet, ut Liberius subscribat, sed potius quòd in hæresim tam male affectus est, ut qui nominatim Arianos anathemate damnet. Eodem & cæteros quocꝙ spadones prouocat: plericꝙ enim apud Constantiũ uel potius omnes eunuchi sunt, omniacꝙ apud illum possunt, & sine illis nihil ibi rerum geritur. Scribit igitur Imperator Romam, rursumcꝙ Palatini & Comites emittuntur, & literæ ad præfectum, ut Liberium aut per dolum è Roma seductum in castra ad se mitterent, aut uim in eo persequendo adhiberent. Quibus scriptis statim per urbem ingens terror & insidiæ increbrescebãt. Quot igitur familijs minæ denunciatæ sunt, quot & ad quot ædes mandata contra Athanasium data, quot istis conspectis Episcopi sese in latebras abdiderunt, quot liberi homines furila tuerunt ob calumnias Christi perduellium, quot deuotarijs insidiæ factæ sunt, quot ibi cõmorantes, & iam fixum domiciliũ habentes in fugam compulsi sunt, quoties & quanto studio portus aditusꝙ portarũ custodierunt, ne quis orthodoxus ingressus Liberiũ uideret? Cœpit tum Roma experimentum Christi perduellium, cognouit tandem quod antea non credebat, quomodo Ecclesias in singulis urbibus euastassent. Eunuchi erant qui ista & reliqua in omnes mouebant, & quod in istis insidijs mireris, Ariana hæresis abnegans Filium Dei, præsidium sibi ex Eunuchis cõparabat, hominibus ut natura ita animo ad gignendum sterilibus, & qui proinde ægre patiuntur ullam mentionẽ de sobole fieri. Atqui Aethiopicus eunuchus quũ non caperet, quę legebat, credidit Philippo de Saluatore docenti. Constantij eunuchi contrà ne Petri quidẽ de Filio confessionem sustinent, imo quẽ Pater declarat sibi esse Filium, auersantur, rabiuntcꝙ contra eos qui illum dicunt genuinum Filium ex Patre. Ideo lex uetuit eunuchos in concilium Ecclesiasticum assumi, atqui illi nunc Ecclesiasticorum iudiciorum principes reputantur, & quod ipsis uidetur, Constantius iudicat, & istiusmodi rebus, qui nomen Episcopi ferunt, inseruiũt. Me miserum, quis hanc historiã describet? quis ista renunciabit generationi alteri? quis ista narranti fidem habebit, spadones, quibus domorum gubernacula uix creduntur (uoluptarium enim

um enim & nequam hoc genus hominum, quibusq; nihil tam curę est, quã illud impedire, quod ipsis natura negauit) illos nũc Ecclesijs dominari. His ergo deditus obnoxiusq; Constantius, omnibus insidias molitus est, & Liberium in exilium eiecit. Et quum multus esset in scribendo Romam, multusq; in minis denunciandis, legatis mittẽdis, insidijsq; parandis, etiam Alexandriæ persecutionem mouit. Trahitur ergo Liberius ad Imperatorem, quo cum peruenisset, magna quoq; & ibi libertate dicẽdi usus est: Desine, inquiens, persequi Christianos, ne tenta per me hæreticam impietatẽ in Ecclesiam introducere. Ad omnia potius sustinenda parati sumus, quàm nos Christiani eò deueniamus, ut Ariani appellemur, ne coge nos fieri Christi perduelles. Hoc tibi suademus, ne pugnes contra eum, qui tibi hoc imperium dedit: ne pro gratia impietatem illi referas, ne persequere illos, qui in eũ credunt, & ne tu quoq; audias, Durum est tibi contra stimulum calcitrare: atq; utinam uel sic audias, ut & tu quoq; quemadmodũ Paulus, credas: Ecce præsto sumus, uenimus antequam causam aliquam contra nos fingerẽt. Ideo enim iter accelerauimus certi de exilio, in quod à te mittendi sumus, ut ante obiectum crimen supplicium patiamur, quo omnibus euidentius constet, reliquos omnes eodem modo quo nos, afflictos esse, causasq; ipsis crimini datas, fictas fuisse ab inimicis, & omnia in illos per sycophantiam esse tentata, nihilq; ibi nisi mendacia uersata fuisse. Ita tunc Liberius locutus omnibus admirationi erat. Cæsar contra, pro responsione danda nihil aliud quàm imperijs & exilijs utebatur, singulosq; à se inuicem distraxit, quod & in alijs prius fecerat. Quam formam in exilijs obseruauit, ut se in supplicijs immaniorem superioribus tyrannis, & persecutorib. ostenderet. Nam in superiori persecutione multos confessores in cõmune simul exilium ire Maximianus iussit, & suppliciũ leuius fecit mutuæ præsentiæ cõsolatione. Hic autem illo crudelior, eos qui simul libere locuti erant, & confessores se præstiterant, unaq; fide copulati erant, ne uel in morte mutuo aspectu fruerentur, à se inuicem diuulsit, arbitratus corporum separationem, omnino etiam animorum affectus distinere: aut ipsos loco disiunctos, cõcordiæ mutuæ unanimitatisq; oblituros, ignorans, quòd quamuis singuli ab alijs distarent, illos tamen secum habere, quem in cõmune, quum simul erant, confitebantur, Dominum Iesum Christum, qui singulis longe plures associauerit (ut in Propheta Helizæo fecit) cẽ milites sunt circa Cõstantium: Sed reuera cæca res malitia: eo enim ipso quo putabant uexare confessores, quum eos à se inuicem dirimerent magnopere ipsi sese læserunt. Nam plane, si consociati fuissent, ex uno tantũmodo loco impietatis odiũ promanasset: nunc quia eos separarunt, id egere ut per omnia loca ipsorũ impia hæresis & malitia in noticiam ueniret & diuulgaretur. Quis enim qui hæc facinora audierit, non putabit quiduis eos potius, quàm Christianos esse? Missis enim à Liberio ad Cæsarem Euprotio presbytero, & Hilario diacono, alterũ eorũ nempe presbyterum in exilium misere: alterius uero terga detractis uestibus flagellis conciderunt, flagellatumq; extorrem fecere, inter uerbera ita diacono uerbis insultantes: Quare Liberio non restitisti? sed eius literas attulisti? Authores huius facinoris Vrsacius & Valens cum eunuchis, qui ibi

quoq; aderant, Diaconus uero inter crepitus ictusq; flagellorum Domino benedicebat, non immemor istorum uerborum Domini (Dorsum meum dedi ad flagra) flagellatores autẽ risu dicteriisq; uirum subsannabant, neq; ullo pudore tangebantur, quòd Leuitã ea contumelia afficerent, prorsusq; decorum erat & subsannatores eos animos præ se ferre, & diaconum in suis benedictionibus perseuerare. Verberari enim, Christianorum proprium est: flagellare aũt Christianos, Pilati & Caiphæ officia sunt. Ad istum modum Romanam Ecclesiam adorti sunt peruertere, cupientes illi admiscere suam impietatem. Liberius deinde post exactum in exilio biennium inflexus est, minisq; mortis ad subscriptionẽ inductus est. Verum illud ipsum quoq; & eorum uiolentiam, & Liberij in hæresim odium & suum pro Athanasio suffragium, quum liberos affectus habebat, satis coarguit. Quæ enim per tormenta contra priorem eius sententiam extorta sunt, eæ iam non metuentium sed ita cogentium uoluntates habendæ sunt. Omnia quidem illi pro hæresi sua moliti sunt, singulæ tamen Ecclesiæ fidem quam didicerant, retinuere, sed ita ut & magistros desiderarent, & Christo inimicam hæresim coacti admitterent, quam tamen, ut serpentem, animis suis auersabantur. Tantis ac talibus sceleribus factis, nihil omnino se adhuc fecisse arbitrabantur, quàm diu magnus ille Hosius eorum malitiam expertus non esset. Nam in eum talem tantumq; uirum, suam rabiem protendere studuerunt: neq; q; pater esset Episcoporum, reueriti sunt: neq; quòd confessor erat, pudore moti sunt: neq; quòd sexagesimum annum & eo amplius à confessione agebat, respexerunt, sed omnia simul uilipendentes, ad solam suam hæresim oculos intentos habuere, homines reuera neq; Deum timentes, neq; hominem uerentes. Adorti igitur Constantium talibus uerbis alloquũtur, Omnia quidem à nobis facta sunt, profligauimus in exilium Romanorum Pontificem, & iam ante eum extorres fecimus q; plurimos Episcopos, omnia loca terroribus impleuimus, sed tamen pro nihilo sunt tanta tua opera, neq; quicq; profecimus, q; diu reliquus est Hosius. Quamdiu eñ ille in suis agit, omnes in suis Ecclesijs agere uidentur: potest ille & uerbis & authoritate fidei suæ omnes contra nos inducere. Hic princeps est Synodorum, & si quid scribit, ubicq; auditur, hic formulam fidei in Nicena Synodo concepit, & Arianos ubicq; pro hæreticis traduxit. Quòd si ille igitur in suo statu maneat, superuacuum est cæterorum exilium: hæresis enim nostra cedere cogitur. Incipe igitur & hunc persequi, neq; illi ob annos parcendũ putes. Siquidem hæresis nostra non curat seniorum caniciem. Auditis ergo istorum uerbis, non cunctandũ sibi rátus Constantius, ut qui uirum nosset, & quantæ authoritatis senex ille esset, scribit & edicit ut ad se ueniat, quem admodũ & Liberium initio tentauit. Venientem igitur rogabat hominem, & solitis suis uerbis, quibus alios circũuenire pro more habebat, excipit, cohortaturq;, ut in nos subscriberet, & cum Arianis cõmunionẽ haberet: Senex uero eius rei uel auditum ægre ferens, mœstusq; quòd uel tinnitum eorum uerborum sentiret, Imperatorẽ magnis rationibus cõterritum de sententia deduxit, atq; ita in patriam suam ac Ecclesiam redijt. Verum quũ Ariani denuo lamentarentur, Imperatoremq; irritarent, & eunuchi sermonibus

bus ſubſeruientes, eum maiorem adhuc in modum exacerbarent, ſcribit denuo cum minis ad Hoſium: ille aũt contumeliſs quidem afficiebatur, ſed tamen ob terrores illos de ſententia ſua non deceſsit, & decretum animi conſtanter retinuit, quippe qui ſupra firmam petram fidei domiciliũ ſuum ædificauerat, & liberrime contra hæreſim, imbres & uẽtos epiſtolarum minas arbitrans, locutus eſt. Subinde igitur Conſtantio ſcribente, & nũc quidem blandiente patremq; eum appellante, nunc interminante, & relegatos enumerante, & his uerbis eum conueniente, Soluś ne etiamnum hoſtis hæreſeos manebis? obſequere & ſcribe contra Athanaſium: qui enim contra eum ſcribit, ille plane nobiſcum Arianas ſententias amplectitur: nihil ad iſta expauit Hoſius, quin inter cõtumelias quas patiebatur, iſtiuſmodi epiſtolam ſcripſit, quam ipſi legimus, & ſub finem adiecimus. Ego cõfeſsionis munus expleui, primum quum perſecutio moueretur ab auo tuo Maximiano, q; ſi tu quoq; perſecutionem moues, etiam nunc ad quiduis potius ſuſtinendũ paratus ſum, quàm ut effundam innocentem ſanguinem, & ueritatem prodam, teq; nequaq; probo talia ſcribentem, & iſtiuſmodi minas denunciantem. Deſinas igitur iſtiuſmodi ſcribere, neq; ſentias cum Ario, neq; audias Orientales, neq; Vrſacio & Valenti fidẽ habeas: quæ enim illi dicunt, non ob Athanaſium, ſed ob ſuam hæreſim dicunt. Mihi crede, qui tibi auus ætate eſſe poſſem: fui ipſe in Sardicenſi concilio, quum tu tuusq; frater beatus Cõſtans nos omnes eò cõuocabat, ipſeq; ultro Athanaſiũ inimicos pro uocaui, quum ad Eccleſiam, ubi ego cõmorabar, aduenirent, ut ſi quid contra eum haberent, ederent, promiſiq; eis ſecuritatem, néue quicq; aliud expectarent, quàm rectum in omnibus iudicium, idq; non ſemel ſed bis feci, quòd ſi nollẽt rem ab uniuerſa Synodo diſceptari, ſaltem me iudice uterentur, promiſiq; etiam nos, Athanaſium, ſi in noxa reperiretur, omnibus modis eiecturos eſſe: Quod ſi innocens deprehendatur, & uos oſtenderit calumniatores, & æque illum recuſaueritis, ego illi perſuadebo ut mecum in Hiſpanias ueniat. Athanaſius autem his conditionibus obtemperauit, nihil contra obiocutus: illi uero ad omnia æque diffidentes receſſerunt. Athanaſius deinde tuis literis accerſitus uenit in caſtra tua, omnesq; inimicos ſuos, qui Antiochiæ præſto erant, ſingulatim ceſſari iuſsit, ut aut redarguerent, aut redarguerentur, & aut ſe præſentem cõmonſtrent ea feciſſe quæ obiecerant, aut ne abſentem calũniarentur, ſed ne te quidem hæc ipſis denunciantem ſuſtinuerunt, minime iſtiuſmodi conditiones admittentes. Cur igitur nunc audis obtrectatores eius? aut cur toleras Valentis & Vrſacij criminationes, pœnitentia & ſcripto profeſſos ſe calumniam feciſſe? Confeſsi enim ſunt ſuam ſycophantiam, non ui adacti ut ipſi cauſantur, cum nulli ibi milites incumberent, & tuus frater neſciret. Nihil enim tale ſub ipſo agebatur, qualia nunc fiunt, ſed illi ultro Romam uenerunt, & coram Epiſcopo preſbyteriſq; ibi præſentibus confeſsionem ſuam ſcripto ediderunt, quum prius pacatas literas & amicas ad Athanaſium dediſſent. Quòd ſi ĩs libet uim cauſificari, idq; pro malo habent, nec à te probatur, omitte igitur & tu uiolentiam tuam, nec literas ſcribe, nec comites mitte, ſed relegatos exiliſs libera, ne te de ui querente, maiorem uim illi ſub tuo nomine exerceant. Quid

enim

enim tale à Constante actũ est? aut quis ibi Episcopus relegatus? aut quando iudicijs Ecclesiasticis interfuit? aut quis ipsius Palatinus uim adhibuit, ut contra aliquem subscriptio fieret? ut idem Valens cum suis aliquid colligat, habeatq́ quod obijciat? Desine quæso, & memineris te mortalem esse, reformida diem iudicij, serua te in illam diem purum, ne te misceas Ecclesiasticis, neq; nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus imperium cõmisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit: & quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue, ne, quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias: Date (scriptum est) quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ Dei, Deo. Neq; igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neq; tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes Imperator. Hæc quidem ob curam tuæ salutis scribo, & de ijs quæ in Epistolis scribis, hanc meam sententiam accipe. Ego neq; Arianis assideo neq; suffragor, sed eorum hæresim anathemate damno, neq; Athanasij accusationib. subscribo, quem nos & Romana Ecclesia & uniuersa Synodus innocentẽ pronunciauit. Nam & tu quoq; quũ rem cognitam perspectaḿq; haberes, Athanasium accersiuisti, fecisti ei copiam, ut cum honore in patriam & Ecclesiam reuerteretur. Quæ igitur causa est huius tantæ mutationis, quum ijdem inimici eius sint, qui antea fuerunt? Et quæ nunc susurrant, nihil eorum, quum ille præsens esset, hiscere audebant, sed ea, antequã accerseres Athanasium, obmurmurabant, quo tempore à me cõuenti, quemadmodũ superius dixit, ut ederent criminum documenta, nihil in medium adducere potuerunt. Nam si quicq; potuissent, non ita turpiter aufugissent. Quis te igitur induxit ut post tantum temporis tuarum literarum & sermonum obliuiscereris? Inhibe te quæso, neq; aures præbeas malis hominibus, neq; ob mutuas inuicem cum illis gratificationes, temetipsum reũ facias. Quæ enim ijs indulseris, de illis in iudicio solus cogeris causam reddere. Isti suum inimicum per te satagunt iniuria afficere, teq; uolũt ministrum suæ malitiæ esse, ut per te detestabilem hæresim in Ecclesia seminent. Non est prudentis, in gratiam alienę libidinis, seipsum in certum periculum conijcere. Desine quæso & ausculta mihi Constanti. Hoc eĩ decet & me scribere, & te non uilipendere. Hæc Abrahamicus ille senex, uere Hosius, hoc est, sanctus, & sensit & scripsit. Ille aũt neq; insidias de manibus deposuit, neq; criminandi occasiones quærere desijt, sed grauius semper minabatur, ut eum ui oppressum in suas partes transferret, aut inobsequentem exterminaret. Sed ut occasionem duces & Satrapæ Babylonis sedulo quærentes contra Danielem, non inueniebant, nisi ex causa legis Dei, ita quoq; nunc Satrapæ impietatis, ne fingere quidem quicq; contra senem potuerunt. Omnibus enim ille notus erat, ac uerus pro suo nomine Hosius, hoc est, sanctus habebatur, uitaq́ eius irreprehensibilis, nisi ex odio eius contra hæresim crimen mutuarentur. Calumniantur igitur eum, sed non ut illi Danielem apud Darium, illibenter talia audientem, sed ut Isabel contra Nabuth, & ut Iudæi apud Herodem, his uerbis agentes: Non solum non subscribit contra Athanasium, sed & nos ob Athanasium condemnat, & hæresim tali odio persequitur, ut alijs scribat, melius esse mortẽ perferre,

perferre, quàm proditores fieri ueritatis: ob hæresim deinde ait dilectũ fratrem Athanasium persecutionem sustinere, & Liberium Romanorum Episcopum, cæterosq; omnes insidijs tentari. Hæc quũ audisset impietatis propugnator Constantius Cæsar, & quòd alij essent per Hispanias eiusdẽ cum Hosio sententiæ, quos quum solicitasset ad subscriptionem, impellere nequiuisset, accersit Hosium, & pro exilio detinet illum integrum annum Sirmij, nihil ueritus impius nec Deũ, neq; patris sui, quem erga Hosium habebat, affectum, neq; senectutẽ hominis iam centenarij inhumanus ille respexit. Omnia namq; ob amorẽ hæresis neglectui habebat nouus ille Achab, & nostris temporibus secundus Baltasar. Tantam enim uim intulit seni, & ita eum arcte tenuit, ut afflictus attritusq; malis, tandem ægreq; cum Vrsacio & Valente cõmunicaret, sed tamen ut contra Athanasium non subscriberet: uerum ne ita quidem eam rem pro leui habuit: moriturus enim, quasi in testamento suo, eorum uim protestatus est, & Arianã hæresim cõdemnauit, uetuitq; eam à quoquam probari aut recipi. Quis ista uidens, imo uel solum audiens non obstupescat, & clamet ad Dominum? Ne in excidium dederis Israelem. Quis ista animaduertens non opportune ad Dominum uociferetur? stupor & horror factus est super terram, obstupuit cœlum super hoc, & terra magis magisq; exhorruit. Patres populorum & fidei magistri tolluntur, & impij in Ecclesias introducuntur: Quis quum uideret Liberium Pontificem è Roma in exilium eijci, magnumq; Hosium tot mala pati, tot Episcopos ex Hispania & alijs regionibus in exiliũ deportari, non abunde animaduertit, etiam si uel minimi sit cerebri, omnes criminationes contra Athanasium & reliquos alios, falsas esse, & omnia sycophantijs scatere? Atq; inde est quòd illi omnia pati uoluerunt, quum uiderent eorum in sycophantijs fingendis insidias. Quod eñ quæso crimen Liberij? aut quid in sene Hosio culpari potuit? aut quid finxerint contra Paulinum, Luciferum, Dionysium, Eusebium? aut quod peccatum in alijs, qui in exilium deportati sunt Episcopis? An ulla in illis culpa? minime gentium, nec ob crimina initæ sunt istæ cõspirationes, nec quispiam istorũ accusatione uictus, in exilium damnatus est: sed bellum pro impietate aduersus pietatẽ, sed studium zelusq; pro Ariana hæresi, præludiaq; Antichristi, cui uiam Constantius muniuit, istis calamitatibus causam dedere. Cæterum quum ille quicquid libuit, in Ecclesias tum Italicas, tum alibi sitas designasset, alijs in exilium electis, alijs ui in suam sententiam pertractis, ubiq; per omnia ipsius terrore diffuso, in Alexandriam furorem suum ueluti pestem conuertit, & in ea re non leui calliditate usi sunt Christi perduelles, nimirum ut speciẽ multorum Episcoporum subscriptionis præ se ferrẽt, & ut Athanasius nullum haberet in persecutione sua Episcopum, apud quem conqueri posset: Ideo præoccupantes omnia terrore impleuerunt, terroremq; quasi subsessorem suis dolis associauerunt. Ignari uecordes, se in ijs subscriptionib. non uoluntates Episcoporum, sed uim quam passi essent, ostentare, ignariq; item, si fratres deserant, notiq; & amici procul absistant, nemoq; supersit, qui uelit simul contristari, aut cõsolationem adhibere, tamen plus quàm omnia sufficere, ad tutelam, Dei refugium. Solus erat Helias in persecutione, sed tamen

in om-

in omnibus loco omnium habebat Deum. Et hanc formulam tradidit nobis Saluator, qui ab omnibus derelictus, insidias inimicorum passus est, ut si nos quoq; in persecutione ab hominibus relinquamur, non desponderemus animum, sed in eo spem haberemus, nec ueritatem proderemus, quæ tametsi principio affligi uideatur, postea tamen ipsa à persecutoribus agnoscitur. Irritant igitur Cæsarem, isq; ad ducē & milites literas cum minis mittit, Notariisq; Diogenius & Hilarius amandantur, unà cum Palatinis, designaturq; ea immanitas & crudelitas in Ecclesiam, quam superius aliquanto paucis uerbis perstrinxi, eamq; quilibet facile didicerit lectis testimoniis populorum, quæ in fine subiecimus. Deinde post acta ista Syriani, post tanta facinora, post uirginum contumelias, approbans huiusmodi mala, iterum scribit Senatui populoq; Alexandrino, iuuentutem solicitans, ut omnes simul in unum coacti, Athanasium persequantur, aut scirent ipsos sibi infestos pestiferosq; esse: Athanasius autē, antequā ista mandata superuenirent, inuasa iam à Syriano Ecclesia, aliò abscesserat, nō immemor eius quod scriptum est: Sed abscondere paulisper, donec furor prætereat: harum aūt literarum administer Heraclius fuit titulo dignitatis Comes, præcursor cuiusdam Georgij à Cæsare missi, non Episcopi quidem, sed exploratoris: num enim Episcopus fuerit, qui ab illo mittitur? minime gentium, ut ea quæ facta sunt, & procœmia ipsius introitus abunde testantur. Edicta igitur quæ Imperator scripsit, publice proposita sunt: postquā enim à magno Hosio eas literas acceperat, nec inueniret suæ mutationis uerisimilem causam, excogitauit illam quæ minime sibi suisq; consiliarijs congrueret. Dixit enim se fratris sui diuinæ & beatæ memoriæ amicitiam reueritum, temporariū Athanasio accessum ad se permisisse: Quæ res & ipsum in promissis fallacem, & erga fratrem mortuum ingratum ostendit. Deinde si superis placet, fratrem suum diuinæ ac beatæ memoriæ (ut reuera erat) appellat, cuius mandata & amicitias etiamsi in gratiam illius, ut ipse scribit, susceptas admissasq; fuisse contigisset, eas tamen saltem apud se, qui frater erat, uim reuerentiamq; testamenti habere oportebat, ut quemadmodū se successorē imperij, ita quoque affectuum eius hæredē præstaret. Atqui Britannionē, quum ius suum persequeretur, è medio sustulit: & inter tollendū his uerbis usus est, & merito: cui enim à morte fratrum fraterna bona obuenire debent? idem tamen ob sceleratam & Christo odiosam hæresim, nec quid iuris sit, nouit, & erga fratres se inofficiosum præbet, propter quam ne patris quidem sui uoluntatē integre obseruari permittit, sed quod uolupe est hęreticis, obseruat: quod aūt illis graue est, ibi nequit patris sui reuerentiam tueri. Siquidem pater ex calumnia Eusebianorū Athanasium in Gallias ad tempus amandauit, quo liber esset ab eorum crudelitate, qui illi per insidias imminebant. Hoc enim à beato Constante eius fratre post mortem patris scriptum fuit, ut ex literis illius patet: Sed tamen idem ille nō persuasus est ab Eusebianis, ut in Athanasij locum Episcopum, quem ipsi postulabant, summitteret: imo eos qui id moliebantur, compescuit, & iam rem ipsam conantes grauibus minis deterruit. Cur igitur si ea quæ patris sui sunt, obseruare studet? uti scribit, primum quidem Gregorium, nunc deinde Georgium depeculatorem in Episcopatum

scopatum summisit: aut cur Arianos, quos illi Porphyrianos nominant, ipse in Ecclesiam introducere satagit? & dum illos protegit, alios in exilium relegat. Quòd si pater eius Arium sub oculos suos admisit, eum tamen quũ periurum ac proinde effusis uisceribus disruptum iacére cognouisset, nulla beneuolentia prosecutus est, sed eum re cognita damnatum & pro hæretico habuit. Aut cur, quum se Ecclesiasticum canonem curæ habere prætexit, omnia contra canonem facit? Vbi enim ille canon, ut è palatio mittatur is, qui Episcopus futurus est? aut quod genus canonis, quo licitum est militibus Ecclesias inuadere aut comites? & qui nulla ratione utuntur spadones, Ecclesijs dominari? aut edicto iudicium eorum, qui nominetenus Episcopi sunt, promulgare? Omnia in gratiam uecordis hæreseos mentitur, qui præter mentem patris & antea bis Philagrium præfectum misit, & nũc per eum scelera ista designauit. Iam quòd dicit se propter fratrem suum pacem cum Athanasio simulasse, in eo uerum non dicit. Nam post fratris mortem nõ semel, sed iterum, imo tertio Athanasio scripsit, promisitq; se nunquam mutatum iri, eumq; bono animo esse debere, nec permissurum ut à quoquã perturbaretur, sed eum in Ecclesia sua cum omni securitate mansurũ. Præterea Acterium comitem & Palladium cum mandatis ad Felicissimum tum temporis ducem & Nestorium præfectum cum his mandatis misit, ut curæ ipsis esset, ne Philippus aut quiuis alius Athanasio insidias moliatur. Atque ideo in aduentu Diogenis, quum Syrianus insidias strueret, ipse Episcopus nobiscum simul & cum populo literas Imperatoris exhiberi postulabat, quippe qui arbitraremur, quemadmodũ scriptura iubet, ut nihil falsi ab ore regis proficiscatur, ita Cæsarem in promittendo nihil falsi stipulaturum, aut de sententia sua decessurum: Quòd si igitur hoc fratri indultũ ait, cur post fratris mortem, eadem in literis suis repetiuit? quòd si tum temporis in gratiam memoriæ fraternæ ista scripsit, cur postea se totum illius memoriæ ingratum præstitit, dum & hominem persequitur, & talia in literis scribit? obtenditq; in speciem Episcoporum iudiciũ? sed interim facit quod illi uolupe est. Verum ne ita quidem latere potest, quũ in proximo sit, quod eius uafriciem patefaciat. Nam si istud est iudicium Episcoporũ, quid commune cum eo habet Imperator? sin contra, ista minis Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus titulo Episcopis? Quando à condito æuo auditum est? quando iudicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando unquam hoc pro iudicio agnitum est? Plurimæ antehac Synodi fuere, multa iudicia Ecclesiæ habita sunt. Sed neq; patres istiusmodi res principi persuadere conati sunt, nec princeps se in rebus ecclesiasticis curiosum præbuit: Paulus Apostolus habebat amicos in Cæsaris familia, & per eos in literis salutabat Philippenses, non tamen eos in iudicio socios assumpsit. Nunc autem nouum quoddam spectaculum ab Ariana hæresi editur. Conuenerunt enim in unum hæretici & Imperator Constantius, ut ille quidem sub prætextu Episcoporum sua potestate aduersus eos, quos uelit, utatur, & tamen in persecutione mouenda persecutor nõ appelletur, illi uero succincti principis potestate, insidias faciunt quibus uolunt: uolunt autẽ omnibus qui nõ eadem impietate, qua ipsi utuntur, uti uelint, idq; quasi in

ſcena ſpectatum datur, quo in theatro eos actores hiſtrionesq; uideas, qui titulotenus Epiſcopi dicuntur, & Conſtantium choragum eſſe, eumq; itidem ut Herodem Herodiadi pollicitantem, iſtosq; uiciſsim calumnias pro exilio & cædibus piorum in Chriſtum hominum ſaltitare. Quem enm non calumnijs læſerunt? quibus inſidias non fecerunt Chriſti perduelles? quem non Conſtantius ab illis delatum in exilium expulit? quando nō aures ſuas animumq; illis dedidit? & quod mirū, quem unquam qui contra illos quip piam diceret, recepit? & quid non ab illis contra alios dictum in animum admiſit? Quæ nunc Eccleſia Chriſtum libere adorat? Siquidem ea ſi pia eſt, periculo ſubiacet: ſi ſimulationib. utitur, in metu hæret: Omnia enim ſimulatione & impietate, quod ad illum pertinet, impleuit. Nam ſi alicubi pij & Chriſti ſtudioſi (ſunt aūt ubicq; tales permulti) illi itidē, ut magnus ille Prophetа Helias, abſconduntur, ut & ipſi forte Abdiam aliquem fidelem inueniant, & in ſpeluncas & cauernas terræ ſeſe abſtrudūt, aut in ſolitudine oberrantes cōmorantur. Eas enim calumnias adferunt uecordes iſti, quales Iezabel contra Nabuth confinxit, & Iudæi cōtra Chriſtū, ac iam deinde Conſtantius hæreſeos propugnator, ueritatem, ut Achab uineam in hortum holerum, inuertere moliens, quæ hæretici cupiunt nunq; non facit, quoniam uiciſsim ex illis audit, quod cōcupiſcit. Atq; inde eſt (ut ante dixi) quòd ueros Epiſcopos impie pro ſua libidine arbitrio agere detrectantes relegarit. Ita nunc quoq; contra Athanaſium, comitem Heraclium miſit, & edicta ſua publice propoſuit, & minas de auferendis panibus, & idolis euertendis per literas denunciauit, & magiſtratuum & plebeiorū captiuitatem, expectandam eſſe, niſi pareatur. Et in his periculis denunciandis non ueritus eſt Heraclius publice & magna uoce dicere, Cæſarem iubere ut Athanaſius repudietur, & Arianis Eccleſiæ dentur, omnibus ibi non ſine admiratione nutu inter ſe uerbisq; interrogantibus, num Conſtantius hæreticus factus eſſet? Quanto ea res flagitioſior erat, tanto maiori ui eam urgebat, ſenatoribus magiſtratibusq; & ethnicis idolorum ædituis compulſis, ut iſtiuſmodi poſtulatis ſubſcriberent, pollicerenturq; ſe pro Epiſcopo recepturos, quem Imperator mitteret. Probe admodum Cōſtantius ad canones uindicandos iſta deſignauit, qui in locum uicemq; Eccleſiæ & populorum Chriſtianorum à foro & idolorum ædituis iſtiuſmodi pacti ſyngraphas poſtulauit, ut pote conſcius ſe non Epiſcopū Chriſtianis, ſed ſcriptoribus iſtius pacti curioſum immittere. Ethnici igitur ut idolorum ſuorum ſecuritatem redimerent, nonnulli ut quæſtum ſuum aſſererent, inuitis animis ſubſcripſerunt, atq; perinde ab illis habitum eſt ac ſi non Epiſcopus ſed præſes aut prætor aliquis in prouinciā à Cæſare mitteretur: tanta erat edictis adhibita uis minarum. Quid enim ethnici homines facerent, niſi hoc ipſum quod Imperatori placeret? Populis autē in magnam Eccleſiam cōuenientibus: erat enim quarta Sabbati, poſtridie Heraclius Comes adiuncto ſibi Ægypti præfecto Cataphronio, & Fauſtino Catholico, homine & genere Bithyno, & opinionibus hæretico, iuuenes forenſes, & idolorum adoratores cōcitat, ut ex præcepto Imperatoris inuaderent Eccleſias, & populos lapidarent. Plericq; aūt populorum miſsione è ſacris facta abierant, aliquot mulierculis remanen-

manentibus. Res agitur ut imperatum fuit, oriturq; miserabile spectaculū: modo enim ab oratione mulierculæ se sessum receperant, quum leuis armaturæ forensis illa iuuentus cum lapidibus & fustibus irruens, cæteras lapidibus incessunt: sacra autē uirginum corpora plagis concidunt, iniectaq; in uestes manu trahunt, capita denudant, eas uero quæ inter trahendum obnitebantur, calcibus pulsant. Grauia quidem ista & nimium grauia, sed tamen quę insecuta sunt, multo grauiora, & genere contumeliæ prorsus intolerada. Quum enim scirēt pudicitiam uirginum & aurium integritatē, & quòd patientius ferrent lapides & fustes quàm obscœna uerba, fœdissimis dictis inter inuadendum utebantur, & hæc Ariani iuuentuti suggerebant, quippe qui ad ista dicta & facinora cachinnarentur: Sacræ autē uirgines & aliæ castæ mulieres, ut morsus aspidum ab istiusmodi uocibus refugiebāt: Christi aūt perduelles suam quoq; operam, ut hæc fierent, addebant, nec dissimile est ueritati, ipsos easdem cum iuuentute illa uoces cōcinuisse: delectabantur certe petulantia, & obscœnitate uerborū, quæ à iuuentute iactabantur. Deinde cum mandatum Cæsaris omnibus suis partibus impleuissent: hoc em̄ illis studio erat, hoc Comes & Catholicus præcipiebāt, subsellia, Thronum, mensam ligneam, tabulas Ecclesiæ, & cætera quæ poterant, foras elata combusserunt ante uestibulum in magna platea, & thura insparserunt. O quis hæc audiens non fleuerit? imo quis non, ne ista audiat, aures occluserit? Idola igitur sua laudibus ferebant, dicebantq;, Constantius ethnicus factus est, & Ariani nostra agnoscunt: nihil enim curant ethnicos mores præ se ferre, modo ipsorū hæresis stabiliatur. Nam & bucculam, Cæsareos hortos irrigantem, adorti sunt immolare, atq; immolassent, nisi fœmina fuisset: eas enim immolari suis ritibus nefas esse aiebant. Hæc religiosi Ariani, quia existimabant in nostram ignominiam redundare, unà cum ethnicis faciebant. Cæterum diuinum suppliciū eorum scelera declarauit, manifesto demonstrans, eos, ut impie credendo, nō in alium, quàm in ipsum Dominum peccare: ita quoq; & ista faciendo, in ipsum Dominum suas iniurias cōmittere. Quæ res exitu istius miraculi euidentius patuit: quidam enim ex petulantioribus iuuenibus, interiora penetrās, audacter se in Throno sessum recepit, & inter sedendū fornicarios ronchos de naribus insonuit, mox deinde consurgens, magna ui Thronum conuellens, ad se distrahit, minime animaduertens in sese ultionem diuinam attrahere. Vt enim olim Azoti incolæ ausi arcam attingere, quam illis uel oculis attingere nefas fuit, statimq; secundum hoc factum peribant, sed ita ut prius sedium tormentis, excruciarentur: ita quoq; miser iste ausus sellam conuellere, fragmento ligni inde in uentrem ipsius resiliente, & quasi ab ipsa ultione impacto, intestina sua perforauit, & eadem ui qua solium disrumpere conabatur, rupta aluo sua intestina effudit, celeriusq; quàm ipse Thronū auferret, Thronus ei uitam sustulit: effusis enim (ut scriptum est) uisceribus, collapsus est: ac inde asportatus, post unum diem expirauit. Alius item cum frondibus ingressus, &, ut ethnicus, eas manu per ludibrium agitans, statim abortis tenebris ita oculis caligauit, ut nihil uideret neq; intelligeret ubi terrarū esset, quem iamiam collapsurum, ij qui aderant manibus ducentes, uel potius gestantes è templo

extulerunt,adeo ut uix post diem ad mentem redierit, nihil memor eorum quæ uel fecerat,uel passus erat. Quibus conspectis, ethnici quidem in metu erant, neq; plura ausi sunt: Ariani autē ne ita quidem ullo pudore repressi, quemadmodum Pharao, magis ac magis indurabantur, quippe qui & ipsi quoq; suas spes humi & inferne haberent,in Cæsare nimirum,& in eius eunuchis. Ethnicos igitur uel potius ex ethnicis teterrimos quosq; talia designare permittebant: Habebant enim sibi ad istiusmodi histrionem & ethnicos concitantem Faustinum titulo Catholicum,moribus autem circunforaneum & animo proteruū. Ipsiq; per se similia instituerūt facere,ut quemadmodum hæresim suam ex alijs hæresibus expresserant,ita quoq; cum proteruis hominibus in cōmune peccantes, aliquid tamen proprij suiq; in sceleribus & quasi peculiare sibi quærebant. Alij igitur,quemadmodū iam dixi,per illos faciebant: quæ autē per se designarunt,qui quæso non superent omnem malitiam, & carnificis immanitatem? Quas ædes non depopulati sunt? quam domum sub specie quærendi non diripuerunt? quem hortum non conculcauerunt? quod sepulchrum nō aperuerunt? eo prætextu quasi Athanasium quærerent,quū nihil nisi rapere & spoliare studerent? quot hominum ædes obsignatæ sunt: quàm multa, quæ in hospitalibus erant,militibus administris suis donauerunt? Quis illorum scelerum expers fuit? quis illis obuius non sese in foro occultauit? quis non ob istos relictis ædibus in deserto obnoctauit? quis,quum sua seruare ab istis festinaret, non plura insuper perdidit? Quis maris imperitus, non maluerit mare marisq; pericula experiri, quàm istos minaces uidere? Multi aūt domicilia permutarunt de porticu in porticum, & ex urbe in suburbana transilientes. Quàm multi & q; magnas mulctas sustinuerunt? & cum non esset unde luerent, mutuo pecuniam sub usuris acceperunt,non alia de causa quàm ut horum insidias effugerent: Omnibus enim se terribiles ostendebant, ad omnes se magnifice iactabant,Imperatorem in ore habentes,eiusq; terrorē & minas denuncian tes,quum ministros ad sua scelera haberent ducem Sebastianum,secta Manichæum,petulantē, ferocem, Præfectum item, & Comitem, & hypocritā Catholicum. Multas certe uirgines,quę & eorum impietatem damnabant, & ueritatem agnoscebant, ex ædibus suis deportarunt, aliasq; ad negocia sua euntes contumelijs affecerunt,operamq; dedere, ut à proterui oribus adolescentibus denudarentur, suisq; mulieribus potestatem concessere, ut quam uellent,indigne tractarent: Graues igitur & fideles matronæ,illis de uia cedebant: Vxores aūt eorū ueluti bacchæ & furiæ circūcursitantes pro calamitate habebant, si neminē inuenirēt cui iniuriam facerent,eumq; diem quo malefacere non dabatur,cum mœrore transigebant. In summa,ita erant feri & acerbi in omnes,ut carnifices, homicidæ, nefarij, delatores, malefici, & quiduis potius quàm Christiani ab omnibus uocarētur,quippe qui Scythas imitantes,rapuerint Eutychium subdiaconum, uirum probe Ecclesiæ inseruientem, quem primum scuticis usq; ad mortem curauerunt uerberari,deinde ita moribundum in metallum mitti,& nō quoduis metallum, sed in id quod Phaeno appellatur,in quod homicida condemnatus, nō nisi ad paucissimos dies superesse potest,& quod immanius est,ne paucis quidem horis

horis ad curationem uulnerum conceſsis, hominem ſtatim in metallum deportarunt, prædicantes ſi hoc fieret, omnes in metu futuros, & ſecum conſociatum iri. Cæterum ille non longe auectus, quum imbecillior eſſet, quàm ut ad metallum perduci poſſet, ex dolore uulnerum in itinere deceſsit. Et ita ille quidem cum gaudio mortuus eſt, poſsidens gloriam martyrij. Impij aũt, ne ita quidem ullo pudore repreſsi ſunt, habentes, ſicut ſcriptum eſt, immitia uiſcera, imo quiddam prorſus ſatanicum meditato ſtudio deſignauerunt. Quum enim populi pro Eutychio precibus ſuis ſuppliciter intercederent, reiectis populorum precibus, quatuor pro eo bonos & ingenuos uiros, & inter eos Hermian lauantem pedes peregrinorum, arripi iuſſerunt, quos dux multis plagis conciſos in carcerem cõiecit. Ibi Ariani Scythis crudeliores, poſtq; uidere eos uerberib. nondũ enectos, expoſtulare cum duce occipiunt, minatiq; ſunt ſe eunuchis ſcripturos, quod non ad ipſorum arbitrium flagellaret: quorum uerbis ille conterritus, iterum homines flagellare occipit: ipſi autẽ qui uerberabantur, non ignari cur uapularent, & per quos falſo delati eſſent, nihil aliud dicebant, niſi ſe ob ueritatem flagellari, Non communicamus, inquientes, cum hæreticis, uerberate ut libet, Deus ob iſta te iudicabit. Impij aũt eos in carceribus periclitari moriq; cupiebant. Populus aũt Dei, cognita opportunitate tẽporis, pro ijs interceſsit, atq; ita, ut inde poſt dies ſeptem plus minus liberati fuerint. Euſebiani uero quaſi eo ipſo grauiter habiti fuiſſent, alia crudeliora, magisq; nefaria moliti ſunt facere, quæ quidem immania aliorum ingenijs uidentur, ipſorum uero hæreſi hoſtilia in Chriſtum profitenti prorſus conſentanea. Siquidẽ Chriſtus nos admonet, ut pauperũ memores eſſemus, & uendenda eſſe bona & danda in eleemoſynam: &, Eſuriui, inquit, & dediſtis mihi quod comederẽ: ſitiui, & dediſtis potum. Quatenus enim uni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis. Iſti autem ut reuera Chriſto infeſti, eius uoluntati hac in parte obſiſtere conati ſunt: Quum eum à fratribus in egenos & uiduas, quibus in Eccleſijs quæ iam per ducem in Arianorum poteſtatem conceſſerant, ſedere non liceret, ac proinde in locis per clericos, in quorum tutela erant, aſsignatis uerſarentur, eleemoſynas benigne conferri cõſpicerent, non ferentes hanc pietatem, miſeros illos ferire ac uerberibus inſectari cœperũt, criminib. quoq; in donatores eleemoſynarum intentatis, eos eo nomine apud ducem accuſarunt, utentes ad eam opera cuiuſdam militis. Gratum id admodũ fuit Sebaſtiano. Nam apud Manichæos miſericordia non eſt, & pro re hoſtili habetur pauperum cõmiſeratio. Erat igitur noua expoſtulatio, & tribunal primum ab ipſis excogitatum, ubi de beneficio reatus fieret, & miſerator accuſatione impeteretur, & is qui beneficiũ acceperat, uapularet. Malueruntq; pauperem eſurire, quàm liberã alijs miſericordiã permittere, & hoc quoq; ab antiquis Iudæis, ipſi noui Iudæi didicerant. Nam & illi cum uidiſſent à natiuitate cæcum, uiſum recepiſſe: & eum, qui multis temporibus paralyticus fuerat, ſanatum eſſe, authorem quidem eius beneficij dominũ noſtrum uituperabant, beneficio aũt illo affectos, ut tranſgreſſores condemnabant. Quis non igitur ad iſta obſtupuit? quis non hanc hæreſim eiusq; aſſertores execratus eſt? Quis non cognouit Arianos beluis immaniores eſſe? Atqui

ſcelerati id, quod per iſta ſua facinora captabãt, minime aſſecuti ſunt, ſed magis odium ſui apud omnes intenderunt. Sperabant enim ui & inſidijs multos cogi poſſe, ut ſecum cõmunicarent, ſed res illis in contrarium ceſsit. Qui enim iſta patiebantur, eas calamitates tanq̃ martyrium ſuſtinebãt, minime prodentes, aut inficiantes piam in Chriſtũ fidem. Extranei aũt qui iſta ſpectabant, in quo numero etiam ethnici erant, Arianos ut Antichriſtos & carnifices execrabantur: eſt enim genus humanum amans pauperum, & pronum ad miſericordiam. Sed Euſebiani humanam mentem exuerant. Egeni porro qui ita uapulabant, optaſſent forſitan uel à quouis beneficium accipere: uerum id Euſebiani iudicum & Comitis imperio ſuccincti, quibus libera poteſtas erat quemlibet affligendi, nequaq̃ permittere uoluerũt. Quę enim in presbyteros & diaconos fecere, & quomodo ipſos ſub duce & iudicibus in exilium egere, eorumq̃ amicos militari manu extraxerunt, duce Gorgonio, plagis eos cõcidente, & quomodo omnium, quod ſummæ crudelitatis eſt, etiam iam mortuorum membra arcusq̃ per ſummam ſæuitiem diſcerpſerint, non eſt ut uerbis enuncies, uincit immanitas rerũ omnem rationem eloquendi. Quid enim tantum dixeris, ut rem ipſam elocutus uidearis? aut cuius primum mentionem facias, ut nõ inuenias primis ſecunda, ſecundis tertia, ac deinceps poſteriora quæq̃ efferatiora? Omnes enim eorum conatus cæde & impietate redundant, qui ea ſunt uafricie animi, & morum uerſipelli calliditate, ut honorũ magiſtratuumq̃ pollicitationib. & pecuniarum muneribus ad decipiendum abutantur, ut quum ex legitimis rationibus Epiſcopatus ſui conſtitutionem non habeant, ſaltem inde imaginem aliquam rectæ inſtitutionis ſimplicioribus faciant. Quis igitur eos uel ethnicos ſimpliciter nominet? tantũ abeſt ut eos Chriſtianos appellari uelit. Quis horum mores humanos, ac non potius ferinos putet? in quorũ factis eſt tanta crudelitas & immanitas, ut carnificibus tetriores, cæterisq̃ hæreticis improbiores ac ne pares quidẽ ethnicis habeantur, à quibus à tergo ad longiſsimum interſtitium relinquuntur. Ego enim è patribus audiui, & uerum arbitror, quum perſecutio eſſet nata ſub Maximiano Conſtantĩj auo, ethnicos homines fratres noſtros Chriſtianos, quum quærerentur, latebris abdidiſſe, eosq̃ ſæpe pecunia mulctatos, & carceri mancipatos fuiſſe, nõ ob aliud, quàm quod profugientes ad ſe, prodere nollent: eosq̃ eadem fide qua ſeipſos tuendos putarent, nõ ueriti ob id ſeſe periculis obijcere. At nunc mirifici iſti nouæ hæreſeos inuentores, nulla æque re ut inſidijs clari, omnia in contrarium faciunt: ipſi enim ultro carnifices effecti, & occultatos rimantur, ut eos latebris eruant, & occultatoribus inſidias nectunt, æque ſibi inimicum & occultatum & occultatorem arbitrantes: ita natura cruenti ſunt & homicidæ, & ſcelerum æmuli. Neq̃ ſatis pro dignitate uerbis quæ ipſi faciunt, efferri licet, atq̃ inde, quod mihi ſcribenti de eorum ſceleribus iſtud in mentem uenit, num hæreſis iſta quarta ſit filia eius hirudinis, quæ in prouerbijs memoratur, ut quæ poſt tanta ſcelera, cædesq̃ illatas nondũ induci poteſt, ut dicat, ſufficit. Adhuc enim ſæuit, eosq̃ qui illam nondũ cognitam habent, ad noxam circuit: quibus autem nocuit, ijs nouam iniuriam meditatur. Ecce enim poſt nocturnã graſſationem malaq̃ inde propagata,

non

non intermittunt apud Cæsarem criminationes struere, neq; id mirũ, quum certi sint sese audiendos, modo impia adferant. Agunt igitur ut damnatio grauior exilio infligatur, & ad necẽ rapiantur, quotquot impiæ hæresi non obtemperauerint, & certe nunc eo genere crudelitatis sæuiunt. Secundus igitur Pentapolitanus nominetenus Episcopus, homo omnium mortalium teterrimus, eiusq; in coniuratione socius Stephanus, non ignari se de quauis iniuria ob hæresis gratiam excusari posse, Barcæ quendam presbyterũ nacti, nomine quidem Secundo similem, fide dissimillimum, ipsis non obtemperantem calcibus obtritum interfecerunt. Ille autẽ quum occideretur, sanctum imitatus ita locutus est, Nemo me apud iudicẽ uindicet, habeo uindicem Dominum Iesum, pro cuius nomine ista patior: illi contrà hominis ita loquentis nihil quicq; miserti sunt, neq; diei ullam reuerentiam habuere, quum in ipsa Pentecoste hominem calcitrando eliderent. O nouam hæresim sceleribus & impietatibus diabolum totum, quantus quantus est, induentem. Nunc primum hoc genus mali extare cœpit: antea enim si qui de hæresi cogitarent, cogitatus suos sensusq; abdebant: nunc autẽ Eusebius & Arius, ueluti serpentes è cauernis suis progressi, uirus impietatis suæ sectæ palam euomunt: quorum hic blasphemandi aperte audaciam suscepit, ille uero blasphemiam propalam defendit. Sed non prius eam defendere potuit, quàm ubi Cæsarem blasphemiæ propugnatorẽ reperisset. Patres contra, orbis concilio coacto, cõgregatisq; plus minus trecẽtis Episcopis Arianam hæresim condemnarunt, ostenderuntq; eam alienã peregrinamq; esse ab Ecclesiastica fide. Propugnatores uero huius sectæ, uidẽtes se in probro agere, & nihil pro se habere quod rationi cõsentaneum sit, aliam uiam excogitarunt, & per potentiam secularem eam defendere instituerunt, qua in re magnopere admireris insolentiam malitiamq; istius inuenti, & quantopere superet alias hæreses. Siquidem aliarum hæresum instituta in persuasibilitate uerborum insaniam suam constitutam habent, ad simpliciorum circũuentionem. Et ethnici, ut inquit Apostolus, sublimitate & suadela uerborũ & sophismatibus uerisimilibus disceptationes suas instruunt: Iudæi uero omissis Scripturis, ut Apostolus ait, fabulis & genealogijs decertant. Manichæi uero & Valentini cæteriq; alij, suis fictis rationibus sacras literas cauponantes, adulterãtesq;, nænias adferunt. Ariani aũt cæteris proteruiores, alias hæreseos sorores suas se multo minores declarãt, quũ lõge maiori impietate utãtur (ut dictũ est) omnesq; & in primis Iudæos scelere improbitateq; æmulentur. Vt enim illi Paulum, quem de obiectis criminibus uincere non poterant, statim eum ad Tribunum & Præsidẽ adduxerũt, ita quoq; & isti indies plura excogitantes, non nisi iudicum potestate utuntur, & ubi quis uel semel illis cõtradixerit, ad Præsidẽ & Ducem rapitur. Cæteræ porro hæreses demonstrationib. conuictæ ab ipsa ueritate, tacitè obmutescunt, nihilq; agunt nisi quòd de cõuictione sua erubescunt. Noua aũt ista & execrabilis hæresis, quum rationibus subruitur, quum ipsa ueritate pudefacta concidit, quos non potuit uerbis inducere, eos ui, plagis, carceribusq; ad se pertrahere annititur, atq; uel ita seipsam, q̃ non sit pia & Dei cultrix, manifestat. Piæ enim religionis (ut dixi) proprium est, non cogere sed suadere.

1. Tim. 1

Siquidem Dominus non cogens, sed libertatem suam uoluntati permittẽs,
Matth. 26 dicebat quidem uulgo omnibus, Si quis uult uenire post me: Apostolis ue
Ioan. 6 ro, Num & uos abire uultis? Quid aũt aliud hæresim istam, quæ prorsus a-
liena est à pia religione, quæq; ut Christi perduellis authorem suæ impieta-
tis Cõstantium, quasi Antichristũ inscribit, facere decuit, nisi contraria Sal-
uatori usurpet? Constantius enim in gratiam hæreseos primum studio ha-
buit, immanitate Saulem imitari. Ille enim sacerdotibus, qui Dauidi uiaticũ
dederant, necem imperauit, eiusq; iussu trecenti quinq; sacerdotes simul in
terfecti sunt. Iste uero, quoniã omnes hæresim fugiunt, & sana fides in Chri
stum confessionib. celebratur, Synodum plusq; trecentorum Episcoporũ
abrogat, & Episcopos in exilium eijcit: populos uero, dum prohibet con-
uentus celebrari, à meditatione pietatis precibusq; ad Deum summouet ac
depellit: rursus ut Saul Nobam ciuitatem sacerdotum euertit, ita & iste eius
sceleris magnitudinem superans, Ecclesias Domini hæreticis tradit. Et util
le Doeg ueris sacerdotibus antepositum, Dauidemq; persecutus est, Zipheis
auscultans: ita quoq; & iste hæreticos præfert uere pijs & religiosis homi-
nibus, & insuper eos qui ipsum fugiunt, persequitur, eunuchis suis ortho-
doxos homines criminantibus auscultans: nec animaduertit, quòd quæ-
cunq; pro Arianorum hæresi scribit & facit, ea omnia tendere aduersus no-
strum Saluatorem. Nonne talia Achab in sacerdotes ausus est, qualia iste
cõtra Episcopos molitus est? Ille saltem interfecto Nabuth cõpunctus est,
& uiso Helia extimuit: Iste uero Hosium tantum & tam eximium uirum ni
hil reueritus est, neq; post tot exilia Episcoporũ otio acquieuit, aut animo
cõpũctus fuit, sed ut alter Pharao, quo magis atteritur, eo magis indurescit,
& quotidie peiora meditatur. Est & quiddam incredibile in illius peruersi-
tate. Ex Episcopis enim relegatis euenit interdum nonnullos ob crimen cæ
dis, aut seditionis, aut furti pro sceleris qualitate cõdemnationem pati, hos
quidem ipse post pauciss imos menses ad preces aliorum, ut Pilatus in Bar-
rabam fecit, à pœna absoluit. Christi aũt seruos, non solum non relaxet, sed
exules etiamnũ inclemẽtissime subinde nouis supplicijs grauet, quasi æter-
nam furiam & alastora se illis præbere uelit. Neq; id mirum est, quum ma-
leficis, ob mores amicus: orthodoxis uero, ob Christum inimicus sit. Num
ergo ex ea re liquido ostenditur, Iudæos eius temporis, qui Barrabam po-
stulauere, Dominũ aũt crucifixerunt, tales fuisse, quales nunc sunt unà cum
Constantio Christi perduelles Ariani? Quòd si Constantium etiam Pila-
to acerbiorem censeas: ille enim animaduersa Iudæorum iniquitate, saltem
manus lauit: iste contra, in damnandis ad exilium sanctis atrocius frendet.
Quid ergo mirum, si hæresi deuius ac errabundus ita crudeliter in Episco-
pos sæuit, quum ne cognatis quidem suis, ut homo, pepercerit? quippe qui
patruos in carcere clauserit, patrueles sustulerit, & soceri sui filiam, cogna-
tosq; ultima patientes nulla misericordia prosecutus sit: quin & iurisiuran-
di, quo illis de salute cauerat, uiolator fuit, pari quoq; impietate in fratrem
usus. Et simulat ille quidem se fratri monumẽtum ædificare, quum interim
sponsam eius Olympiada Barbaris dediderit, quam frater eius usq; ad mor
tem apud se retentam, ut propriam uxorem educabat: & iam eius decreta
conuellit,

conuellit,cuius ipse se hæredem gloriatur,ea scriptis mandans,ob quæ homo uel tenuissimi sensus erubescceret.Ego aũt eius inter se epistolas cõmittens,inuenio illum nihil ex suo ingenio sensisse,sed motus affectuum, prout illi suggestum fuit,accepisse:propriam aũt mentem in genere non habuisse.Salomonis sententia est,rege audiente iniustum sermonem, omnes qui sub eo sunt,legis præuaricatores esse.Ipse aũt factis declarat se illũ iniustum, & qui circa eum sunt,illos ipsos legis præuaricatores esse.Iam quum ipse talis sit,talibusq; delectetur,qui fieri possit,ut aliquid iusti, aut quod rationis sit sapiat,homo familiaribus suis deuinctus, alligatusq; ijs incantatoribus, qui cerebrũ in calcaneis depressum habent.Inde ego nimirum fieri puto,ut nunc scribat,mox scriptorum pœniteat, deinde mutata sententia succenseat,idq; rursum deploret, prorsusq; incertus fluctuet, quid agat:ex quibus omnibus facile colligas pectus eius mente destitutum esse.Talis igitur quũ sit,rectius eius uicẽ doleas, quod sub liberali cultu & nomine seruus sit eorum,qui ipsum pro sua impia libidine quoquouersum trahunt. Certe stultitia & fatuitas est,ut ait sacra Scriptura,alijs indulgendo seipsum futuro iudicio in alimentum ignis mancipare, quum omnia faciat quæ illi uolunt, illisq; ius Episcopis insidiandi propinet. Ecce enim nũc denuo Alexandriæ & in Ægypto & per uniuersam Libyam Ecclesias turbauit,& propalam edixit,ut Catholicæ Ecclesiæ eiectis,piæ religionis Episcopis, in uniuersum hominibus Arianicæ opinionis tradantur.Hoc & dux exercitus facere incepit,ac iam inde Episcopi,presbyteriq; &monachi ferro uincti,plagis usq; ad mortem cæsi,aliò atq; aliò transmittuntur:Omniaq; in singulis locis tumultibus agitantur,Ægyptus & uniuersa Libya in periculum uenit,populis rerum iniquitatem indigne ferentibus, quũ ante oculos suos uideãt Antichristo uiam præparari:sua sibi eripi, eaq; hæreticis dari. Quando igitur unq; audita est tanta iniquitas? quando tale malum uel in persecutione uisum fuit? Ethnici erant, qui prius persequebantur, sed tamen in Ecclesias idola non inferebant.Zenobia Iudæa erat,& protectrix Pauli Zamosatensis,sed tamen Ecclesias Iudæis in synagogas non tradidit. Nouum istud odium est,neq; simplex persecutio,sed immanitas quædam omni persecutione plena, procœmiumq; & præparatio Antichristi. Esto contra Athanasiũ, aliosq; Episcopos quos in exilium misere, comminisci potuerunt criminum causas,sed nihil illa ad hoc nouum genus malorum. Quid criminis cõ fingere possunt contra uniuersam Ægyptum,Libyam,& Pentapolim? non enim in singulos insidias moliti sunt,ut mentiendi occasionẽ haberent, sed simul omnes adorti sunt,unde fit,ut si quid fingere ausint,falsi statim mendacesq; appareant.Excæcauit eorum animos malitia, eo ipso quòd simpli- Sap.2
citer postularunt omnes Episcopos sine exceptione summoueri, ut clarum facerent,se contra Athanasium,cæterosq; Episcopos quos in exilium misere,non alia de causa,quàm ob impiam hæresim,falsum crimen confinxisse. Res enim non amplius latet,sed iam omnibus cõpertissima est, eo quod & Athanasium è ciuitate eijci, & Arianis Ecclesias tradi iusserit,adeo ut iam presbyteri & diaconi qui cum Athanasio à Petro usq; & Alexandro in clero & Ecclesia fuere,proscribantur,& hominibus certò Arianis,neq; illis nouitijs

uitijs, ſed ueteranis ac iam olim unà cũ Ario ab Alexandro Epiſcopo damnatis, Eccleſia donentur, ita in ſuperiori Libya Secundus, in Alexandria Euzoius ille Chananæus, Iulius, Ammon, Marcus, Irenæus, Zoſimus, Sarapion cognomento Securicula: In Libya uero Siſinnius cum iuuenibus eiuſdem ſecum hæreſeos cultoribus, Eccleſias accipiunt: Sebaſtianus uero exercituum dux ſingulorum locorum præpoſitis, & militaribus præfectis in eã ſententiam literas miſit, ut ueros Epiſcopos perſequerentur, & pro illis ſuffragatores hæreſeos in Eccleſias introducerent. Nihil horum omiſſum: relegarunt enim Epiſcopos qui in clero conſenuerunt, & per multos annos in Epiſcopatu uerſati fuere, ex quibus Ammonium in ſuperiorem Oaſim, Muim, Pſenoſirin, Ilammona, Plenem, Marcum, Athenodorum in Ammoniacam, in exiliũ miſerunt, nihil aliud captantes, quàm ut in deſertis, ſoliſq; locis oberrando perirent: Nihil eorum qui aduerſa ualetudine laborabant, miſerti, adeo ut iter ægre ob imbecillitatem ferentes, lecticis aſportati ſint, à tergo ob morbum funeralibus inſtrumentis ſubſequi iuſsis. Certe unus ex eo numero extinctus eſt, cuius ne cadauer quidem ad ſuos referri permiſerunt. Atq; hinc eſt, quòd Dracontium Epiſcopum in ſolitudinẽ eam, quæ circa Clyſma eſt, retruſerint. Philona uero Babylonem, Adelphium in Pſinabla Thebaidis. Hieracem aũt & Dioſcurũ presbyteros in Soinem, Ammonium item, Agathum, Agathodæmonem, Apollonium, Eulogium, Apollo, Paphnutium, Gaium, Flauium ueteres Epiſcopos profugos fecere, & hos quidem in lapidicinis manciparunt, illos ad necẽ perſecuti ſunt, multosq; laicos numero quadraginta ſpoliauerũt, uirgines aũt quas antea flammis admouerant, & ita palmarum flagellis uerberauerant, ut quinto die aliæ perirent, aliæ ſub chirurgorum manibus ob ſtimulos palmarum corporibus impactos, grauiores morte dolores paterẽtur, è ſuis finibus eiecerunt. Et quod grauius apud omnes qui mente ualent, ſed tamẽ quod proprium eſt impiorum, quum uapulantes fœminæ inter uerbera Chriſtum inuocarent, illi pro maiori cõtumelia dentibus ſuis in eas ſtridebant. Quin imo ne corpora quidem occiſorum ſuis ad ſepulturam conceſſere, ſed locis occultis abdiderunt, ut laterent ſcilicet ipſorum homicidia: uerum ea minime latuerunt. Vniuerſa enim ciuitas hanc crudelitatẽ uidit, omnesq; eos ut carnifices, ut maleficos, ut latrones auerſati ſunt, quippe qui & monaſteria euerterint, & ignes iniecerint ad monachos cõburendos, domosq; diripuerint, & depoſita ab Epiſcopo in ædibus ingenuorũ hominum, irruentes deprædati ſint, & interuerterint, uiduasq; calcibus obtriuerint, eleemoſynis obſtiterint. Iſtiuſmodi ſunt ſcelera Arianorum: quid aũt pro impia ſua hæreſi conentur, quis quæſo uel audiẽdo non exhorreſcat? qui tot ac tam graues ætate Epiſcopos relegarunt, & in illorum locum iuuenes, libidinoſos, ethnicos, ne catechiſmo quidem imbutos (ea ſpe quaſi res ſtatim confici poſſet) necnon & digamos, & de maximis criminibus male audientes, opum gratia & potentiæ cõmendatione, modo aurum darent, ueluti emptores è foro ad Epiſcopatus ſummiſere. Ac iam inde grauior calamitas populũ preſsit, qui quum auerſarentur mercenarios iſtos, ab Arianis quidem pro Epiſcopis ſummiſſos, ſed tamen publice pro alienis habitos, flagellis miſere à duce bonis

ce bonis fisco addictis cõcidebantur. Quod admodum libẽter faciebat homo Manichæus eo animo, ne illi suos Episcopos reposcerent, & quos auersabantur, reciperent, homines nimirũ ea agentes, quæ prius inter idola sua luserant. Quis hæc uel uidens uel audiens, quis item considerans ferocitatẽ impiorum & tantam iniustitiam, modo ipse iustus sit, non ingemiscat? In locis enim infidelium suspirant iusti. Quis igitur quum ista fiant, & quum impietas tantam impudentiam sibi uendicet, ausit iam inde Constantium hominem Christianum appellare? ac non potius Antichristi imaginem esse? Quid enim ex notis Antichristi huic deest? aut quid est cur non omnibus modis Constantius Antichristus, & uicissim Antichristus Constantius habeatur? Nónne in magna Ecclesia in Cæsareo uictimas contra Christum & blasphemias, ueluti ex præcepto eius, Ariani & ethnici fecere? Nónne uisio Danielis istiusmodi notis Antichristum significat? nimirum quòd bellum cum sanctis gesturus sit, & quòd inualescet contra eos, & quòd in malitia superabit omnes, qui ante ipsum fuere, & ꝙ humiliabit tres reges, loquetuŕq; sermones contra altissimum, & quòd meditabitur alienare & legũ & temporum articulos? Quis igitur unq; alius, excepto uno Constantio, talia machinatus est? hic enim talis est, qualis ille futurus est, loquitur sermones contra altissimũ, dum propugnat sacrilegam hæresim, & aduersus sanctos bellum gerit, Episcopos in exilia relegans, tametsi paulisper ad suam ipsius perniciem hanc potestatem habeat. Nam & ipse omnes, qui ante ipsum fuere, sceleribus uicit, nouo excogitato persecutionis modo, & statim à tribus regibus Britannione, Magnentio & Gallo interfectis, tutelam impiæ religionis suscepit, & ut Gygas contra altissimum arrogantia sese efferre ausus est, & rationes mutandæ legis excogitauit, dissoluens Christi & Apostolorum instituta, moresq; Ecclesiæ inuertens, & ex locis peregrinis cum satellitio militari, Episcopos ad populos inuitos summittit, qui pro mutua inuicem cum populo noticia minas secum deferũt, & diplomata ad iudices. Ita enim Gregorium Cappadocem Alexandriam, ita Germiniũ è Cyzico Sirmium, ita è Laodicæa Nicomediam Cecropium misit, ita Auxentium delatorem potius quàm Christianum è Cappadocia Mediolanum amandauit, ut expulso inde ob suam in Christũ pietatem Dionysio uiro religioso, eum ibi Episcopum constituat, hominem ne Romanæ quidem linguæ, sed tantummodo hæreseos peritum. Nunc aũt denuo Georgium quẽdam Cappadocem ærarij Constantinopoli quæstorem, & depeculatorem omniũ, atq; eo crimine profugum Alexandriam specie militari & authoritate ducis in Episcopatum immittit, ac deinde repertum quendam Epictetum Neophytum hominem, iuuentute ferocem, audacem, in amoribus habet, eò quòd eum ad omnia scelera promptũ alacremq; cõspiceret, eiusq; opera Episcopis quibus uelit, insidias struit: Nihil enim est quod ille grauetur facere, modo Imperatori placeat. Hoc ministro utens, incredibile facinus designauit, & quod uere referat imaginem Antichristi, ut qui in locum Ecclesiæ Palatium suum succedere uoluerit, & pro conuentu populi & iure comitiorũ, tres eunuchos præsentes esse iusserit, tresq; itẽ κατασκόπους, hoc est, exploratores: non enim eos Episcopos dixeris, ut ipsi Felicem quendam Episcopum

pum in palatio crearent, dignum profecto talibus ſuffragatoribus. Cæterũ populi omnes cognita hæreticorum prauitate, non permiſere eos Eccleſiã intrare, proculq; ab ijs receſſerunt. Quid igitur hic, quod Antichriſti nõ ſit, omiſit? aut quid ille, ubi uenerit, plus committere poterit? aut quomodo ille in aduentu ſuo non repererit ſibi expeditã uiam ad dolos ab iſto præparatam? Siquidem iam denuo in locum Eccleſiaſticæ cognitionis ſuum palatium tribunal earum cauſarum conſtituit, ſecq; earum litium ſummũ principem & authorẽ facit, Et quod mireris, ſi quando uiderit criminatores hærere & perplexos eſſe, ipſe eorum uices ſubit, ut nihil ob eius uim cõtradicere liceat, falſo accuſatis. Quod aperte in cauſa Athanaſij oſtendit: ibi enim cognita Paulini, Luciferi, Euſebij, Dionyſij, Epiſcoporum libertate, docentium ex pœnitentia Vrſacij & Valentis falſos eſſe Athanaſij criminatores, neq; ulterius fidem habendam eſſe dictis Vrſacij & Valentis, quæ ipſi ſua pœnitentia reuocauerant, eueſtigio aſſurgẽs ita locutus eſt, Ego ſum Athanaſij accuſator, meo nomine illis credite. Hic illis uiciſsim reſpondentibus, quonam modo accuſator eſſe poſsis nõ præſente reo? eſto ut accuſator ſis, abſentia tamen rei facit, ut in cauſa iudicari non liceat. Non em̃ de re Romana iudicium eſt, quo tibi ut Imperatori fides habeatur, ſed de Epiſcopo agitur, & oportet in hoc iudicio pari iure cum reo & accuſatore agi. Quomodo aũt accuſabis eum, qui ob longinquitatem loci adeſſe nõ potuit? Quòd ſi quæ obijcis, ex auditu habes, æquum eſt ut ijs, quæ pro ſe dicit Athanaſius, fidem quoq; habeas: quòd ſi illi non credis, credideris aũt iſtis, uidebuntur iſti ea quæ dicunt, propter te & in gratiam tuam dicere, & Athanaſiũ accuſare. Hæc cum audiſſet, & recte dicta pro contumelia accepiſſet, illos quidem in exilium eiecit: concitatior aũt in Athanaſium factus atrocius in eum edictum promulgat, nimirum, & eum debere ſuas pœnas luere, & Eccleſias Arianis tradi, ijſq; ſe liberum facere, ut agant quod uelint. Grauia ſunt iſta & pluſq; grauia, ſed tamen iſtiuſmodi quæ congruant in eum, qui Antichriſti imaginem induerit. Quis enim uidens eum in decernendo principẽ ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non merito dicat illum eam ipſam abominationẽ deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt? Nam quum circumamictus ſit Chriſtianiſmo, & in loca ſancta penetret, & inibi cõſiſtens deuaſtet Eccleſias, abrogans canones, ui cogens ut ſua obtineant, quis unq; audebit dicere, hoc tempus Chriſtianis pacatum eſſe? & non potius perſecutionem eſſe? talemq; perſecutionem, qualis nec antea fuerit, & qualem fortaſſe nemo unq; fecerit, niſi filius ille iniquitatis? hociſta eſſe oſtendunt Ariani perduelles, qui ſe nunc iſtiuſmodi fucis pingunt. Quapropter præcipue nos uigilare & obſeruare hanc hæreſim oportebat.

Prou. 1 An ea quæ tantæ impudentiæ eſt, uirusq; ſuum quaſi Ceraſte, ut in Prouerbijs ſcriptum eſt, effundit, & male ſentiendi de Chriſto magiſtrum ſe præbet? An ne inquam illa ipſa ſit præuaricatio, poſtquam filius ille iniquitatis reuelabitur, qui prorſus habet in Conſtantio præcurſorem ſuum? Alioqui cur ita contra ſanctos fureret? aut quare ita quaſi pro ſua hæreſi omni conatu incumberet? & pro ſuo hoſte haberet, qui inſanijs Arij non obtẽperat? & cur quæ à Chriſti perduellibus dicuntur, ita libenter acciperet? & tot &

tales

Z.

tales Synodos uilipenderet? aut cur Arianis Ecclesias tradi iuberet? nisi ut quum Antichristus uenerit, habeat paratas rationes quibus in Ecclesias introeat, istumq; sibi ita diligenter locum præparantem amplexetur? Nam senes qui ab Alexandro, & ante Alexandrum ab Achilla & ante Achillam ab ipso usq; Petro Episcopi fuere, eliminantur: illi contra, quos assectæ militum in Episcopos nominarunt, introducuntur, neminẽ interim alium nominantes, quàm qui polliceãtur se idem cum ipsis sentire. Quæ conditio facillima est Meletianis. Nam plericq; eorũ uel potius omnes impie educati sunt, neque cognitam habent sanam in Christo fidem, aut quid omnino sit Christianismus, aut quas nos Christiani habemus scripturas. Aliqui enim eorum ab idolis, aliqui ex curia, aut è summis Magistratibus prodeuntes, ob miseram purpuram, præfecturamq; persuasis, pecunia Meletianis maioribus suis, ad hoc dignitatis, etiam priusq; catechismo imbuerentur, euecti sunt: aut si in speciẽ uideantur catechismo imbuti, quæ quæso ratio catechismi apud Meletianos? imo sine omni specie huc prouolarũt, & statim quasi pueri accepto nomine, Episcopi appellati sunt, & propterea quia tales erãt, rem pro nihilo habuerunt, neq; inter pietatem impietatemq; ullum discrimẽ esse arbitrati. Promptè certe & q; citissime Ariani ex Meletianis facti sunt: quòd si postea aliud quippiã Imperator iusserit, in id quoq; rursum se promptissime immutabunt. Siquidem piæ religionis ignorantia facile eos ad consuetam, & quam ab initio didicerunt, uecordiam deducit, & pro nihilo illis est, omni uento & fluctu circũferri, modo id solum ipsis contingat, ut sint purpurati & humanas præfecturas habeãt. Quid si dicas eos nihil immutatos, sed tales etiamnum permanere quales in gentilitate fuerant? Illi igitur istis moribus tam lubricis, & incertis, quid miri si Ecclesiam pro functione Magistratuq; curiali habeant? & quum idololatræ animo ac sentẽtia sint, non aliter quàm gentes in bonum Saluatoris nomen irrumpunt, Ægyptumq; contaminant: in eam rem opera curaq; impensa, ut Arianæ hæresis nomen ibi quoq; inualescat, quũ antea saltem per uniuersam Ægyptum libera securaq; erat orthodoxæ fidei professio? ac propterea etiam his prouincijs suam lucem inuehere studuerunt, non tam ipsi Ariani, quàm qui illos concitat diabolus, ut cum uenerit eius præco Antichristus, inueniat in Ægypto & ipsas Ecclesias suas esse, & in Meletianis suo iam ante catechismo imbutis, sese deliniatum figuratumq; agnoscat. Tale ergo iniquum illud edictum quod à Constantio prodijt. Populis certe magna erat ad martyrium promptitudo, ingensq; odium aduersus impijssimã hæresim, & luctus per magnus, & gemitus in Ecclesijs, omnibus ad Dominum uociferantib. Parce Domine populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in uituperiũ inimicis tuis, sed festina, ut eripias nos de manu iniquorum. Ecce enim famulis tuis non parcunt, & uiam Antichristo præparant. Non est sperandum ut Antichristo Meletiani resistant, non illis cura est ueritatis, neq; Christum abnegare inter mala numerant: non enim synceriter ad uerbum Dei accesserunt, sed ad omnia tanq; Chameleontes transformantur, semper mercenarij eorum, qui ipsorum operam requirunt: non ueritatem pro scopo habent, sed ueritati uoluptatem anteponunt, solumq; id dicunt, Comedamus & biba- Ioel. 2

mus, cras enim moriemur. Histrionum igitur Epicritianorũ ex Meletianis transfiguratorum scopus talis est, talisq; perfidia in moribus. Qui autẽ sunt ministri Saluatoris & uere Episcopi, synceriterq; credũt, & non sibi sed Domino uiuunt, quiq; fideliter pij sunt in Christum Dominum Iesum, intelligunt, quemadmodũ prædixi, falsas contra ueritatem criminationes esse, & manifestò eas fictas esse in gratiam Arianæ hæresis: plane enim ex Vrsacij Valentisq; pœnitentia percipiunt, sycophantiam contra Athanasiũ, ut eum è medio tollerent, & hæresim in Ecclesias Christi immitterent, compositam cõflatamq; esse, ac propterea, ut ueri propugnatores & præcones Dei, maluerunt potius cõtumeliam & exilium pati (quod & re experti sunt) quàm contra Athanasium subscribere, & Arianis cõmunicare. Non enim immemores fuere eorum quæ didicerant ut quibus certissimò constabat, proditoribus esse ignominiam multam, confitentibus uero regnum cœlorũ esse destinatum, ijsq; qui cõfessionem pro leui habent, & metuunt Constantiũ, nihil boni expectandum: contra, sustinentibus tribulationes, uti nautis, ex tempestate tranquillum portum: utq; Athletis, post certamen coronam, ita ipsis magnam & æternam lætitiam & hilaritatẽ in cœlis paratam esse, qualem obtinuit Ioseph post tribulationes suas, qualem magnus Daniel post tentationes & plurimas aulicorũ insidias, qualem nũc habet Paulus à Christo coronatus, qualem expectant qui ubiq; sunt populi Christi. Hæc inquã illi respicientes non succubuerunt animo, sed magis hac spe inualuerũt, maioremq; alacritatem induerunt: certi enim facti de sycophantijs & impietate hæreticorum, persecutorem damnant, & cum ijs qui persecutionem patiuntur, animo sententiaq; cõcurrunt, ut corona cõfessionis potiantur. Multa porro præterea sunt, quæ aduersus hanc impuram & Christo hostilem hæresim dicere liceat, multaq; item quibus pleraq; Constantij studia, præludia esse Antichristi ostendere possis, quum & Propheta loquutus sit, A pedibus usq; caput, nihil esse quod in hac hæresi plena omnibus sordibus & impietate, cum ratione congruat, ac tam tetra, ut si uel leuiter audias, eam tanq; uomitum canis, & serpentum uirus abomineris: Costillius autẽ propalam imaginẽ Antichristi præ se fert. Ideoq; scripturæ acquiescere, eiusq; præceptis obtemperare, cum ob alias hæreses, tum maxime ob istam, præclarum dixeris. Scripturæ aũt præceptum hoc est, Absistite ab illa, illinc abite, & immundum ne tetigeritis, recedite ex medio illorum, segregamini ab illis qui fertis uasa Domini. Id enim omnibus pro doctrina sufficit, ut si ab illis deceptus sit, inde, ueluti è Sodomis egrediens, non amplius sed eos reflectat, ne eadem patiatur quæ uxor Loth. Quòd si quis purus ab initio ab hac hęresi manserit, habeat ille gloriam suam in Christo: dicatq;, Non extendimus manus nostras ad Deum alienum, nec adorauimus opera manuum nostrarum, nec seruiuimus creaturæ, præter te Deum qui omnia creasti per Verbum tuum unigenitum Filium Dominum nostrum Iesum Christum,

per quem tibi Patri unà cum ipso Verbo in Spiritu Sancto gloria & imperium in secula seculorum,

Amen.

TESTI-

TESTIMONIA SECVNDA.

Hæc publice testata sunt, per eos qui subscripserunt.

POPVLVS ALEXANDRINVS CATHOLICAE ECCLESIAE, QVAE EST SVB ATHANASIO *reuerendissimo Episcopo.*

IAM pridem protestati sumus de nocturna, quã passi sumus, tam nos quàm templum dominicum, inuasione: tametsi ibi testimonio opus nõ fuit, quæ uniuersa ciuitas cognita habet. Occisorũ enim corpora reperta, & in publico exposita fuere, arma item et arcus in templo dominico, scelera quæ facta sunt quasi uociferantur. Sed ta mẽ quia post testimonia nostra, clarissimus dux Syrianus ui nos omnes cõ pellit, ut nullum tumultum factũ fuisse, neq; quemq; occisum esse, testimonijs nostris sibi adstipulemur: quod ipsum non leue argumentũ est, ea non ex sententia humanissimi Imperatoris Constantij acta esse: non enim de factis suis metum cõcepisset, si ex mandato ea fecisset, qui quidem, nos homines Christianos precibus ipsum conuenientes, ne ui grassari, aut facta insiciari uellet, fustibus concidi iussit, qua re abunde declarauit, belli nocturni in Ecclesiam se authorem fuisse, propter ista omnia quæ iam recensuimus, nunc denuo eadem hæc pro testimonio dicimus. Deinde, quum quidã ad pientissimum Augustum iter haberent, adiurauimus eos per salutem pientissimi Cæsaris Constantij, quam Deus omnipotens illi largiatur, obsecrauimusq; item Ægypti præfectum Maximum, & Curiosos, & clarissimos præfectos, ut omnia principi enarrarẽt. Adiurauimus quoq; naucleros omnes, ut omnia ista ubiq; diuulgarent, & ad aures religiosissimi Augusti, cæterosq; præfectos, & quotquot singulis in locis iudices, deferrent, ut bellũ cõtra Ecclesiam gestum ubiq; innotesceret, & quòd temporibus Constantij, Syrianus uirgines, aliosq; complures martyres fecisset. Illucescente enim quinto Calendas Februarias die, hoc est, decimoquarto mẽsis eius qui Mecher dicitur, uigilantibus nobis in dominico, & precibus uacantibus, eò q; synaxis parasceues die celebrãda esset, derepente per intempestam noctem clarissimus dux Syrianus cum multis legionibus militũ, sagittas strictosq; enses, aliaq; id generis tela gestantiũ, non sine galeis cæterisq; armis superuenit, ibi nobis plane precibus intẽtis, in ipsis recitationib. sacrarum lectionum, ianuas fregit, foribusq; ui multitudinis patefactis, statim ex illis edicto alij sagittas mittere, alij bellicum clamare occepere, magnus interea armorum fragor audiri, ensesq; ad lucem candelarum micare, uirgines multæ calcibus elidi, & in sese mutuo formidine irruentium militum impingere, uiri sagittis perfossi concidere, aliqui militum ad prædam uersi, uirgines denudare, quibus formido uel minimi tactus ipsa morte grauior erat. Episcopus per id tempus sedebat in Throno, omnes ad preces cohortãs, Dux aũt militum acies disponebat, Comitem secum trahens Hilarium scribam, qui illi hanc mentem afflabat, quod ipse exitus rerum declarauit. Episcopus autem

autem cũ hinc illinc raptaretur, minimo minus diſcerptus fuit: & quũ in graui deliquio animi pro mortuo iacuerit, & eorũ opera iam nuſq; compareat, neſcimus quid de illo factũ ſit: certe illi necem omnibus modis moliti ſunt: deinde quum uiderent tot occiſorum hominũ corpora, iuſſerunt milites ea in occultis abdere. Sanctiſsimas aũt uirgines interfectas, ibidẽq; relictas, in monumentis ſepelierunt, quibus laus martyrij, temporibus religioſiſsimi Conſtantij obuenit. Diaconi porro in ipſo dominico alij plagis cõcidebantur, alij uinculis cõſtringebantur: nam poſt tanta facinora, quiſq; pro libidine ſua fractis oſtijs introrumpebat, ſcrutabaturq; omnia, in ea loca penetrãs, in quæ non omnibus Chriſtianis fas eſt introire. Dux aũt ciuitatis Gorgonius iſta, qui prẽſens erat, ſuis oculis conſpexit, nec pro leui argumẽto iſtius hoſtilis incurſionis, arma illa habere debent, quæ in Dominico ab illis quiir ruperant, derelicta fuere, quæ etiamnum in Eccleſia pendent, adeo ut ſcelera ſua inficiari nequeant. Sæpe aũt ille miſit ordinum militariũ carnificem, unà cum duce ut ea tolleret, uerum id illi hactenus à nobis, ut res omnibus innoteſceret, negatum fuit. Quòd ſi edictum principis eſt, ut perſecutio in nos fieret, parati ſumus omnes ad martyriũ ſubeundum: ſin minus, oramus præfectum Ægypti Maximũ, cæteroſq; Magiſtratus, ut à principe poſtulent, ne talia in poſterum cõmittantur, obſecramusq; ut noſtræ iſtæ preces ad eum perueniant, ut obtineamus, ne illis liberum fiat alium Epiſcopũ introducere, quod ne fieret, uſq; ad mortẽ reſtitimus, Athanaſium reuerendiſſimum deſiderantes, quẽ Deus ab initio nobis dedit ſecundũ ſucceſsionem patrum noſtrorũ, quẽ ipſe Conſtantius religioſiſsimus Auguſtus cum literis iuramentisq; huc miſit: Cõfidimus enim ſi eius pietas ita reſciuerit, eum rem iſtam indigne laturum, & nihil contra iuſiurandum ſuum facturum eſſe, ſed iuſſurum, ut Epiſcopus Athanaſius nobiſcũ maneat. Illuſtriſsimis conſulibus poſt cõſulatum Arbathionis & Colliani deſignatis ſeptimo die menſis Mecher, quæ eſt pridie calendarum Februarij. Epiſtola autem prior ad ubiq; monachos ſcripta, uſq; ad ea quæ Alexandriæ in creatione Georgij Cappadocis, eiusq; receptatoribus Arianis acta ſunt, porrigitur, ibiq; deſinit: ſequens autem epiſtola de Synodis Arimini & Seleuciæ, quæ eſt Iſauriæ, celebratis, narrat Georgij depoſitionem ſiue exauctorationem.

SANCTI PATRIS ATHANASII DE SYNODIS ARIMINI, QVOD EST ITALIAE: ET SELEVCIAE, QVAE *eſt Iſauriæ, celebratis,* EPISTOLA.

EXHORTASSE & ad uos quoq; peruenit rumor eius Synodi, quæ nunc omnibus in ore eſt, eò quòd ab Imperatore præfectiſq; literæ frequentes in omnem partem ſint miſſæ, eos qui illuc ituri eſſent conuocantes: iam quia diſcendi cupidi quæritis quid actum ſit, rectum putaui, ſi quæ uidi quæq; diligenter exploraui, uobis ſignificauero, ne ſi alio

si aliunde ea acceperitis, animo dubio fluctuetis, maxime, quũ nonnulli aliter quàm res acta est, referre soleant. Niceæ igitur quemadmodũ statutum erat, nullum concilium coactum fuit, sed secundum edictum promulgatum est, ut Episcopi Occidentales Arimini, quod est Italiæ, conuenirent: Orientales uero Seleuciæ Isauriæ, quæ Aspera cognomine appellatur. Causa autẽ istius concilij ferebatur in hoc sita esse, ut de fide in Christum Dominũ nostrum ageretur: authores autẽ istius rei sunt Vrsacius ex Pannonia, Valens & Germinius quidam Syrus Acacias, Eudoxius item & Patrophilus Scythopolitanus, qui quum Arianicæ factionis essent, & ne semel quidem cogitarent, quid uel crederent uel affirmarent, singulos clanculum decipientes, & deceptis sementem hæreseos inseminantes, nonnullos qui aliquid esse uidebantur, surripuerunt, & inter eos ipsum Cæsarem iam hæreticum factum, specie quidem illa prælata quasi Synodum instituere uellent, quũ interim sperant ea ratione se & Synodum Nicenam & omnes ita peruertere posse, ut impietas pro ueritate ubiq; inualescat. Primum quidem ego admiror, idemq; arbitror quemlibet prudentem facere, quòd cum uniuersale concilium indictum esset, idq; omnes expectarent, derepente diuisio facta sit, adeo illi illuc, isti istuc cõuenirent, sed hoc absq; dubio numinis prouidẽtia procuratum est, ut in singulis concilijs hic quidem synceræ puræq; fidei sententiæ apparerent, illic aũt suspecta incertaq; ingenia cum suis moribus sese ostenderent. Deinde illud mecũ cum genuinis fratribus non sine mœrore in animo reuolui, quid sibi uellet ista discursatio. Quæ enim res tanto pere cogebat, ut orbis terrarum turbandus esset, aut cur illi, qui hoc tempore clerici dicuntur, sursum cursitarent, percunctaturi quomodo ipsos oporteret in Christum Iesum Dominum nostrum credere? Nam si credidissent, nunc̃q; quasi fidem non haberent, de fide quæsiuissent. Ea res & catechumenis non tenue scandalum, & ethnicis non uulgarem, sed effusissimũ cachinnum præbuit. Si Christiani ueluti è somno expergiscẽtes, nunc demũ quærant, quomodo in Christum oporteat credere, clerici certe illorum, quam c̃q; authoritatem apud populum hactenus quasi magistri obtinuerint, nunc tamen sese infideles esse declarauerunt, quum id quærant quod non habent. Et ignorat Vrsacius cum suis, qui horum authores sunt, quantam sibi iram thesaurizet, quum Dominus per sanctos loquatur, Væ illis per quos nomẽ meum in gentibus blasphematur, ac deinde per seipsum in Euangelijs: Qui scandalizauerit unum ex pusillis istis, melius est, ut mola asinaria ad collum illius appendatur, & demergatur in alto maris, quàm, ut Lucas ait, aliquem ex paruis istis scandalizet. Quid enim defuit Catholicæ Ecclesiæ ad pietatem, ut nunc de fide quærendum uideretur? Quin uerbis suis de fide consules asscribunt, sub quibus res acta est: Vrsacius enim & Valens, Germiniusq; cum cæteris suis gregalibus id fecere, quod antea nec factum, nec auditum est apud Christianos. Quum enim scripsissent eam fidem, quam uoluerunt, addidere & Consulem, & mensem diemq; eius temporis, ut omnibus prudentibus palam facerent, non olim, sed nunc demum eorum fidem sub Constantio initium accepisse. Omnia enim respectu suæ hæreseos scripserunt: deinde cum simularent se de Domino scribere, alium sibi Domi- Esa. 52 Mar. 9

num, Constantium scilicet creauerunt: ille enim ipsis impie agendi facultatem præbuit: suumq; Cæsarem æternum appellauerunt, qui Filium Dei æternum esse negant, tantos se pro impietate Christo hostes præbẽt. Sed fortasse causſam additorum consulum se mutuatos esse ex chronographia sanctorum prophetarum iactitauerint: quod si ausi sint dicere, multo liquidius suam inscitiam manifestabunt. Nam sanctorum prophetiæ temporum memoriam habent, Esaias quidem & Osee in diebus Osiæ, Ioathan, Achas, & Ezechiæ uixerunt, Hieremias uero in diebus Iosiæ. Ezechiel porro & Daniel sub Cyro & Dario, alijsq; aliorum temporibus prophetarunt, non religionis fundamenta iacientes: nam ea & ante ipsos & ante constitutionem mundi fuit & semper est, quam Deus nobis in Christo præparauit. Necq; fidei suæ tẽpora assignarũt: siquidẽ & ante ea tẽpora fideles homines extiterant, sed tẽpora suæ annũciationis notauerũt. Erat autẽ principalis eorũ annunciatio de aduẽtu Saluatoris, sed tamẽ quæ appendicẽ quoq; sibi annexam haberet, euenta Israelitis & gentibus futura. Notæ aũt temporũ annaliaq; ita assignata nõ initiũ fidei, quemadmodũ iam dixi, sed initiũ Prophetarũ, quo inceperant diuinare, cõplectebantur: isti aũt sophi non in enarratione historiarum, non in prædiuinatione rerum futurarũ, sed in expositione fidei. Post hæc uerba (edita est Catholica fides) statim cõsulem, mensem, diem adiecerunt, ut quemadmodũ sancti historiarũ suisq; ministerij tempora assignabant, ita isti suæ fidei tempora assignarent, atq; utinam in sua fide hanc assignationẽ feciſſent, & nõ in titulo Catholicæ fidei hoc ausi fuissent: Non enim tali formula, ut dicerẽt, uerborum rem cõscripserunt, nos ita credidimus, sed hac specie edita est Catholica fides. Improbitas ergo hæreseos istius suorum inscitiam prodit, & nouum istud scribendi genus paria facit cum Ariana hæresi: illo enim scripto indicant, initium suæ fidei, & quando primum inceperint credere, atq; iam inde uolunt fidem suam prædicari, ea-
Luc. 2 dem ratione ut apud Euangelistam Lucam, edictum describendi orbis exijsse dicitur, quod quum antea non esset, ipso die quo per authorẽ suũ promulgatum fuit, incepit esse: ita isti quoq; ubi scripserant, edita est fides, eo ipso ostenderunt nouitiam esse sententiam suæ hæreseos, & eam prius non fuisse. In eo uero quòd addiderunt titulum Catholicæ fidei, non sentiunt se delapsos ex Phrygia in Arianã sectam, adeo ut ipsi pro eorũ more loquantur, nobis primum reuelatum est, à nobis incipit fides Christianorum. Et ut illi Maximillam & Montanum, ita isti pro Christo Constantium dominũ suum nuncupant. Quòd si secundum ipsos ab istis consulibus principium suum fides accepit, quid facient patres & beati martyres? aut quid facient illi, qui ab eis in Christiana religione instituti sunt? & ante cõsules istos dormierunt, quomodo illos excitabũt, ut quod didicerint, obliteretur? & quod ipsi scribendo inuenerunt, in eos inferant? Adeone crassi sunt, ut nihil fingere queant nisi cauillationes, easq; & indecoras & incredibiles, & statim de proximo argumentis refutabiles? Siquidem Nicena Synodus non temere habita est, ut quæ habeat grauissimos usus, & legitimam rationem. Syri etenim Cilices Mesopotamiani, in causa festi claudicabant, atq; unà cum Iudæis Pascha celebrabant, & iam tum Ariana hæresis, quæ contra Eccle-

siam

siam insurrexerat, suos propugnatores habebat qui ipsam defenderent, & qui pijs insidias facerent, Eusebianos scilicet. Atq; ea causa fuit, cur uniuersus orbis in conciliũ coiret, ut & eodem die ubi festum celebraretur, & hæresis quæ suppullulauerat, anathemate percuteretur: quod & factum est. Nam & Syri in aliorum sententiam traducti sunt, & Arianam hæresim decreuerunt pro Antichristi præcursatrice habendam esse, & scriptis contra eam editis placita sua promulgarunt. Sed tamen quum tot ac tanti uiri essent, nihil tale quale isti, qui non nisi tres aut quatuor sunt, ausi fuerunt facere. Siquidem nec consulem, nec mensem, nec diem addiderunt, sed in negocio Paschatis non abhorruerunt ab istiusmodi appendice. Ibi enim placuit ut adderetur, uisum est, ut omnes obtemperarent. De fide uero nõ scripserunt, uisum est, sed ad istum modum credit Catholica Ecclesia, & statim confessio ipsa credendi adiuncta est, ut ostenderent eam nõ nouam esse sententiam, sed Apostolicam: & quæ ipsi scripsissent, non esse sua inuenta, sed Apostolorum documenta. Contrà, Synodi ipsorum quam quæso habet legitimam causam cur instituantur? Si enim recens aliqua hæresis post Arianam emersit, age, proferãt nobis eius hæreseos cõmenta, authoresq; sectæ: interim tamen scriptis suis anathematizent omnes hæreses ipsorum concilio priores, & inter cæteras etiam Arianam sectam, quemadmodum patres Niceni fecerunt, ut uideantur saltem aliquam uerisimilem occasionem habere noua moliendi. Quòd si tale nihil accidit, neq; quicquã istiusmodi ostendere possunt, sed ipsi potius ex morbo Arianæ hæreseos isti loquuntur, uictiq; quotidie in omnem speciem se mutant, quis usus quæso conciliorum? quum Nicenum concilium aduersus Arianam cæterasq; hæreses satis ualeat, quas per sanam fidem condemnauit? Porro Ætius, cognomento impius, quẽ pro causa habendi concilij toties iactitant, non de propria insania quasi à se inuenta, superbit, sed in Arianam, quæ alterius dogmatibus constat, transiens, cum suis quos decepit, naufragium fecit. Frustra igitur circumcursitantes prætexunt, ob fidem Synodos sese postulare, quũ sit diuina scriptura omnibus potentior. Quòd si ad hanc rem usus Synodi desideratur, supersunt acta patrum: nam neq; hac in parte negligentes fuere qui Niceæ conuenerunt, sed ita accurate scripserunt, ut qui synceriter eorum scripta legat, facile reminiscatur eius in Christũ religionis, quæ à sacris literis annunciatur. Ergo quũ nullam rationem pro se habeant, omnibusq; undecunq; destituantur, & hæreant, & frustra operosi sint in cauillationibus, illud nimirum illis reliquũ est, ut dicant, Nos qui maioribus nostris cõtradicimus, & præuaricamur patrum traditiones, postulauimus Synodum promulgari, metuentes autẽ, si omnes in unum conueniant, ne frustra laborauerimus: ita uoluimus Synodum indici, ut ea in duas partes dirimatur, quo ita à se inuicem disiunctis, scriptisq; nostris exhibitis aliquid suffurari possimus, minas Constantij impiæ sectæ propugnatoris assidue iactitantes, simplicitatemq; nimiam Niceensium patrum cauillantes, acta Niceensia irrita ociosaq; reddamus. Hæc tametsi uerbis non proferant, ad eum tamen finem omnia faciunt & moliuntur. Certe quum multa multoties in diuersis Synodis dixerint, & scripserint, nunquã tamen Arianæ hæreseos mentionem, ut

malæ,fecerunt:imo ſi quando contigit,ut ex præſentibus aliqui hæreſes crimínarentur, ipſi Arianam à Niceno concilio damnatam excipiebant defendebantq́;,eosq́; qui Ariana dicerẽt,beneuolentiſsime cõplectebantur. Quę res pro inſigni argumento eſt nõ ob ueritatem, ſed ad abolitionem eorum quæ Niceæ acta ſunt,nouas ipſos Synodos comminiſci. Quæ aũt in Synodis ab ipſis ipſorumq́; ſimilibus acta ſunt, rem ita eſſe adhuc magis probãt. Reliquum igitur eſt,ut ſingula quemadmodũ acta ſunt, exponam. Omnibus igitur expectantibus ut in unum conuenirent, quos Imperatoris diplomata euocabant,& unum concilium haberetur,poſtq́; diuiſio facta eſſet,aliíq́; Seleuciam cognomento Tracheiam abiíſſent: aliíq́ Ariminum ſe contuliſſent, ubi Epiſcopi fuere L. & eo plures, uenit etiam ad eundem locum Germinius,Auxentius,Valens,Vrſacius,Demophilus & Gaius:ibi quum cæteri Epiſcopi ex ſacris literis uerba ſua formarent,illi chartulam exhibuerunt,recitatisq́; conſulibus ſub quibus ſcripta erat,poſtulabant, ut ea omnibus Synodis anteponeretur, omiſſa omni de hæreticis quæſtione,nullaq́; habita percunctatione,quo animo aut qua ſententia eſſent, ſed ſcriptis chartulæ ſolummodo cõtentos eſſe debere: ſcripta aũt eorum huiuſmodi fuere.

EDITA EST CATHOLICA FIDES IN PRAESENTIA DOMINI NOSTRI RELIGIOSISSIMI PRAE*clariq́; victoris regis Conſtantij Auguſti æterni,conſulibus clariſsimis viris Euſebio & Flauio Arimini,vndecimo Calendas Iunias.*

CREDIMVS in unum & ſolum & uerum Deum,Patrem omnipotentem, conditorem opificemq́; omnium: & in unigenitum Filium Dei,ante omnia ſecula & initia,& ante omne tempus,quod in intellectum cadere poteſt, exiſtentẽ, & ante omnem comprehenſibilem ſubſtantiam, natum impatibiliter ex Deo, ſolum ex ſolo Patre, Deum de Deo,ſimilem Patri ſuo,qui ipſum genuit,cuius,ſecundũ ſcripturas,generationem nemo nouit, niſi ſolus qui eum genuit Pater: hũc ſcimus Dei unigenitum Filium,nutu paterno aduenisſe è cœlis ad demolienda peccata,genitum ex Maria Virgine,uerſatumq́; cum diſcipulis fuiſſe,& ubi omne officium diſpenſationis adimpleuiſſet, ſecundum Patris uoluntatem crucifixum & mortuum eſſe,& ad inferos deſcendiſſe, atq́; ibi, quod ſui officij erat,peregiſſe,quẽ ianitores inferorum cõſpicati, exhorruerunt, eumq́; tertio die ab inferis reſurrexiſſe,& uerſatum cum diſcipulis fuiſſe,eumq́;,ubi negocia ſua abſoluerat, impletis quinquaginta diebus, in cœlos aſſumptum eſſe,& ſedere ad dexterã Patris,& ultimis diebus reſurrectionis uenturum in gloria paterna,ut tribuat unicuiq́; ſecundum opera ſua: & in Sanctum Spiritum,quem unigenitus promiſit ſe miſſurum humano generi paracletum,quemadmodum ſcriptũ eſt, Vado ad Patrem meum,eumq́; rogabo,& alium paracletum mittet uobis Spiritum ueritatis,ille de me accipiet, & docebit uos,omniumq́; admonebit. Vocabulum porro ſubſtantię,quia ſimplicius à patribus poſitum eſt,& à populis ignoratur, & ſcandalum adfert,

fert,eò quòd in ſcripturis non cõtineatur,placuit ut de medio tolleretur,& nullam poſthac de Deo ſubſtantiæ mentionem eſſe faciendam, eò quòd ſacræ ſcripturæ nuſquã meminere ſubſtantiæ Patris & Filñ:Filiũ autem Patri per omnia ſimilem dicimus,quemadmodũ ſacræ literæ & dicunt & docẽt: quibus recitatis,non longe poſtea cognita eſt iſtorum qui hæc ſcripſerant, uafricies.Epiſcopis enim proponentibus,ut cæterę cum Ariana damnarentur hæreſes,reliquiſq; omnibus in id conſentientibus, Vrſacius & Valens cum ſocijs ſuis abnuerunt, ac deinde cognitum eſt eos nõ ſynceriter ſed ad abolitionem eorum quæ Niceæ acta eſſent, ita ſcripſiſſe, ut infauſtam hæreſim introducerent. Mirantes igitur doloſa eorum hominum uerba, & uafrum inſtitutum,dixerunt ad eos:Nos,non quia fide indigeremus,huc conuenimus:habemus enim ſanam fidem, ſed ut eos qui ueritati contradicunt, & noua molirentur,cõfunderemus.Si igitur uos,quaſi nũc incipientes credere,iſta ſcripſiſtis, nondum clerici haberi poteſtis, ut qui nunc rudimenta Fidei condiſcere incipiatis:Quòd ſi eo animo quo nos,huc ueniſtis,ſit omnium concordia,& hæreſes anathemate execremur,& quę patrum ſunt,teneamus,ne poſthac captatæ cõciliorum occaſiones obuerſentur, quum ſemel illi qui Niceæ cõuenerunt, omnia præoccuparint, & nihil non egerint pro Catholica Fide. Omnibus ergo Epiſcopis ita ſuffragijs inter ſe conſentientibus,illis è diuerſo abnuẽtibus,ac proinde ut inſcitis,doloſis,ac potius hæreticis cõdemnatis, totum concilium ſuis calculis Nicenam Synodũ approbauit, & eam ad omnia ſufficere iudicauit: Vrſacium uero, Valentem, Germinium,Auxentium,Gaium,Demophilum hæreticum pronunciauit, & contra eos ſubmotos ab Eccleſia,ut non uere Chriſtianos,literas ſcripſerunt Romana quidem lingua, ſed in Græcam linguam, quod fieri potuit, ad iſtum modum interpretatas.

EXEMPLAR EPISTOLAE SYNODALIS AD AVGVSTVM CONSTANTIVM.

DEI iuſſu,tuoq; pio edicto olim dogmatib. tradita ita eſſe, ut tradita ſunt,credimus. Nam Ariminum ex omnibus ad Occidentẽ ciuitatibus in unum conuenimus, ut Fides Catholicæ Eccleſiæ cognoſceretur,& qui alterius opinionis eſſent,manifeſti fierent, ibiq; poſt longam deliberationẽ optima uiſa eſt ea fides,quę hactenus uſq; à priſcis temporibus perdurauit,quam & Prophetæ,& Euangelia,& Apoſtoli per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum prædicarunt, qui eſt tui imperij cuſtos,& tuæ ualetudinis defenſor.Statutum igitur ut eam retinentes coleremus,& colentes uſq; ad finem cõſeruaremus.Indecens enim & nefarium aliquid ex rectè & iuſtè decretis, & ex rebus Niceæ publicè cum illuſtriſsimo principe Conſtantino patre tuo per accuratã deliberationẽ conſtitutis,immutare uelle,in quibus tanta doctrina eſt & prudẽtia,ut ea ubiq; deprædicata ad omnium aures animosq; peruenerit,quæ ſola hoſtis & interfectrix Arianæ hæreſeos: & per quam non illa ſola,ſed & reliquæ hæreſes ſublatæ ſunt,in qua certe & addere aliquid temerarium eſt,& auferre periculo-

riculosum. Quorum si alterutrum fiat, erit hostibus quidlibet agendi libera facultas. Atq; ea de causa Vrsacius & Valens iam pridem socij & adstipulatores Ariani dogmatis, à nostra cõmunione, sententia data, segregati fuere, quam ut denuo recuperarẽt, de peccatis suis, in quibus se conscios agnoscebant, pœnitentiam ueniamq; postularunt, ut eorum syngraphæ testantur, & ob id illis uenia gratiaq; delictorum facta est: hæc aũt per id temporis facta sunt, quũ Mediolani Synodus in confessum ibat, præsentibus ibidem Romanæ Ecclesiæ presbyteris, fuitq; proinde nobis persuasissimum, iniquum esse, quum Imperator Cõstans ab obitu suo dignus omni memoria, hanc fidem omni cura & diligentia cõscriptam promulgarit, tum demũ ex quo ille baptizatus ex hominibus, in requiem sibi debitã translatus est, aliquid noui in ea fide moliri uelle, & tot sanctos confessores, martyres huius placiti scriptores authoresq; cõtemnere, qui pro ueteri lege rituq; Ecclesiæ in ea sententia permansere, quorum fidem Deus per Dominum Iesum Christum in tempora tui imperij cõtulit, per quem ita late regnas, ut etiam nostro orbi imperes. Verum denuo miseri isti deplorati animi, nefario ausu impiæ sententię sese præcones ostendunt, & omnia ueritatis decreta conuellere nituntur. Eo enim tempore quo pro tuo edicto Synodus cogebatur, ipsi fraudis suæ consilia denudarunt. Conati enim sunt per uafriciem & tumultum cum socijs istius factionis Germinio, Auxentio, Gaio, cõtentiones discordiasq; seminantibus, nouas res facere. Quarum doctrina una eademq; omne genus blasphemiarum superat: ubi autẽ uiderent, non esse ibi homines eiusdem studij, neq; qui illorum prauis sententijs adstipularentur in nostrum concilium se transtulerunt, ut uiderentur aliud quippiam scribere, sed ipsi non ita diu postea animũ suum ostenderunt. Ne igitur res Ecclesiasticę in easdem molestias cadant, néue turbatio & tumultus denuo omnia inuoluat & confundat, constanter uisum est, olim decreta pro legitimis inconcussim seruanda esse, & istos à nostra cõmunione submouendos esse, atq; ideo legatos nostros ad tuam æquitatem misimus, qui tibi sententiam Synodi ex epistola ostenderent, idq; legatis nostris ante omnia mandatum est, ut ueritatem priscis & iustis rerum allegationibus probarent, & tuæ sanctitati ostenderent, quòd non quemadmodum Vrsacius & Valens inquiunt, pax futura sit, si aliqua ex rebus iustis subuertantur: nam quomodo pacifice agere poterint, qui pacem tollunt? sed potius inde contentionẽ turbationemq; tum reliquis ciuitatibus, tum Romanæ urbi obortiuras esse. Quapropter supplicamus tuę humanitati, ut benignis auribus & sereno uultu nostros legatos intuearis, neq; ad contumeliam mortuorum aliquid noui induci permittas, sed nos sinas in institutis decretisq; maiorũ permanere, quos magno ingenio, prudentia, & Spiritu Sancto omnia fecisse asseuerauimus. Certe res nouæ, quas isti moliuntur, credentibus incredulitatẽ, incredulis crudulitatem inducunt. Iterum te nostris supplicationib. conuenimus, ut iubeas Episcopos peregre cõmorãtes, quos & grauitas ætatis & paupertas affligit, quàm facillime in patriam deduci, ne Ecclesię absentibus Episcopis desertæ relinquantur: id quoq; nostris precibus addimus, quò nihil desit rerum priscarum, nihilq; exuberet, sed omnia firma maneãt, usq; à tem-

à temporibus beati patris tui in hodiernum diem obseruata, ne nos posthac uexari, & à nostris diœcesibus segregari permittas, sed ut Episcopi cum suis populis pace ad preces cultusq; diuinos ocium habeant, orantes pro tuo imperio, salute, & pace, quam tibi in perpetuum diuinitas largiatur: Nostri porro Legati subscriptiones salutationesq; Episcoporum adferunt, qui tuã sanctitatem de hac causa ex ipsis sacris literis edocebunt.

SENTENTIA SYNODI.

QVAMDIV par & possibile erat fratres charissimi, Catholica Synodus & sancta Ecclesia sua patientia & tolerantia pertulit ingeneroseVrsacium, Valentem, Gaium, Germiniũ, & Auxentium, qui aliàs alia sentientes omnes Ecclesias perturbarũt, & nunc in præsentia ausi sunt hæreticas sententias orthodoxæ fidei assuere, & Nicenam Synodum hostem Arianæ hæresis demoliri, suamq; sed peregrinã & alienissimam à sanctissima Ecclesia fidem conscriptam promulgare, quam nos recipere nefarium putauimus. Qui quum iam pridem hæretici essent, etiam nunc deprehensi sunt contraria sentire, quos ad cõmunionem nostrã accedere prohibuimus, eosq; in præsentia nostris uerbis cõdemnãtes, à cœtu fidelium reijcimus: Vos item quod uidebitur de ijs statuite, ut uniuscuiusq; cognitio ex sua subscriptione robur habeat, unanimiter nos Episcopi dicimus, prædicti isti inimici detrahantur ab Ecclesia, ut Catholica Ecclesia in pace permaneat. Et hæc quidem Arimini acta celeriter istiusmodi finem acceperunt. Nemo enim ibi dissensit, sed omnes cõcorditer sua iudicia conscripserunt, & Arianos reiecerunt. Quæ autem Seleuciæ cui Tracheia nomen est, acta fuere, istiusmodi sunt. Mensis erat à Romanis September, ab Ægyptijs Thoth, à Macedonibus Gorpeus nominatus, eius aũt mensis decimasexta secundum Ægyptios dies, in quam qui euocati fuerant, conuenere. Erant autem ibi propemodũ centum sexaginta, ibi quũ multi accusarentur, multi quoq; accusarent, & contra alios uociferarentur, Acacius, Patrophilus, Iunius è Tyro, & Eudoxius, qui in Antiochenã Ecclesiam insiluit, Leontius & Theodotus, Euagrius quoq; & Theodulus, & Georgius ex orbe terrarum abactus, rem callidam instituunt: formidantes enim probationes suorum accusatorũ alios homines hæreticæ factionis, sibi ueluti mercenarios ad impietatem addictos, & à Secundo per Synodum maximã exauctorato, ad ordines Ecclesiasticos promotos in societatem adiunxere, inter quos fuere Libyci homines Stephanus, Siras, & Pollux de diuersis criminibus accusati, istis addidere Pancratium, Ptolomæum, & Meletianum quendam, sub ea specie quasi uidelicet de fide inquirere uellent: uerum non ita fallere potuerunt, quin intellectum sit eos metuere accusatores, & hæresim defendere: postea secessione facta discisi sunt, aliijq; Acacio, sed pauci & suspecti adhæsere: alij uero qui illum reliquerant, magno numero fuere. Acacius autẽ cum suis immani uecordia audaciaq; plane abnegarunt Niceni concilij scripta, ipsam Synodum diffamantes: alij uero ijq; permulti, reliqua Synodi approbabãt, solũmodo de uoce consubstantialitatis quasi obscurę

cauillan-

cauillantes: ibi quum diutius cõmorarentur, accusatoribus grauiter incumbentibus, reisq; se in fugã penetrantibus, & ob hoc in maiori impietate uersantibus, Dominumq; blasphemantibus, multitudo Episcoporum indignatione concitata, Acacium quidem Patrophilum, Vranium, Eudoxium, & Georgium ex Hypodectis, ab Ecclesia summouerunt, nõnullos item ex Asia Leontium, Theodosium, Euagrium, Theodulum: cõmunione uero spoliauerunt Asterium, Eusebium, Angarum, Basilicum, Phœbum, Phidoliũ, Eustathiũ, Eutychium, & Magnum, eò quòd citati ad causam dicendã de criminibus, quibus accusati erant, nõ cõparuerint: censueruntq; eos incommunicabiles habendos, donec se legitima defensione puros ostenderent: & literis missis ad cuiusq; istorum parœciam sententiã contra eos datam promulgauerunt, atq; ita profecti sunt ad pñsimũ Imperatorem Constantiũ, ut illi acta renunciarent: ita enim illis mandatum fuerat: Tali exitu Synodus Seleuciana clausa est. Quis igitur non approbauerit piam prudentiam Episcoporum Arimini congregatorum, qui tantum itineris laborem, tantaq; pericula maris sustinuerunt, ut Arianicè sapientes ab Ecclesia detraherent, & partum traditiones integras conseruarent, sancta & canonica decreta facientes? Quisq; enim eorum sibi persuadebat, si solueret aliquid ex decretis maiorum, occasionem se daturum posteris, ut quod ipsi egissent, rescinderetur. Quis autem quæso non uituperaret temeritatem Eudoxij & Acacij, qui honorem patrum suorum Ariomanitarum studio & gratiæ propinant & produnt? Quæ enim fides in eorum actis, si decreta maiorum suorũ soluant? aut quomodo eos, quibus succesſere, patres suos appellabunt, quorum sententias ipsi culpãt? & prẽsertim Acacius, quid nam Eusebio suo magistro respondebit? qui non solum Synodo Niceæ subscripsit, sed per epistolam suis populis significauit, eam esse ueram fidem, in quam in Nicena Synodo consensum fuit? Et si enim, ut uoluit, se per epistolam excusaret, uoces tamen Synodi non repudiauit. Quin & Arianos criminatus est, quòd dicentes, Nõ erat Filius priusquã nasceretur, eum ne ante Mariam quidem uoluerint extitisse. Quid uidelicet docebunt populos ab ipsis institutos? an patres suos lapsos esse? aut quomodo ipsi ueri apud discipulos suos habebuntur, quibus persuadent præceptoribus credendum non esse? Quibus porro oculis intuebuntur monumenta patrũ suorum, quos ipsi hæreticos nominant? aut quo ore Valentinum, Phrygias, & Manichæos culpabunt, quum eadem cum ipsis loquantur? aut quo iure ipsi Episcopi esse poterint, si ab hæreticis quos ipsi criminantur constituti sunt? Quòd si illi male senserunt, & scriptis suis orbem terrarum seduxerunt, cesset omnino eorum memoria, & scripta illorum abñciantur. Ite ergo uos ipsi, & eruite eorum reliquias ex monumentis, ut ab omnibus intelligatur, & illos fuisse seductores, & uos parricidas esse. Certe beatus Apostolus laudat Corinthios, quòd ubiq; sui memores essent, & quòd traditiones quas tradidisset illis, retinerẽt. Isti igitur quum talia de suis antecessoribus cogitent, prorsus contraria ad populos non uerebuntur dicere. Non laudamus uos quòd memores estis patrum, sed eo nomine potius uos cõmendamus, quòd eorum traditiones non retinetis. Superest, ut ipsi generis sui ignobilitatem culpent, & dicãt se

non

Z.

non ex pῆs,sed ex hæreticis originem trahere.Istiusmodi enim uerba ipsos loqui decet ad Arianos,quibus,ut antea admonui,patrum honorē & suam salutem propinant,nec metuunt illud quod in Prouerbῆs scriptum est, Ma Prou.13
la soboles patrem execratur. Vos aūt nihil tale cōmittite, necꝫ improbitatē illorum,ueritatem putate:Nam & ipsi in se mutuo insurgunt, & à patribus suis deficientes,nō tuentur eandem sententiam, sed uarῆs & multiplicibus mutationibus iactantur: & aduersus Nicenam Synodum contendentes, multas Synodos instituerunt, in quarum singulis nouam semper fidem edentes,in nulla earum perdurare possunt,necꝫ unc̄ꝫ aliter facient,quoniam male quærendo,non inueniunt sapientiam,quam odere. Subiūxi igitur necessario aliqua ex parte scripta Arῆ, cæteraćꝫ, quæ isti in diuersis concilῆs promulgarunt,ut perspicere possitis non sine admiratione, qua de causa aduersus orbis terrarum conciliū, & patres suos contentiosus Arius ipsiusćꝫ sectatores remittere sese nolint,ac proinde eos, quum dicerent ex non entibus Deum suum Filium condidisse, Filiumćꝫ eum appellasse: & Dei Verbum in numero creaturarum esse:& fuisse, quando non erat:& mutabile id esse,possećꝫ ubi uelit sese mutare,ab Ecclesia per beatum Alexandrum reiectos fuisse, Ariumćꝫ ita ab Ecclesia summotū, dum apud Eusebium cōmoraretur,suam hæresim scripto complexū esse,qui in Thaleia, neminem prudentium imitatus nisi solum Ægyptium Sosaten ad eius indolem & mollitiem numerorum multa conscripsit,quorum hæc aliqua portiuncula est.

BLASPHEMIAE ARII.

IPSE Deus secūdum essentiam suam omnibus ineffabilis est, & solus ille nihil simile sibi,aut quod paris sit gloriæ,habet.Ingenitum aūt eū dicimus,ad distinctionē eius qui natura est genitus, eumćꝫ principio carentē celebramus,ob eum qui principiū habet,Æternū uero prædicamus,ob eū qui in tēpore extitit,Filiūćꝫ initiū creaturarum fecit,ipse minime initiatus:eumćꝫ tulit & in filiū sibi adoptauit proratione,sed tamen suæ substantiæ propriū Filiū non habet:nam adoptitius iste,nec illi par,nec consubstantialis est. Sapiens uero est Deus, quoniam ipse est sapientiæ magister.Euidens quoꝫ res, Deum omnibus, qui per Filium sunt,inuisibilem esse,atꝫ adeo ipsi Filio inuisibilem esse. Diserte autē loquar:quomodo à Filio uideri posset,qui est inuisibilis:sed tamen propotestate ea qua Deus potest uideri,proćꝫ suis modulis quatenus fas est, Filius suffert Patris conspectum:igitur Trinitas est,sed maiestate non pari, impermixtilesćꝫ sibi inuicem eorum subsistentiæ:altera enim altera glorioſior gloria,idćꝫ in immensum. Alienus externusćꝫ est quantum ad substantiam attinet,Pater à Filio,quoniam principio caret.Intelligitur ergo,unitate consistente,binitatem non fuisse, priusc̄ꝫ ea existeret: Filio enim nondum existente,statim relinquitur, Patrem tantūmodo Deum fuisse, ac proinde Filium tum non extitisse, eumćꝫ factū esse uoluntate Paterna unigenitū Deū. Ab utroꝫ istorum alienus est ille qui Sapientia dicitur,Sapientia Dei uoluntate extitit. Indicatur autē infinitis rerum uocabulis dum Spiritus, Vir-

tus, Sapientia, Gloria Dei, Veritas, & Imago, & Verbum appellatur. Intellige item eum & Splendorem, & Lumen animis fingi & cogitari. Æquale est Filij gignere: potens est qui melior, Excellentiorem aũt quàm uel meliorem, uel maiorẽ. Nónne Dei uoluntate Filius quantus quantus est, aliquando & alicunde euasit? & tum hoc à Patre accepit, quũ illi obuenit. Deus robustus quum sit, præstantiorem aliqua ex parte hymnis celebrat. Vt compendio dicam, Filio Deus ineffabilis est: est enim sibi quod est: hoc est, indicibilis. Quapropter nihil eorum, quæ secundum cõprehensionẽ dicuntur, nouit eloqui filius. Impossibile est enim ei Patrem inuestigare, qualis in se est, quoniã ipse Filius suam ipsius substantiam ignorat, & quia Filius est, uoluntate patris uere extitit. Quæ igitur ratio concedit, eũ qui ex Patre est, patrem intellectu assequi posse? Certum est, illud quod initium habet, id quod initio caret, prout est, animo complecti, aut quale sit, comprehendere non posse. Quæ uero per epistolã ad beatũ Alexandrum scripsere, sunt ista.

BEATO PAPAE EPISCOPO NOSTRO ALEXANDRO, PRESBYTERI ET DIACONI IN *Domino*, SALVTEM.

FIDES nostra iam usq; à maioribus nostris, & quam à te didicimus beate Papa, hæc est. Agnoscimus unũ Deum, solum ingenitum, solum æternum, solum nullo principio inchoatum, solũ uerum solum immortalitate præditum, solum sapiẽtem, solum bonum, solum potẽtem, omnium iudicem, gubernatorem, dispensatorem immutabilem, & inalterabilem, iustum & bonum, Legis & Prophetarum & Noui Testamenti Deum, qui genuit Filium unigenitum ante tempora æterna, per quem secula & reliqua condidit, eumq; genuit non opinione fictum aut cogitatum, sed reuera subsistentem, eumq; subsistere fecit sua uoluntate, immutabilem & inalterabilem: creaturã Dei perfectam, sed tamen non ut aliquid ex creaturis: genitum quiddam, sed non ut aliquid ex genitis: non ut Valentinus tradit, proiectum quiddam Patris: neq;, ut Manichæus docuit, gennima Patri cõsubstantiale: neq;, ut Sabellius ait, unitatem diuidens Filiopatrem: neq;, ut Hiericas, lucernam ex lucerna: neq; ut facem in duo, neq; ut is qui prius erat, posterius sit natus aut conditus in Filium. Quemadmodum & tu beate Papa in media Ecclesia de solio tuo discipulis tuis subinde exposuisti: uerum ita ut dicamus eum uoluntate Dei, ante tempora & secula conditum, uitam, essentiam, & gloriam à Patre accepisse, consubsistente cum eo Patre: Non enim Pater tradita illi omnium rerum possessione, seipsum ijs quæ innascibiliter habet, spoliauit. Est enim fons omnium, adeo ut tres sint subsistentiæ. Ex ijs Deus, qui est author omnium solissimus, principio caret: Filius uero sine tempore à Patre genitus, & ante secula conditus & fundatus, non erat priusq; gigneretur, sed intemporaliter ante omnia genitus, solus unusq; per Patrẽ extitit: Non eñ æternus est, aut coæternus, aut coingenitus cum Patre, neq; simul cum Patre essentiam na-

ctus

Z.

ctus est,ut quidam dicunt,duo principia ingenita introducentes,sed ut De us unitas principiumq; omniũ, ita ante omnia existit, ac proinde Filio suo prior est,quemadmodũ & à te didicimus in media Ecclesia cõcionante. Vt igitur Filius à Deo essentiam,gloriam & uitam habet,ita quoq; omnia dono à Patre accepit, prout Deus principiũ eius est. Est enim Deus princeps illius utpote essentia prior. Quòd si hæc dicta,Ex eo,&,Ex uẽtre,&, Ex Patre prodij,& uenio,pro parte aliqua cõsubstantiali capiantur,ut aliquid de sectum ex Patre Filius,ut à nonnullis fit, intelligatur, profecto sequitur ut ipse Pater cõpositus, partibilis & mutabilis habeatur. Ista sunt ex aliqua parte,quæ Ariani ex hæretico suo corde,anteq; Niceæ haberetur conciliũ, euomuerunt,Eusebius item Narcissus,Patrophilus,Maris,Paulinus,Theodotus, & Athanasius Nazarbonensis similia scripserunt. Eusebius porro Nicomediensis magnificis uerbis Ariũ in epistola laudauit, Quũ recte inquiens sentias,opta cunctos ita sentire:cuiuis enim liquet, id quod factum est,non prius fuisse,quàm conderetur,& quod natum est,nascendi initium habuisse.Eusebius quoq; ex Cęsarea Palęstines in literis ad Episcopum Euphrationem non ueritus est palam dicere,Christum non esse uerum Deum: & Athanasius ex Nazarbis hæresim adhuc nudius retexit, unum ex centum illis ouibus Filium Dei appellantes:In scriptis enim suis ad Episcopum Alexandrum,ausus est dicere,Quid obtrectas Arianis? si dicunt ex non entibus Filium ut creaturam cõditum esse? unumq; ex rerũ uniuersitate esse? Nam ille unus est ex centum ouibus, quæ per parabolam repræsentant res omnes creatas.Si igitur centenæ illæ non sunt creaturæ,aut res factæ, aut si alicui aliquid ex centenis istis plus est q̃ cæteris, esto, habeatur Filius neq; creatura,neq; aliquid ex uniuersitatis numero: Sin aũt omnes ex illa centuria,res cõditæ sunt, & factæ: & nihil est præter istam centuriam, nisi unus dũtaxat Deus:quid quæso Ariani absurdi loquũtur, si in centuria ista Christum cõnumerantes,& unum eum ex uniuersitate rerum appellarunt? Georgius uero,qui nunc Laodiceæ est,& per id tempus presbyter Alexandrinus erat,& Antiochiæ cõmorabatur,ita ad Alexandrum Episcopũ scripsit. Conquereris de Ario,quũ dicit,Erat, quando non erat Filius. Certe Esaias filius fuit Amos,Amosq; prius fuit, quàm gigneretur Esaias. Neq; Esaias prius erat,sed postea substitit.Idem rursus ad Arianos scripsit. Quid expostulatis cum Alexandro Papa sermocinante, ex Patre esse Filium? imo ne uos quidem reformidare debetis,Filiũ dicere ex Deo esse.Nam si Apostolus scripsit cuncta ex Deo esse,& certum est, cuncta ex non entibus ad essentiam producta & facta esse,Filiumq; creaturam esse,& unum ex rebus conditis,recte ad eum modum dici potest, Filium ex Deo esse, quemadmodũ omnia ex Deo esse dicuntur.Ex hoc homine didicere Ariani simulanter agnoscere hoc dictum ex Deo esse,& uerba quidem pronunciare,sed tamen ut animo male sentiant. Ipse porro Georgius ab Alexãdro ob alia quidem crimina,sed potissimum tamen ob impietatem reiectus est, quum esset illius presbyter,quemadmodũ superius dictum est. In summa ita omnes scripsere,ut singuli uiderentur certare & contendere, quis eorum impietatem hæreseos magis amplificaret,& apertius renudare posset. Epistolas aũt eo-

rum apud me non habui, ut eas ad uos remittere liceret, alioquin ipsa exemplaria ad uos dedissem. Deo aũt uolente, ubi ea nactus fuero, ad uos transmittam. Quin & Asterius Cappadox sophista multiceps unus ex socijs Eusebianis quoniam idolis in priore persecutione, quæ fuit sub auo Constantij immolauerat, & propterea nequiret in clerum cooptari, de sententia Eusebij opusculũ fecit, quale & ipse uolebat, & quod sceleri immolationis magnitudine responderet, in quo locustam & erucam cum Christo cõparat, imo Christo anteponit, aliamq; quàm Christum, in Deo sapientiam collocat, Christi & mundi conditricem. Obambulat ille per Syriam, & per alias Ecclesias ex cõmendatione Eusebij, ut semel Christũ abnegare doceat, atq; ea sæuitie contra ueritatem utitur. Adscendit igitur homo audacissimus ad loca minime sibi licita, sedensq; in gradibus clericorum, publice suũ opusculum, quamq; id multi grauiter ferrent, recitauit. Liber aũt ille multis uerbis constat, uerum ex eo has particulas desumpsi. Non enim beatus Paulus dixit, se prædicare Christum propriam Dei uirtutem aut sapientiam, sed sine ullo additamento uirtutem Dei & sapientiam Dei: esse enim alterã propriam Dei uirtutẽ, insitam Deo & coexistente sine generatione, eandemq; & Christi genitricem, & creatricem totius mundi esse, de qua in epistola ad
Rom. 1 Romanos ita loquutus est, Inuisibilia enim ipsius ex mundi creatione per opera ipsa animaduersa perspiciũtur, necnon & æterna eius potentia & diuinitas. Quemadmodũ enim diuinitatem istam, de qua hic mentio est, nemo dixerit Christum esse, sed eum ipsum Patrem esse, ita arbitror eius propriam uirtutem non congenitum Deum, sed genitorem esse, aliamq; Paulũ in eo loco docere sapientiam Dei, nimirum eam, quæ per Christum declaratur, & per eius opera ministeriaq; innotescit. Idem rursus, Atqui æterna eius potestas & sapiẽtia, quam nullo principio inchoatam & ingenitã rationes ueritatis ostendunt, una eademq; haud dubie fuerit. Sed tamen singulatim ab eo plurimæ conditæ sunt potestates & sapientiæ, quarum primogenitus & unigenitus est Christus, quæ quidem omnes similiter à conditore pendent, eiusq; qui ipsas creauit, & usurpat, iure meritoq; dicuntur esse. Quale est quod Propheta locustam pro pœna humanorum scelerum diuinitus illatam, non uirtutem tantũmodo, sed & magnam uirtutem Dei nuncupat. Quin & beatus Dauid in multis Psalmis non ab angelis dũtaxat, sed à uirtutibus Deum laudari iubet, & omnibus ad hymnos inuitatis, magnã ad id multitudinẽ conuocat, quos & ministros Dei appellat, & eius uoluntatem facere cõmonstrat Hæc ausus contra Christum, nondum adhuc conquiescere potuit sed & ulterius suas blasphemias extẽdit, quũ dicit, Vnum ex rerum uniuersitate esse Christũ: primus enim est rerũ conditarum, & unus ex naturis intellectualibus. Et ut sol inter ea quæ oculis uisuntur, unus est ex luminibus, quum tamen uniuerso mundo secundum ordinem mandatumq; conditoris luceat, ita quoq; & Filius unus ex intellectualibus naturis, omnibus qui in mundo intellectuali sunt, lucet ac splendet. Idem rursus dicit, Erat, quando non erat, ubi ita scribit, Priorem generatione Filij Pater habebat generandi scientiam, uti medicus ante medicinã datam, medendi tenebat rationem. Idem rursus ex benefaciẽdi studio conditus est Filius,

& ex

Z.

& ex ſuperabundantia poteſtatis fecit illum Pater. Item, Si uolũtas Dei continuo ductu penetrat per omnia opera, certe Filius opus habendus fuerit, quum uoluntate Patris genitus & factus ſit: Hæc quidem ſolus Aſterius ſcribit: Euſebiani uero in cõmune cũ ipſo animis ſentiunt. Iſtæ nimirum ſententiæ ſunt, pro quibus cõtendunt, ob iſtas cum ueteri Synodo bellum gerunt, eò quòd non eadem à patribus, qui ibi in cõſeſſu fuere, ſcripta ſint, ſed potius hæreſis ab illis damnata ſit, quam iſti ſtabilire ſatagunt. Inde nimirũ eſt, quòd Aſterium immolatorem dæmoniorum, & ſophiſtam impietatis anteſignanũ faciũt, ut nihil parcat cõtra dominũ loqui, aut ſimpliciores eloquentia ſeducere. Verum ignorant ſtolidi id ſeſe in ſuam noxam facere. Fœtor enim uictimarũ idolis Cæſarũ in anteſignano ſuo iſtam hæreſim Chriſto hoſtilem & perduellem eſſe, euidentius demonſtrat. Nec aliud in cauſa eſt, quur omnia motibus & tumultibus miſcere ſtudeant, perſuaſi ſi quàm plurimos occidant, & ſingulis menſib. Synodos faciant, fore, ut ſententia in Arianos lata obliteretur. Videnturq; mihi aut plane ignorare, aut ignorãti am callide ſimulare, quaſi neſcirẽt etiã ante concilĩũ Nicenũ hæreſim iſtã abominabilem fuiſſe, quo tempore Artemas eius fundamẽta iaciebat, & ante Artemam æque abominabilem ſub Caipha & Phariſæorum concilio fuiſſe, & nullo nõ tempore officinam Chriſto hoſtilem omnibus execrabilem uideri, neq; unq; ab odio liberã futuram, eò quòd adamabile ſit Chriſti nomen, uniuerſaq; rerum natura genua illi flectat, & confeſsionibus agnoſcat Dominum Ieſum Chriſtum eſſe in gloria Patris. Illi tamen faciẽdis uniuerſalibus concilĩjs nondum fatiſcunt. Euſebiani certe in Niceno conuentu ab Eccleſia reiecti, poſtmodum inuadentes impudentes Eccleſias, cœpere Epiſcopis, ſi qui cõtradicerẽt, inſidias ſtruere, & pro ĩjs ſubmotis, hæreticos in Eccleſias inducere, ut quando uellent, Synodos cogerent, habituri eos ſibi adſtipulatores, quos ob id de induſtria ad Epiſcopalẽ ordinẽ ſubuexerunt. Coeunt igitur Hieroſolymis, & iſtiuſmodi ſcribunt.

Philip. 2

Ibidem

SANCTA SYNODVS HIEROSOLYMIS COACTA, ECCLESIAE DEI QVAE EST ALEXANDRIAE ET *per Aegyptum, Thebaida, Libyam, Pentapolim, reliquiſq; per orbem Epiſcopis, presbyteris, & diaconis in Domino,* SALVTEM.

OMNIBVS nobis ex diuerſis prouincĩjs in unũ cõgregatis, ad Panegyrim celebrandã pro dedicatione martyrĩj Saluatoris, quod religioſiſsimus Imperator Deo omnium regi & Chriſto eius ædificauit, maiorem nobis animorum lætitiam, Dei gratia, literæ eiuſdem religioſiſsimi Imperatoris præbuerũt, quibus nos ad ea quæ oportuit inſtigans, omnem inuidiam ab Eccleſia Dei expellit, & omne odiũ procul abigit, per quæ Chriſti membra iam pridem diſſidebant, authorq; fuit ut ſimplici & placido animo reciperemus Arianos, quos aliquãdiu improba inuidentia extra Eccleſiam detinuit, & uiris iſtis de rectitudine fidei in literis ſuis teſtimonium præbet, quam quum antea fama audiuerat, ipſe eandem

dem ex uiua eorum uoce cognouit, cognitamq; approbauit, eamq; rem nobis manifestam reddidit, eò quòd literis suis orthodoxas eorum uirorũ opiniones scripto cõprehensas subiunxerit, quas omnes agnouimus sanas, & Ecclesiasticas esse, quapropter iure admonuit, ut uiri isti reciperentur, & coadunirentur cum Ecclesia Dei, ut uos ex epistolæ illius exemplaribus cognoscetis, quæ nos ad pietatem uestram misimus. Credimusq; uobis ipsis ueluti propria membra uestri corporis recuperantib. magnum ex ea re gaudium lætitiamq; oboriturã, dum ipsi uiscera uestra, fratres scilicet & patres agnoscitis, & recipitis, non solum presbyteris Arianis, sed uniuerso populo cum omni multitudine uobis restituto, quæ ob causam istorum uirorum longo iam pridem tempore à uobis dissidebat, deceteq; uos cognitis quæ hic acta sunt, quodq; isti uiri nobiscum cõmunicauerũt, & à tanta Synodo recepti sunt, eq; promptissime eos, ut membra Ecclesiæ coeãt & in pace sint, cõsalutare, maxime, quòd promulgata, & publice edita eorum fides indubitatam, & apud omnes approbatam Apostolicam traditionem, & doctrinã cõplectatur. Tale Synodorum exordiũ fuit, in quo q; celerrime sua studia quæ ulterius dissimulare nequibant, non prodidere. Siquidem eo ipso, q; dicerent, depulsam esse omnem inuidiam, & quia post Athanasij exiliũ scribebant Arium cum suis recipiendum esse, satis indicarunt, sese non alia de causa Athanasio, cæterisq; Episcopis, quos sibi refragatores sentiebant, insidias struxisse, quàm ut Ariũ reducerent, & hæresim introducerent. Et quãquam omnem Arij dementiam in hac Synodo laudassent, & in cõmunionem eos recipiendos esse statuissent, idq; iam pridem re præstitissent, tamen adhuc aliquid suæ uoluntati deesse existimantes, Antiochiæ nouam Synodum per causam encæniorum coegerũt, & quia ab omnibus de hæresi male audiebant uarijs modis, alia aliter scripserũt. Quæ aũt in una epistola scripserunt, sunt ista. Nos certe Arij acoluthi sectatoresq; non sumus, neq; quum sumus Episcopalis ordinis, presbyterum sequimur, neq; aliam fidem præterq; ab initio traditam, recipimus, quinimo nos ipsi eius fidei examinatores probatoresq; facti, potius eum admittimus, quàm sequimur, quod ex uerbis nostris cognoscere licebit. Didicimus enim ab initio credere, esse unum Deum totius uniuersitatis Deum, omniumq; intelligibilium sensibiliumq; opificem, & procuratorem: & in unum Filium Dei Vnigenitũ, ante omnia secula existentem, & coexistentem cum Patre suo, per quẽ omnia facta sunt, tam uisibilia quàm inuisibilia, eundemq; sub extrema tempora secundum Patris sui placitum descendisse, & carnem ex Virgine accepisse, & postq; omnem Patris sui uoluntatem adimpleuisset, passum esse, & resurrexisse, & in cœlum redijsse, & ad dextram Patris sedere, ac denuo uenturum ad iudicandum uiuos & mortuos, credimus quoq; in carnis resurrectionẽ, & uitam æternam. Quæ aũt in alia epistola iterum per idem festum Encæniorum edidere, quum priorum pœnituisset, nouaq; excogitassent, sunt ista. Credimus congruenter pro Euangelica & Apostolica traditione in unum Deum, Patrem omnipotentẽ, uniuersitatis conditorem, & opificem, & procuratorem ex quo omnia: & in unum Dominũ Iesum Christum Filium eius unigenitum Deum, per quem omnia: eumq; natum esse ante secula

Z.

cula ex Patre, Deum ex Deo, totum ex toto, solum ex solo, perfectū ex perfecto, regem ex rege, Dominum ex Domino, Verbum uiuum, Sapientiam uiuam, Lumen uerum, uiam, ueritatem, resurrectionem, pastorem, ianuam, immutabilem & inalterabilem Deitatis substantiæ, Voluntatis, Potentiæ & gloriæ Patris sine omni dissimilitudine imaginem, primogenitū omnis creaturæ, eundemq; in principio apud Deum Verbum esse, quemadmodum in Euangelio dictum est, Et Deus erat Verbum, per quē omnia facta sunt, & in quo omnia subsistunt: qui sub extremos dies è supernis descendit, & ex Virgine natus est secundū scripturas, eumq; hominē factum mediatorem Dei & hominum, & Apostolum Fidei nostræ, & principem uitę esse credimus, quemadmodum dicit, Ego descendi è cœlo, non ut facerem uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me, eundemq; pro nobis passum esse, & resurrexisse tertia die, & adscendisse in cœlos, & sedere ad dextram, & iterum uenturum cum gloria & potestate ad iudicandum uiuos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum, ad cōsolationem & sanctificationem & cōsummationē credentibus datum: quemadmodū Dominus noster discipulis præcepit, dicens, Abite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Patris inquā uere Patris, Filij uere Filij, Spiritus Sancti uere Spiritus Sancti, non ut hæc simpliciter uocabula habeantur absq; rebus, sed ut singulorum propria persona, ordo & gloria intelligantur, adeo ut terni sint ratione personarum, unus tamen per concordiam. Hanc igitur fidem retinentes, imo ab initio usq; ad finē eam possidentes coram Deo & Christo eius, omnes hæreticorū prauas opiniones anathemate detestamur, & si quis præter rectam sacrarum literarum fidem, docet tempus aut momentum aut seculum esse, aut fuisse, priusquā Filius gigneretur, anathema esto, aut si quis Filium creaturam pro ratione cæterarū creaturarum dicit, & non, ut sacræ scripturæ tradiderunt, alterum ex altero existere: Aut si quis quippiam præcipit, aut euangelizat, præter ea quæ accepimus, anathema sit. Nos enim omnibus per sacras literas proditis, & à Prophetis & ab Apostolis traditis, uere & reuerenter credimus & sequimur. Theophronius porro Episcopus Tyanensis istiusmodi fidē à se compositam in præsentia omnium promulgauit, cui omnes, hominis religione approbata, subscripserunt. Nouit Dominus, quem testem aduersus animā meam inuoco, quòd credo in unum Deum, Patrem omnipotentē, uniuersitatis conditorem & authorem, ex quo omnia: & in Filium eius unigenitū, Deum, Verbum, Potentiam & Sapientiam, Dominū nostrum Iesum Christum, per quē omnia, eumq; genitum esse, ex patre ante secula, Deum perfectum ex Deo perfecto, & apud Patrē existere in sua persona, & ultimis diebus descendisse, genitumq; ex Virgine esse secundum scripturas, & postquam homo factus esset, passum esse, & resurrexisse è mortuis, & in cœlos ascendisse, & sedere ad dextram Patris sui, eundemq; iterum uenturum esse cum gloria & potentia, ad iudicandum uiuos & mortuos, eundemq; permanere in secula. Et in Spiritum Sanctum cōsolatorem, Spiritum ueritatis, quem etiam per Prophetam promisit Deus se effusurum super seruos suos, & quē Dominus discipulis suis pollicitus est, & secundum pollicitationem

Ioan. 1
Ibid.
Ioan. 4
Mar. 16

miſit,ut Acta Apoſtolorum teſtantur. Si quis igitur præter hanc fidem docet,aut diuerſa in animo retinet,anathema eſto,aut quæ Marcelli Angerenſis,Sabellij,aut Pauli Samoſatenſis ſunt,ſapiat, & ille quoq; anathema eſto, & quicunq; cum eo cõmunicãt. Fuere aũt numero, qui tempore Encæniorum conuenerant, nonaginta,conſulibus Marcellino & Probino,indictione decimaquarta, præſente ibidem impijſsimo Conſtantio. Hæc cum Antiochiæ per tempora Encæniorum egiſſent, ne tum quidem arbitrati ſatis perfecte fidem ſuam cõſcriptam eſſe, utpote homines turbido fluctuantiq; animo,aliud ſcripturæ genus de fide poſt aliquot menſes conficiunt,amandantq; in Gallias Narciſſum,Marim,Theodorũ,Marcũ, qui quaſi à Synodo emiſsi, iſta beatæ memoriæ Conſtanti Auguſto, cæterisq; qui ibi aderant,tradiderunt:Credimus in unum Deum,Patrem omnipotentẽ, conditorem & factorem rerum, ex quo omnis Paternitas & in cœlis & in terris, nomen mutuatur. Et in unigenitum eius Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ante omnia ſecula ex Patre genitum, Deum ex Deo, Lumen de Lumine,per quem omnia facta ſunt in cœlis & in terris,ſiue ea uiſibilia ſint, ſiue inuiſibilia, eundemq; Verbum eſſe, Sapientiam, Virtutem, Vitam,& ueram Lucem, qui propter nos poſtremis temporibus homo factus eſt, & genitus ex ſancta Virgine, eundemq; credimus crucifixum, mortuum, ſepultumq;,tertio die ex mortuis reſurrexiſſe, aſſumptumq; in cœlum,reſidere ad dextram Patris,& uenturũ eſſe in conſummatione ſeculorum,ut iudicet uiuos & mortuos, reddatq; ſingulis ſecundum opera ſua. Cuius regnũ indeſtructile permanet in infinitas ætates,Sedebit enim ad dextram Patris, non ſolum in hoc ſeculo,ſed etiam in futuro. Credimusq; in Spiritum Sanctum, hoc eſt, paracletum, quem pollicitus Apoſtolis, poſt reditũ ſuum in cœlos,miſit, ut eos erudiret, omniaq; illis in memoriã ſubijceret,per quem animæ ſanctificantur,quæ in illum ſynceriter credunt. Eos porro qui dicũt Filiũ ex non ente,aut ex alia ſubſiſtentia, & non ex Deo eſſe,aut erat, quando nõ erat Filius,alienos à ſe cenſet Catholica Eccleſia. Rurſus quaſi iſtorum pœnitentiam laborarent, poſt triennium iterum in cõſeſſum ueniunt: amandantq; Eudoxium Cilicem, & cum eo nõnullos ad Italiam ſecum deferentes,fidem multis uerbis cõſcriptam, & cum pluribus, præter ſuperiores,appendicibus inſtructam:nam quaſi rectiora ac magni momenti excogitaſſent,operæprecium ipſis uiſum eſt hoc iter ſuſcipere. ſunt aũt iſta: Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, conditorem factoremq; omnium, ex quo omnis Paternitas in cœlis & in terris nominatur. Et in unigenitum eius Filium,Dominum noſtrum, ante omnia ſecula ex patre natũ: Deum ex Deo, Lumen ex Lumine, per quem omnia facta ſunt in cœlo & in terra, tum uiſibilia tum inuiſibilia, eundemq; Verbum eſſe, Sapientiam, Potentiam,& Vitam;& Lucem ueram,qui ultimis diebus propter nos homo factus,& genitus ex Maria Virgine, crucifixus, & mortuus eſt,& reſurrexit tertia die à morte,& in cœlum ſubuectus eſt,ſedetq; ad dextrã Patris, & uenturus eſt in cõſummatione ſeculi ad iudicandum uiuos & mortuos, & reddendum unicuiq; ſecundum opera ſua, cuius regnũ indeſinens permanet in infinitas ætates. Sedet enim ad dextram Patris non ſolum in hoc

ſeculo,

seculo,sed etiam in futuro. Credimus item in Spiritũ Sanctum, hoc est, paracletum,quem quum pollicitus esset Apostolis post reditum suum in cœlos,misit,ut doceret eos & cõmonefaceret omnium, per quem animæ,quæ in illum synceriter credunt,sanctificantur. Eos aũt qui dicunt, Deum ex nõ ente extitisse,aut ex alia subsistentia,& nõ ex Deo,& quòd tempus ante seculum aliquod fuit, quoniam nondum esset Filius, alienos à se censet & agnoscit Sancta & Catholica Ecclesia. Similiter & eos qui dicunt tres esse Deos,aut Christum non esse Deum,aut ante secula,eum nec Christum nec Dei Filium fuisse,aut eundem esse Patrem,& Filium,& Spiritum Sanctum: aut Filium ingenitũ, aut quòd non de consilio suo & uoluntate Pater Filiũ genuerit,hos omnes anathemate ferit Sancta & Catholica Ecclesia. Non enim tutum est dicere Filium ex nõ ente ad essentiã prodijsse, eò quòd illud in sacris literis nusquam de Filio feratur. Neq; illum ex ulla alia substantia præexistente,& quæ Pater non esset,genitum esse,sed solum ex Deo genuinè & naturaliter natum esse definimus. Vnum enim ingenitũ & nullo principio inchoatum Christi Patrem sacra scriptura cõmonstrat. Sed neq; illi, qui subtiliter dicunt fuisse aliquando,quando non erat, ex literis quæ sacrę scripturæ non sunt, temporale aliquod interstitium, quod ante ipsum fuerit,cogitare debent, sed solum dum intemporaliter Deum genitum esse, eò quòd tempora & ætates per eum sint conditę,nõ tamen eum coinexordiatum & coingenitum cum Patre existimare fas est. Neuter enim proprie siue Pater siue Filius coinoriginatus,aut coingenitus, ut ea parte collegã habeat, dici potest. Sed patrem solum nullo principio inchoatũ ineffabiliter, & omnibus incõprehensibiliter ante secula genuisse agnoscimus,ac proinde Filium non itidem,uti Patrem, ingenitũ dici posse, sed principem exordiumq; sui patrẽ habere qui ipsum genuit. Caput enim Christi Deus. Neq; tamen ob id,quia ternas res,& tres personas Patris,& Filij,& Spiritus Sancti secundum scripturas cõfitemur,tres Deos facimus. Quoniã perfectum ingenitum,& nullo principio inchoatum, inuisibilem unum Deum agnoscimus,Deum & patrem unigeniti,qui solus ex se habet id ipsum quod est, solusq; omnibus alijs benigne largitur ut sint: non tamen, quia unum solũ Deum esse Patrem Domini nostri Iesu Christi,unumq; ingenitum profitemur,ideo Christum Deum ante secula esse abnegamus, qualia faciũt Pauli Samosatensis discipuli,qui eum post incarnationẽ suam,ex profectu uirtutis Deum factum esse asseuerant,eò quòd merus homo esset. Scimus enim eum tametsi subiectus sit Patri & Deo, ante secula tamen genitum ex Deo, Deum secundum naturam perfectum,& uerum esse,neq; ex homine Deũ, sed ex Deo hominem,propter nos factum esse,& neutiquam ullo in tempore suam essentiam perdidisse. Abominamur præterea & anathemate execramur,qui illum tantummodo nudum uerbum Dei sine substãtia, & rem fictitiam nominant,quiq; in alio habeat,quòd sit, quemq; nunc, uti uocem quæ ore profertur:nunc uti dictionem quæ in cogitatu uersatur,intelligũt. Christum aũt ipsum,& Filium Dei,& Mediatorem, & Imaginem, non ante secula fuisse cõtendunt, sed ex eo tempore eum Christum & Filium Dei factum esse,ex quo nostram carnem ex Virgine assumpsit, nõ totis abhinc

quadrin-

quadringentis annis. Ab eo enim tempore uolunt Christum initium regni adeptum esse, regnique finem habiturum, post consummationē & iudicium. Tales sunt discipuli Marcelli & Scotini angyrogalatæ, qui ante secularem essentiam Christi, eiusque deitatem & regnum indesinēs, itidem ut ludæi inficiantur, sub prætextu constituendæ monarchię. Scimus enim eum nō simpliciter Verbum, quod ore Dei profertur, aut quod in eius animo cogitatur, sed uiuum Verbum, quod per se existit, & Filium Dei & Christum esse, neque eum ratione prouidentiæ, eò quòd Pater talem eum futurum præcognouerat, cum Patre fuisse, & conuersatum esse ante secula, sed illi administrum fuisse ad omne opificium, uisibilium simul & inuisibilium. Hic enim est ad quem Pater dixit, Faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem nostram, & qui Patriarchis in suamet ipsius persona uisus est, legem dedit, & locutus est per Prophetas, & tandem homo factus est, & suū Patrem omnibus manifestauit, & regnat per infinita secula. Non enim recentem dignitatē assumpsit Christus, sed ab initio eum Patri per omnia similem credimus: illosque, qui dicunt eundem illum Patrē & Filium & Spiritum esse, & de una re personaque, tria ista nomina impie accipiunt, merito ab Ecclesia abdicamus, eò quòd impatibilem & nullo loco circunscriptum Patrem, patibilem simul & loco circunscriptū per incarnationem fingunt. Tales enim sunt apud Romanos quidem Patropassiani, apud nos uero Sabelliani. Scimus item Patrem qui emisit, in suo inalterabilis deitatis ingenio & moribus permansisse, Christum uero qui missus est, humanitatis assumptæ officium adimpleuisse. Eos uero qui non consilio neque uoluntate Patrē genuisse Filium irreuerenter dicunt, & necessitatē & inuitum quiddam & seruam impeditamque eligendi potestatem Deo adiungūt, ita ut nolens genuerit Filium, impijssimos & alienissimos ab Ecclesijs censemus, eò quòd præter nouas de deitate sententias, & præter uoluntatem sacræ scripturæ, talia de eo sint ausi definire. Nos contrà, omnipotentem Deum, eumque suiipsius Dominum agnoscentes, sponte libenterque Filium suum genuisse cum pietate arbitramur, & reuerenter ipsi de se loquenti credimus, Dominus creauit me initium uiarum suarum ad opera sua: non tamen eum ita creatū esse, ut similis sit rebus per ipsum conditis, existimamus. Est enim hoc ipsum impium, & alienum ab Ecclesiastica fide, conditorem cum rebus ab ipso conditis æquiparare, & eandem cum alijs generationis rationem obtinere credere, quum unum unice unigenitum Filium genuinè & uere natum esse, sacræ scripturæ cōmonstrent. Verum, quia Filium non per se esse, uiuere, & existere dicimus, itidem ut Pater, ideo eum separamus à Patre, non quasi loca, interuallaque in eorum cōiunctione corporaliter fingamus. Credimus ēm eos immediate & sine intercapedine sibi mutuo coaptatos consertosque & inseparabiles à se inuicem esse, integro Patre Filium cōplectente, integro Filio ab eo pendente & cohærente, & perpetuo in Patris sinu requiescente. Credentes igitur in integram & sanctissimam Trinitatem, hoc est, in Patrē & Filium & Spiritum Sanctum, & Deum Patrem dicentes, Deum item Filium, non duos deos, sed unam deitatis maiestatem profitemur, & unam regni perfectam concordiam, ut omnium ubique Pater sit dominus, atque adeo

etiam

etiam ipsius sui Filij: Filiusq; uicissim ei subiectus sit, qui eo excepto omniũ se conditorum post illum rex & Imperator est. Et in Spiritus Sancti gratiã, qui omnibus Sanctis affatim Patris uoluntate donatur. Ita enim de Christi monarchia loqui sacræ literæ nos docuerunt. Hæc coacti sumus post fidem cõpendio editam latius explicare, non ambitionis causa, sed ut nos ab omni suspicione, quæ minime in nos competit, purgaremus, apud eos quibus res nostræ cognitæ sunt, & ut omnes Occidentales pariter intelligerẽt, ut calumnias eorum qui diuersas opiniones fouent, & Orientaliũ in Christo Ecclesiasticos animos, rem ita esse attestantibus libere sacris scripturis, apud eos saltem qui incorrupti sunt. Sed neq; in his permanserunt, rursus enim Sirmij aduersus Plotinum congregati, aliam fidem composuerũt, non ita prolixam, neq; tot uerbis abundantem: nam pleriscq; detractis alia addiderunt ueluti ea per suggestionem ab alijs audiuissent. Sunt autẽ ista: Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentẽ, creatorem & factorẽ omnium, ex quo omnis Paternitas in cœlo & in terra nominatur: & in unigenitum eius Filium, dominum nostrum Iesum Christum, ante omnia secula ex Patre genitum, Deum ex Deo, Lumen de Lumine, per quem omnia in cœlis & in terra facta sunt, tam inuisibilia, quàm uisibilia, eundemq; Verbum esse, & Sapientiam, Lucem ueram, & uitam, & ultimis diebus hominem factum, natumq; ex Sancta Virgine, crucifixum, & mortuũ, & sepultum esse, & resurrexisse è mortuis tertio die, & assumptum in cœlos esse, sedereq; ad dextrã Patris, uenturumq; in cõsummatione seculi ut iudicet uiuos & mortuos, reddatq; unicuiq; secundum opera sua, cuius regnum indesinens permanebit in infinitas ætates. Sedet enim ad dextram Patris nõ solum in hoc seculo, sed & in futuro. Et in Spiritum Sanctum, hoc est, Paracletũ, quẽ promissum Apostolis, post adscensum in cœlos misit, ut doceret eos & cõmonefaceret omnium, per quem omnes animæ quæ in eum synceriter credunt, sanctificantur. Eos porro qui dicunt, ex non ente, aut ex alia subsistentia, & non ex Deo Filium extitisse, aut quod tempus aut ætas fuit, quando ille non erat, alienos à se censet Sancta & Catholica Ecclesia. Iterum ergo dicimus, Si quis Patrem & Filium duos deos opinetur, anathema esto. Item si quis dicens Deum Christum esse, sed eum ante secula Filium Dei & administrum Patri ad uniuersitatis creationem non fuisse confiteatur, anathema esto. Si quis eum qui ingenitus est, aut patrem eius ex Maria natum ausit dicere, anathema esto. Si quis Filium ante Mariam, sed secundũ præcognitionem fuisse dicat, ac non potius ante secula ex Deo genitũ apud Deum fuisse, & per eum omnia facta esse, anathema esto. Si quis substantiam Dei dilatari aut contrahi loquatur, anathema esto. Si quis dilatatam essentiam, Filium efficere dicat, aut dilatationẽ substantiæ Dei, Filium nominet, anathema esto. Si quis merum hominẽ ex Maria natum esse dicat, anathema esto. Si quis hæc uerba, Ego sum Deus primus, Ego quoq; postea, & præter me non est Deus, quę ad subuersionem idolorum dicta sunt, ad subuersionem unigeniti ante secula Dei Iudaicè accipiat, anathema esto. Si quis hoc dictũ Verbum caro factum est, audiens, Verbum in carnem mutatum esse opinetur, aut postq; cõuersionem passum esset, carnem assumpsisse dicat, anathema esto.

Esai. 45
Ibid.
Ioan. 1

ma esto. Si quis unigenitū Filium Dei crucifixum audiens, eius deitatem corruptionem, passionem, mutationem, diminutionem, aut extinctionē sustinuisse dicat, anathema esto. Si quis hoc dictū, Faciamus hominem, non Patrem ad Filium, sed Deum secum loqui affirmet, anathema esto. Si quis Abraham non Filium, sed ingenitum Deum aut Patrem eius uidisse asseueret, anathema esto. Si quis cum Iacob non Filium colluctatum fuisse dicat, sed ingenitum Deum, aut partem eius, anathema esto. Si quis hoc dictum, Pluit Dominus ignem à Domino, non de Patre & Filio accipiat, sed ipsum à seipso pluisse dicat, anathema esto. Pluit enim Filius Dominus, à Domino Patre. Si quis audiens Dominum Patrem, Dominum item Filium, eò quòd Dominus ex Domino sit, duo numina existimet, anathema esto. Nō aūt eiusdem ordinis Patrem & Filium, sed Filium Patri subiectum arbitramur. Neq; enim ille Sodomam sine consilio Patris descendit, neq; à se pluit, quum penes Patrem authoritas sit, neq; ex se habeat q̄ sedet ad dextrā Patris, sed auscultet Patri ita loquenti, Sede à dextris meis, anathema esto. Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unam personam esse dicat, anathema esto. Si quis Spiritum Sanctum paracletū nominans, ingenitum dicat Deum, anathema esto. Si quis, ut docuit Dominus, alium adhuc nominet paracletum præter Filium (dixit enim, Et alium paracletū mittet uobis, quem ego rogabo) anathema esto. Si quis Spiritum Sanctum, partem aliquam dicat Patris aut Filij, anathema esto. Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctū tres Deos appellet, anathema esto. Si quis uoluntate Dei Filium Dei ita extitisse dicat, ut aliquid quod conditum est, anathema esto. Si quis nolente Patre Filium genitum esse dicat, anathema esto (Non enim Pater coactus naturali necessitate, Filium, quem noluit, genuit, sed statim ubi uoluit, sine tempore & passione eum ex se genitū edidit) anathema esto. Si quis ingenitum, & sine origine Filium nominat eo animo, ut duo ingenita & inoriginata, & duos deos statuere uelit, anathema esto. Caput enim & principiū omniū Filius est, caput uero & principiū Christi Deus, ita ēm ad unū principiū uniuersitatis nullo initio inchoatū, per Filiū pie omnia reducimus. Iterūq; exacte tradentes Christianismi sensum dicimus, si quis Christū Deū Filiū Dei ante secula, administrumq; ad uniuersitatis opificiū fuisse neget, sed ex quo tēpore è Maria genitus est, Christū & Filiū appellatū fuisse, & principiū suæ deitatis tum accepisse dicat, anathema esto. Istis omnibus neglectis, ac ueluti meliorib. repertis aliā fidem decernunt: Et Sirmij inscripta referūt Romano quidē sermōe, sed quæ Græce interpretata hūc sensum habeant. Quoniā de fide placuerat disceptationem fieri, omnia cum sedulitate inquisita & examinata fuere Sirmij in præsentia Valentis, Vrsatij, Germinij, cæterorumq; omnium. Constitit ergo unum esse Deum omnipotentem, sicuti in uniuerso orbe prædicatur, & unum eius unigenitum Filium, Dominum nostrū Iesum Christum, ex eo ante secula genitum, duos
Ioan. 14 tamen Deos non oportere dici, quum ipse Dominus de se loquutus sit, Vado ad Patrem meum, & Patrem uestrum, Deum meum, & Deum uestrum, ideoq; omniū Deus habendus est, quemadmodū Apostolus dixit, An lu-
Rom. 3 dæorum tantummodo sit Deus, & non etiā gentium? certe & gentiū, quoniam

niam unus est Deus qui iustificabit circuncisionē ex fide, & præputiū per fidem, & reliqua omnia consentiunt, & nullam prorsus habent ambiguitatem. Cæterum quia multos cōmouet uox Latine quidem dicta substantia, Græce autē οὐσία, hoc est, ut diligentius cognoscatur, illud quod ὁμοούσιον aut ὁμοιούσιον dicitur, nullam earum uocum mentionem debere fieri, neq; de ea id sermocinandum in Ecclesia censemus, quòd de ijs nihil scriptum sit in sacris literis, & quòd illa nominum intellectum & mentem transcendant, & quòd nemo possit generationē Filij enarrare, quemadmodū scriptum est, Generationem eius quis enarrabit? Solum enim Patrem scire, quomodo Filium suum genuerit, certum est. Nulli uero ambiguum, Patrem maiorē esse, neq; est q̄ quisquā dubitet, Patrē honore, dignitate, deitate, atq; adeo ipso nomine paterno maiorē esse, attestante præsertim ipso Filio, Qui misit me Ioan. 14
Pater, maior me est: & hoc ipsum Catholicum est: & nemo ignorat duas esse personas Patris & Filij, ac proinde Patrem maiorem: Filium uero Patri cum omnibus, quæ illi Pater subiecit, subiectum esse, Patremq; initium nō habere, & inuisibilem & immortalem, & liberum à passionibus esse: Filium uero ex Patre genitum esse, Deum ex Deo, Lumen de Lumine, eiusq; generationem, quemadmodū superius dictum est, neminem scire nisi solum Patrem: ipsumq; Filium dominū nostrum & Deum, carnem siue corpus, hoc est hominem è Maria Virgine assumpsisse. Quemadmodū Angelus prænunciauerat: & omnes scripturæ docēt, & in primis ipse gentium Apostolus, hominem assumpsit Christus ex Maria Virgine, per quem passus est, Summa aūt totius Fidei & firmamentum est, ut Trinitas semper retineatur: quemadmodū legimus in Euangelio, Abite & baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Numerus aūt Trinitatis integer & perfectus est. Paracletus porro, nimirum Spiritus Sanctus, per Filiū missus secundum Euangelium uenit, ut Apostolos & omnes credentes erudiret & sanctificaret. Hæc ubi misissent, denuo mutata sententia cōposuerunt eam fidem, quam quia cum consulibus edidissent, multo pudore & probro perfusi sunt, eiusq; exemplaria curauere, ut quum suo more sententiam mutassent, ab ijs qui ea tenebant, per notariū Martianum surriperentur, & persuaso Constantio, ut contra eam fidem edicta promulgaret, aliam rursum fidem constituunt: additisq;, ut solent, quibusdam dictis. Isauriæ igitur ista conscripserūt: Non refugimus authenticam in encæniis Antiochiæ editam fidem, sed præferimus eam, uel ob id potissimum, q̄ patres nostri per illud tempus ad propositam quæstionem accurrerunt. cæterum quoniam multos superioribus temporibus hæ uoces ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον turbarunt, atq; etiamnum turbant, ac præterea à nonnullis non ita pridem noua uox inducta est de inæqualitate Filij ad Patrem, quam ἀνόμοιον uocant, istis de causis ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον eliminamus è sacris literis, & uocem illam ἀνόμοιον, anathemate execramur, & quotquot uoces istiusmodi sunt, alienas cēsemus ab Ecclesia, similitudinem uero Filij cum Patre plane confitemur, secundū Apostolum ita dicentem: Qui est Imago inuisibilis Dei. Confitemur uero 1. Cor. 1
& credimus in unum Deum omnipotentē, factorem cœli & terræ, uisibilium omnium, & inuisibilium. Credimusq; item in eius Filium, Dominum

nostrum Iesum Christum, natū ex eo citra passionem aliquam ante omnia secula, Deum Verbum, Deum ex Deo unigenitum, Lumen, Vitam, Veritatem, Sapientiam, Potentiam, per quem omnia facta sunt in cœlis & in terra, siue uisibilia, siue inuisibilia, illumq; credimus in consummatione seculorum ad peccatorum demolitionē carnem ex Virgine assumpsisse, & hominem factum esse, passumq; pro peccatis nostris, resurrexisse, & assumptum in cœlos, sedere ad dextram Patris, eumq; iterum uenturum in gloria, ut iudicet uiuos & mortuos. Credimus quoq; in Spiritū Sanctum, quem & Paracletum nominauit Seruator, quem post abitum & pollicitus erat discipulis suis se missurum esse, & misit: per quem sanctificat eos qui in Ecclesia credunt & baptizantur in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Eos porro qui præter hanc fidē aliud prædicant, alienos à se agnoscit Catholica Ecclesia. Quod autē cum hac fide paria faciat illa fides, quæ Sirmij prius edita fuit, sentient omnes quicunq; eam legerint. Hæc quum Isauriæ scripsissent, Constantinopolim profecti, ueluti eius sententiæ pœnitudine laborassent, suo more immutauerunt, additis nonnullis dictis, ut nefas esset ὑπόστασιν dicere de Patre & Filio & Spiritu Sancto: eaq; transmiserunt ad eos qui Arimini conuenerant, coegeruntq; homines istarum prouinciarum subscribere, exactis per Constantium in exilium, quicunq; auderent contradicere. Sunt aūt ista. Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, ex quo omnia, & in unigenitum Filium Dei, ante omnia secula, & ante omnia initia genitum ex Deo, per quem omnia facta sunt, tam uisibilia quàm inuisibilia, eumq; solum unigenitum ex Patre natum esse, Deum ex Deo, similem ei, qui ipsum genuit Patri, secundum scripturas, cuius generationē nemo scit, nisi solus qui illum genuit Pater, hunc agnoscimus unigenitum Filium Dei, Patre mittente aduenisse è cœlis, ut scriptum est, ad euastationem peccati & mortis, & natum ex Spiritu Sancto, è Maria Virgine secundum carnem ut scriptum est, & postq; uersatus esset cum discipulis, & omnem œconomiā negociumq; datum impleuisset secundum Patris uoluntatem, crucifixum, & mortuum, & sepultum esse, & ad subterranea descendisse, quem ipse infernus exhorruit, eumq; resurrexisse tertio die è mortuis, & ubi cōmoratus esset cum discipulis, impletis iam quadraginta diebus assumptū esse in cœlos, & sedere ad dextram Patris, uenturumq; esse extremo die resurrectionis in Paterna gloria, ut reddat unicuiq; secundum opera sua: Et in Spiritū Sanctum, quem ipse unigenitus Dei Filius Christus Dominus noster promisit se generi humano missurum in cōsolatorem: quemadmodū scriptum est, Spiritum ueritatis, quē eis misit postquā cœlos adscendit. Nomen porro substantiæ, simplicius à patribus editum, quia ignotum populis scandalum adfert, & in sacris literis non continetur, placuit de medio tolli, & omnino nullam eius mentionē debere fieri, quoniam sacræ literæ nusquā substantiæ Patris aut Filij meminere, imo ne ὑπόστασις quidē sine subsistentia de Patre, Filio, & Spiritu Sancto nominari debet. Similem aūt dicimus Patri Filium, ut loquuntur, & docent sacræ scripturæ. Omnes porro hæreses siue olim damnatæ, siue recenter ortæ: cōtrariæ huic promulgatæ scripturæ, anathema sunto. Sed ne in istis quidē permanserunt. Nam descendentes

ex Con-

Z.

ex Constantinopoli Antiochiam reuocarunt, prorsus quod scripserant de similitudine Patris cum filio, ut scripturæ dicunt, & cõpositis quæ excogitarant ad primordia sua recurrere denuo inceperunt, & dicere omnib. modis, Filium esse dissimilem Patri, & nulla ex parte similem, & tantopere sententias suas mutarunt, ut eos, qui Ariana apertius dicerent, receperint, ijsq; Ecclesias cõmiserint, quo cum securitate blasphemias loquerentur, ac proinde ob immensam blasphemãdi improbitatẽ ἀνόμοιοι, hoc est, dissimiles ab omnibus uocati sunt, additumq; eisdem cognomen ἐξηκόντιοι, quasi si illos dicas non entiales, quorum impietatis antesignanus Cõstantius hæreticus fuit, qui ad finem usq; permanens in ea impietate, ac deinde moriens, uoluit non à pijs uiris, sed ab Enzoio, non semel, sed sæpius ob Arianam hæresim, & cum diaconus esset, & quum Antiochiæ resideret, depositio reiectoq; baptizari: huc usq; igitur progressi sunt in constituendis & in abrogandis fidei articulis, sed ne hic quidem, sat scio, cõsistere poterint, quotquot nũc hypocrisim istam induerunt, sed semper contra ueritatem coniurationes inibunt, donec in se reuersi, & culpã agnoscentes dicant: Surgite abeamus ad patres nostros, & dicamus illis, anathemate detestamur Arianam hæresim, agnoscimus aũt Nicenum conciliũ, cum eo enim illis hactenus omnis contentio est. Quis igitur, modo uel parũ sapiat, istos tolerauerit? Quis, quum uideat per singulas Synodos alia addi, alia detrahi, non animaduertat illorum in Christum & suspectũ & insyncerum animum? Ecquis, quum in longum differant fidei suæ compositionẽ, & eorum de quibus accusantur purgationem, non sentiat eos de seipsis desperare, & de industria plurima scribere, ut possint per opportunã ambitionem, & tantam loquacitatẽ & alios qui simpliciores sunt, decipere, & ipsi interim latere, ut non sentiatur, qualem hæresim foueant? Verum quemadmodũ gentes, sicuti à Domino relatum est, multiloquio utentes in suis precibus, nihil proficiunt, ita isti quoq; tanto proluuio uerborum suam de hæresi Ariana damnationẽ extinguere nequeunt: imo multo ob id magis in scelere suo deprehenduntur, ac proinde ab Ecclesia abscisi sunt: idq; merito. Quam enim eorum scripturam auditor recipiat? aut qua tandem suarum scripturarũ ipsi freti catechismo nouitios in fide instruant? Nam si omnes illorum scripturę inter se consentiũt, quid opus tam multis scripturis? Sin autem opus est tam multis, certe manifestum, quamlibet earum deficientem & non plenam esse, quod ipsi multo magis quàm nos, uerum esse ostendunt, dum omnes suas scripturas immutant & transformant. Multitudo porro conciliorũ, & diuersitas scriptorum, indicium de se præbet, eos, qui in illis concilijs cõgregati fuere, aduersus Nicenam quidem Synodũ bellum gerere, sed tamen imbecilliores esse, quàm ut pares sint ueritati. Cæterum quia ipsi hoc animo & in sese mutuo, & aduersus maiores suos affecti sunt, age, nos ipsi iam ab illis percunctando sciscitemur, ob quam absurditatem aut uitium dictionis, in ijs quæ Niceæ scripta sunt, & parentibus suis se cõtumaces præbent, & cum orbis terrarum concilio belligerantur. Hic mihi dicunt, uocabula substantiã & consubstantialem sibi nõ placere, & illas uoces quosdam scandalizasse, & multos conturbasse, eam enim rationem ipsi in suis scriptis allegant, uerum illis

ad istum modum probe occurreres. Si ipsæ uoces per se illis causam scandali habere uidentur, non modo aliquos scandalizassent, neq; multos conturbassent, sed & nobis & reliquis omnibus æque ac illis scandalum peperissent: contrà, si omnes amant has uoces, quiq; eas in scriptis usurparunt, non homines uulgares sunt, sed Episcopi qui ad id ex toto orbe cõuenerũt, quibus etiam nunc episcopi centum quinquaginta, & eo plures Arimini congregati adstipulantur: qui fieri possit, ut non statim refutentur, qui contra Synodum loquuntur, quasi uerba, ac non potius male interpretantiũ prauitates in culpa essent, qui non recte legentes sacras scripturas, & peruerse intelligentes, sanctos uiros calumniantur, quales tum Iudęi fuere, nõ recipientes Dominũ, & hoc tempore Manichæi blasphemantes legem, quibus scripturæ non causæ istius mali fuere, sed ipsorum animi peruersitas. Si igitur ostẽdere poteritis uerba esse mala, ostendite quæso, & adhibeatur ratio certa demonstrandi, non autẽ cauillemini aliquos scandalizari, ne uobis idem accidat, quod tum pharisæis. Nam & illis quoq; caussificantibus se scandali-
Ioan.15 zari Christi doctrinis, ita à Christo responsum est, Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur: quibus uerbis ostendit, nõ Patris uerba sua opera plantata scandalũ illis ferre, sed ipsos bene dicta male excipientes sibi scandalum pãrere, ita quoq; & illi qui tum epistolas Apostoli culpabant, non Pauli, sed suam insciti am & peruersum animum arguebant. Alioqui non ineleganter eos ad istum modũ interroges: Dicite quæso mihi, quinam sunt quos caussificamini scandalizari, & ob eam rem conturbari: certe neminem eorum qui pie de Christo sentiunt, allegare poteritis, ipsi enim ea uerba defendunt & asserunt. Quòd si Ariani sunt, quibus ista offensio nascitur, quid miri, si indignantur ijs, qui ipsorum hæresim tollunt? quibus uerba non scandalum, sed dolorem adferunt, quoniam in illis trophæum de ipsorũ hæresi statuitur. Desinite igitur istiusmodi caussificationibus contra patres grunnire, alioqui restat, ut etiã cruci domini obmur-
1.Cor.1 muretis, quoniam ea Iudæis scandalum est, gentibus uero stultitia, ut dixit Apostolus. Cæterũ quemadmodum crux mala nõ est, nobis enim credentibus Christus est Dei Virtus, & Dei Sapientia, etiam si Iudæi insaniant, ita quoq; patrum uerba mala non sunt, sed utilia ijs, qui ea legitime perlegunt, uimq; in se continent omnis hæresis extinguendæ, etiam si Ariani subinde rumpantur, semetipsos cõdemnantes. Iam quum caussificatio de scandalis friuola ostensa est, agite deinceps, respondete mihi, cur nõ contenti estis nomine substantiæ? id enim primum discutiendum est. Atqui uos ipsi scripsistis ex Patre genitum esse Filium: si igitur Patrem nominantes, aut hoc uocabulum, Deus, efferentes, nõ substantiam significatis, neq; eum uti est pro sua substantia intelligitis, sed aliud quippiam quod circa ipsum est, aut aliquid peius, quod à me dictum nolim, innuitis, scribendum à uobis fuerat, non ex Patre Filium prodijsse, sed ex rebus quæ uel in Patre sunt, uel circa Patrem, ut uitantes uere Patrem Deum appellare, pro simplici compositũ, & corporeum intelligentes, nouarum blasphemiarum uos autores reperto resq; præbeatis. Nam ita intelligentes necessum est, ut Verbum, & Filius, non substantiam, sed meras uoces censeatis, ac deinde usq; ad nomina dum-

taxat

taxat ueſtra imaginatio procedat, & quæ uerbis effertis, animo non credatis, nec eſſe ſentiatis. Atqui iſta improba opinio Saducæorum potius eſt, & eorum qui apud ethnicos athei appellantur, eò quòd iſtiuſmodi hæreſis ne rerum quidem naturam ipſius Dei, opus eſſe aſſentiatur, ſiquidē uobis Pater & Deus, nō eius qui eſt, ſubſtantiam ſignificat, ſed aliud quippiā, quod uos fingitis, atqui id ipſum uel cogitare ſolum, impium prorſus & indecorum. Si aūt quū audimus, Ego ſum qui ſum, &, In principio fecit Deus cœlum & terram, &, Audi Iſrael Dominus Deus tuus, unus eſt Dominus, & hæc, Dicit Dominus omnipotens: non aliud quippiam, ſed ipſam ſimplicē & beatam & incomprehenſibilem eius, qui eſt, eſſentiā intelligimus, tametſi comprehendere nequeamus quid' nā ille ſit, ſed tamē quum audimus has dictiones, Pater & Deus, & omnipotens, non aliud omnino quàm eius qui eſt, ſubſtantiam cogitamus. Vos igitur quum dicebatis Filium ex Deo eſſe, ex Patris ſubſtantia eum eſſe dicebatis: uerum quoniā ante uos Dominum ipſæ ſcripturæ Filium Patris nominauerunt, & ante ſcripturam Pater dixit, Hic eſt Filius meus dilectus, &, Filius nihil eſt niſi fœtus Patris, qui fieri poſſet, ut non uideantur patres recte pronunciaſſe, Filium ex Patris ſubſtantia eſſe, recte cogitantes idem eſſe, ſi dicas ex Deo eſſe, & ex eius ſubſtātia eſſe? Cætera omnia condita tametſi ex Deo ſuum eſſe habeant, non tamen eodem modo, quo Filius, ex Deo ſunt: non enim fœtus, ſed opera ſecundum naturam exiſtimanda ſunt: In principio igitur Deus non genuit, ſed fecit cœlum & terram, cum omnibus quæ in ijs ſunt, dictumq; eſt, non quòd genuit, ſed quòd fecerit nuncios ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammā ignis. Quòd ſi Apoſtolus dixit, Vnus Deus, per quem omnia, nō tamen Filium cum reliquis omnibus quaſi in eodem cenſu cōnumerauit. Sed quia ethnicorum, aliq; exiſtimant fortuito ex connexa ſerie ultroneorum caſuum, & ex partibus ſimilaribus, ſponteq; rerum naturam coijſſe, & nullum ſui authorem habere, aliq; contra, aliquē illi authorem aſsignant, ſed tamen ut opinentur eam non per Verbum factam eſſe: & quia unuſquiſq; hæreticorū, prout libet, fingit, & de rerum natura fabulatur, neceſſario beatus Paulus hæc uerba pronunciauit, Ex Deo, ut operatorē cognitum faceret, & ex eius uoluntate uniuerſitatis architecturam declararet, ſtatim certe intulit, Vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, ut è claſſe uniuerſitatis Filium exciperet. Quæ enim Dei eſſe dicuntur, ea omnia per Filium facta ſunt, nec fieri poteſt ut architectata, cum Architectore unam cōditionem habeant, ut hæ uoces, Ex Deo, aliter de operibus, aliter de Filio intelligas, quū hic ſit proles, illa aūt nō niſi opera habeantur, ideoq; Filius ſubſtantiæ eius fœtus eſt, illa uero uoluntatis creaturæ. Hæc quum Synodus intueretur, ſciretq; eiuſdem uocabuli diuerſas ſignificationes, ne quis ſuſpicaretur has uoces, Ex Deo, ita de Filio accipi ut de creaturis accipiuntur, clarius rem expreſsit, ſcribens Filium ex ſubſtantia Dei eſſe: eo enim ingenuitas uere Filij erga Patrem indicatur, ex illo aūt dicto, quum ſimpliciter ſcribis, Ex Deo, uoluntas conditoris in creando oſtenditur. Si igitur ipſi eodem intellectu ſcripſerūt Verbum ex Patre eſſe, ne cōquerantur de Synodo. Sin aūt ut de creaturis intelliguntur hæ uoces, Ex Deo, ita ipſi quoq; de filio eaſdem intelligunt,

Exod. 3 Gen. 1 Deut. 6

Ephe. 4

non æquum est id quod creaturis competit, Filiũ appellare, ne blasphemiã cum pietate uideantur miscere, oportuitq; eos illum uel non connumerare cum rebus creatis, uel non indigna & incongrua de Filio scribere. Si enim Filius est, creatura non fuerit: aut si creatura est, Filius nunq; haberi poterit. Istiusmodi uero cum secum cogitẽt, inficiabuntur quodammodo sacrũ Baptisma, quoniam illud in Patre & Filio, non in creatore & creatura datur, quemadmodũ ipsi existimãt. Atqui inquiunt ista in scripturis nõ reperiuntur, ac proinde uoces alienas à sacris literis reijcimus: Cæterum illa ipsa est impudentis hominis cauillatio: Si enim eijcienda putant uerba in sacris literis non obuia, cur Ario tantum aceruum dictionũ, quas nusquam in scripturis reperias, accumulante, quales sunt, ex non entibus, & non erat Filius priusquã gigneretur, & erat quando nõ erat, & conuertibilis est, & ineffabilis est, & inuisibilis Pater suo Filio, & Filius nõ nouit ne suam quidem substantiam, & quæcunq; istiusmodi in ridiculo suo & impio libello de sua sententia ab illo euomuntur, non contradicunt? sed potius pro ijs pugnant, & ob ea cum patribus suis belligerantur? Aut ubi deniq; ipsi in Sacris libris repererunt uocem ingenitum? aut ὐσίας nomen: & illud, tres esse hypostases, & non est uerus Deus Christus, & unus est ex centum ouibus, & sapientia illa Dei ingenita est, & inoriginata, & multæ sunt conditæ potestates, quarum una est Christus? Aut qua tandem ratione in Encænijs, uerbis à scriptura non receptis, Acacius & Eusebius usi dixerunt substantiæ, potentię, consilij, gloriæ, nulla dissimilitudine uariante imaginem primogenitum creaturæ esse, obmurmurant patribus, quòd uocabulorum, quæ in usu sacrarum literarum non sunt, mentionem faciant, & substantiæ meminerint: oportuit eos aut sibi ipsis obmurmurare, aut nihil patres incusare. Si igitur ulli alij cauillarentur de Synodi uerbis, suspicari liceret illos, uel ignorantia, uel nimia cautione ita labi. Georgij porro Cappadocis, Alexandrina ciuitate electi, nulla mentio ratioq; habenda est, ut hominis neq; ex superiore uita commendati, neq; ullo modo Christiani, sed pro temporis conditione, nomen Christiani simulantis, & quæstum Religionem arbitrantis, ac proinde nemo de illo conqueri debet, si in Fide labatur homo, qui neq; scit, de quibus loquitur, neq; de quibus asseuerat, sed ut scriptum ueluti larus affectatur. Acacius autem, Eudoxius, & Patrophilus, quũ talia scribant, qui quæso, non omni supplicio digni fuerint? Qui quũ ipsi uoces in scripturis non solennes usurpent, & sæpe nomen substantiæ ut bonũ receperint, idq; maxime ob epistolam Eusebij, nunc tandem culpant maiores suos, quòd his uocabulis usi sint? Et quum ipsi dicant, Filium Deum ex Deo, & Verbum uiuum substantiæ Patris, & indemutabilem imaginem esse, reprehendunt Niceenses, q; dicant eum ex substantia esse, & genitum genitori suo cõsubstantialem esse: Quid miri autẽ, si cum antecessoribus & patribus suis pugnent, quũ ipsi sibimet aduersi in decreta sua scripta q; impingãt? Nam cum in Encænijs promulgassent Filium esse substantiæ Patris sine omni dissimilitudine imaginem, iureiurando q; affirmassent se ita sentire, & anathemate execrarentur qui aliter sentirent, ac præterea quum Isauriæ ita scripsissent, non refugimus fidem in Encænijs Antiochiæ editam, ubi nomẽ substantiæ

adscri-

adscriptum inuenias, ueluti horum omnium obliti, paulo post in ipsa Isauria scripserunt se ὁμόσιον & ὁμοιόσιον, hoc est, cõsubstantialem, & similẽ substantia, reijcere, ut uocabula aliena à sacris literis, & nomen substantiæ tollere, ut quod in scripturis nõ reperiatur. Quis igitur posthac eos Christianos reputauerit? aut quænam denique fides apud eos, apud quos nulla nec uerba nec scripta robur habent, sed omnia pro tempore mutantur & transformantur? Si tu Acaci, & Eudoxi non refugitis in Encænijs promulgatam fidem, & in ea scriptum est, Filium substantiæ Patris esse indifferentem imaginem, quur igitur Isauriæ scribitis, reijcimus uocem consubstantialem? Si enim Filius secundum substantiam non est similis Patri, quomodo sine omni dissimilitudine imago Patris fuerit? Quòd si doletis, à uobis scriptũ esse, eum esse substantiæ imaginem, nulla re ab archetypo uariantem, quur anathemate eos notatis, qui Filium Patri dissimilem esse dicunt? nam si non similis ille est secundum substantiam, prorsus certe dissimilis fuerit: quod aũt dissimile est, nunquam imago haberi poterit. Iam si ille talis est pro uestra sentẽtia, nunquam ille qui intuitus fuerit Filium, Patrem uiderit, quum plurima inter eos sit differentia, uel potius omnib. modis dissideant. Porro quod dissimile est, simile fieri nequit. Quo pacto igitur quod dissimile est, simile esse dicitis? & quod simile est, dissimile esse sentitis, & simulatis uos dicere Filiũ esse imaginem Patris? Nam si Filius secundum substantiam non est similis patri, deest aliquid imagini, neque est plena imago, neque est perfectus splendor. Cur igitur legitis, In eo habitat omnis plenitudo deitatis corpora liter? &, De plenitudine eius accepimus omnes? aut cur Aetium Arianum, ut hæreticum eijcitis? præsertim cum eadem cum eo loquamini, idemque & tibi Acaci amicus sit, & tibi Eudoxi magister ad hãc impietatẽ fuerit? Atque ideo eum Leontius Episcopus diaconum constituerit, ut sub uestimento ouis, & tituli diaconi, ministerio fungens, cum tranquillitate euomere posset blasphemiæ uerba. Quis igitur uobis hoc persuasit, ut in uos mutuo aretaretis, & tantum dedecoris reportaretis? Certe quia nihil rationi cõsentaneũ dicere potestis, id solummodo de uobis cogitandum relinquitur, omnia uos simulare, omnia, assumpta persona, ob potentiam Constantij, & cõmoda, quæ ab eo speratis, fingere: facillime accusatis patres, & obtrectatis, uocabulis quasi alienis à sacra scriptura, & secundum id quod scriptum est, diuaricamini crura uestra omni transeunti, ut toties uos mutetis, quoties redẽptores uestri & choragi uelint. Atqui nihil id refert, si quis uoces in scriptura non repertas usurpet, quidiu pias sententias complectitur: contra, hæreticus, tametsi uoces suas è sacris literis mutuetur, nihilominus suspectus, animoque corruptus audiet à Spiritu Sancto, Quare tu enarras iustificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Ita quoque diabolo è scripturis loquenti, Os à Domino obturatum est. Contra beatus Paulus, etsi ex alienis literis loquatur, Cretenses semper mendaces: & illud, Ipsius & genus sumus: & illud, Corrumpunt mores bonos colloquia praua: tamen sanctus quum sit, pium animum gerit, & Christi mentem tenens, magister gentium est in fide & ueritate: & quæ loquitur, cum pietate loquitur. Quæ igitur in Arianis dictiũculis uel credibilitas apparet? in quibus Chri-

Col. 2
Ioan. 1
Tit. 1
1. Cor. 15

sto anteponitur nunc locusta, nunc eruca, nunc istiusmodi conuicia Christo dicuntur, Tu aliquando non eras, & conditus es, & alienus externusq; à Deo quantum ad substantiam attinet, in summa nihil blasphemiarū ibi deest. Quid contra, quod ad benedictionem spectat, omissum est à patribus? imo apud eos sublimes excelsasq; sententias & pietatem Christi amorē redolentem inuenias: æque tamen isti scripserunt, nos ita reiicimus: illorum aūt contra Dominum conuicia patienter tolerant, seq; palam omnibus produnt, quòd non alia de causa aduersus magnam illam Synodum pugnant, quàm quòd illa Arianam hæresim damnauerit: atq; ideo dictionem cōsubstantialitatis culpant, ipsi interim male de substantia Christi sentiētes: Si enim crederent, & Patrem uere esse Patrem cōfiterentur, & Filium genuinū Filium esse, & natura uerum Verbum, & Sapientiam Patris esse crederent, & hoc dictum ex Deo esse, non ut de creaturis dicitur, ita de Filio intelligerent: sed illum substātiæ Patris proprium esse fœtū animo sentirent, quemadmodum est splendor è luce: non ita singuli eorum patres accusassent, sed audacter dicerent bene Synodum scripsisse, & eam esse rectam de Christo Iesu fidem. Sed inquiūt, obscura est istiusmodi uocū significatio: nam id cauillantur, & quia non assequantur uocabuli interpretationē, ideo sese abdicare has dictiones: Id aūt si uere dicerent, nō debebant dicere, has uoces reiicimus, sed cupimus earum interpretationē à peritis condiscere, alioqui deberent, quæcunq; in sacris literis non intelligerent, reiicere, & criminari eorum scriptores. Sed ea maxime hæreticorum, & minime Christianorum audacia est. Quæ enim non intelligimus in scripturis, non abdicamus, sed requirimus ab illis, quibus Dominus reuelauerit, & ab eis discere cupimus. Verum quia ita harum dictionum obscuritatem accusant, cōfiteantur ergo ea quæ statim subiunguntur, & anathemate execrentur eos qui sentiunt, ex nō entibus prodiisse Filiū, & non fuisse priusq; existeret, & creaturā opusq; esse Verbum Dei, & natura conuertibilē esse, & ex alia substistētia esse, & in summa, anathemate detestentur Arianā hæresim, istius impietatis inuentricem, & deinceps nō dicant, eiicimus has uoces, sed nos sic eas intelligimus, ut ita uerisimilem causam habeant eas recusandi. Sat scio, & persuasum mihi habeo, eos ipsos hoc quoq; agnoscere se, si ista confiteantur & execrentur Arianam hæresim, non repudiaturos Synodi Nicenæ dictiones: Ideo enim patres qui dixerant, ex substantia patris genitum esse Filium, statim sub intulerunt, eum Patri cōsubstantialem esse credimus, eosq;, qui superiora illa dicunt, anathemate execramur, ut ostenderēt dicta sua ista ex sese mutuo pendere, & hoc ipsum eas uoces præ se ferre: & qui eas uoces confessus fuerit, prorsus eandem sententiam concepturum esse: contra uero, qui ita non sentirent, sed illas calūniarentur, omnibus modis Christi hostes apparituros. Cæterum aduersus eos qui ex omni parte Synodum conuicijs carpūt, ista pauca ad refutationem suffecerint: aduersus aūt eos qui omnia Synodi scripta recipiunt, de solo aūt cōsubstantiali ambigunt, non ut aduersus inimicos affici nos decet. Neq; eī ueluti aduersus Ariomanitas, aut quasi bellum gesturi patribus cōtradicimus, sed ueluti fratres cū fratribus disceptamus, ut cum quibus nobis eadem sit sententia, controuersia autē de uerbis.

Nam

Z.

Nam cum profiteantur Filium ex Patris substantia, & non ex alia subsistentia esse, nec creaturam eum nec opus existere, sed genuinum & naturalē Patris fœtum, & æternaliter cum Patre esse, cum eius & ratio & sapientia sit, non longe absunt à recipienda hac uoce cōsubstantiali. Talis aūt est Basilius ex Ancyra, in scriptis suis de fide: Nam dictum illud, similem illum esse Patri secundum substantiam, non plane explet huius dicti sentētiam, Ex Deo esse, per quod magis, ut ipsi dixere, ingenuitas & uera natura Filij erga Patrem suum significatur. Nam & stannum solūmodo argento simile est, & lupus cani, & æs fuluescens uero auro, sed tamen stannum ex argento nō est, neq; lupus, catulus canis haberi potest. Cæterum quoniā ex substantia Patris Filium esse dixere, & similem Patri substantia, quid aliud istis innuunt, nisi eum cōsubstantialem esse? Etenim quemadmodum si solum eum dicas similem substantia, non plane indicas eum ex substantia esse, ita rursum qui cōsubstantialem eum dicit, utriusq; sententiam cōplectitur, quam habet dictum ex substantia, & quam illud dictum, similem substantia esse: Nos uero iterum impetentes eos qui Verbum creaturam esse dicunt, nec eum uolunt legitimum & naturalem Filium esse, ostēdimus eos ex humanis exemplis, Patris & Filij, aduersum se rationes & demonstrationes accipere, excepto eo, quòd Filius nequaq; talis, qualis homo: neq; generatio Dei, qualis humanus partus, sed talis qualis Deo conuenit, & à nobis cogitari decet. Nam & Patrem fontem dixere sapientiæ & uitæ: Filium uero splendorem lucis æternæ, & ipsum esse partū fontis, quum ipse de se dicat, Ego sum uita, &, Ego sum sapientia, & habitaui in consilio. Porro ex luce splendorē esse, & ex fonte partum, & ex Patre Filium, quomodo aptius expresseris, quàm si eos dicas cōsubstantiales esse? Ergo quandoquidem fœtus ex hominibus cōsubstantiales sunt, caueri oportet, ne Filius cōsubstātialis dictus, talis existimetur esse, qualis humanus partus: absit, sed hoc facile soluitur, eò quòd Ratio sit & Sapientia, ex quibus Patris generationē neq; passionibus, neq; diuisionibus obnoxiam sentias, eò quòd neq; uerbū hominis pars eius sit, neq; patiendo ab eo progrediatur, tantum abest, ut id in uerbo Dei fiat. Ne aūt contra, si quis audiat eum solum uerbum esse, existimet eum talem esse, qualia uerba hominum, quæ nulla soliditate subsistunt, additum est eum Filium esse, ut hoc audiens agnosceret eum unum esse Verbum, & sapientiā essentia præditam. Deinde ut quum eum fœtum dicimus, non id de eo humano more intelligimus: & certi Patrem eius Deum esse, non corporales de eo animus cogitationes, sed istiusmodi exempla & dictiones aure quidē percipimus, interim tamen cōgruentes de Deo intellectus cōcipimus. Non enim Deus, ut homo: ita quum eum cōsubstantialem audimus, transcendere debemus omnem sensum, & secundum diuinam parabolam, intellectualiter intelligere ea quæ nobis apponūtur, ut cognoscamus eum non uoluntate aut adoptione, sed genuinum esse Filium, uere ex Deo enatum, uti uitā ex fonte, & splendorem ex luce. Alioqui quæ ratio esset, cur has uoces, fœtum & Filium, non corporaliter, cōsubstantialem uero quasi de corporibus intelligere uelimus? præsertim quum non de alio atque alio ista referantur, sed de quo fœtus, de eodem quoq; uox consubstantialis prædicetur? Sed

enim

enim decet nos ex utriuſq; dicti uerbis, eandem ſentẽtiam in Saluatore noſtro conſeruare, neq; uocem fœtum, bene, cõſubſtantialem uero male interpretari: eò quòd cõſentaneum non ſit, uos quum tali affectu ſitis, & Filium Patris Verbum & Sapientiam aſſeueretis, diuerſos intellectus de illis uocabulis concipere, & aliter quidem Verbum interpretari, aliter uero Sapientiam. Sed ut illud abſurdum eſt, eò quòd Filius Verbum & Sapientia Patris ſit, unumq; ac idem gẽnimen ex Patre, & proprium ſubſtantiæ eius, ita unus eſt Filius genuinus, & cõſubſtantialis, adeo ut qui ſentit Filiũ eſſe gennimen, ſiue partum ſui Patris, idem ſentiat eum uere etiam cõſubſtantialem eſſe. Hæc quidem ſufficiunt ad oſtendendam dilectiſsimorũ hominum ſententiam non longe abeſſe à cõſubſtantiali. Cæterũ quia affirmant (nam epiſtola penes me non erat) Epiſcopos, qui Samoſatenſem condemnarunt, dixiſſe Filium non eſſe Patri cõſubſtantialem, ac iam deinde ipſos ob reuerentiam honoremq; eorũ, qui ita locuti ſunt, ab hac uoce abhorrere, rectũ fuerit reuerenter cum ijs, de ea re diſceptationes facere: nam arietare cum illis prorſus indecorũ eſſe, eò quòd omnes patres ſint. Rurſus dijudicare, iſtos bene, illos male dixiſſe, nequaq; ſanctum eſt. Omnes enim in Chriſto dormierunt, quapropter neq; contentioſius agendum eſt, neq; numerus eorũ qui cõgregati fuere, in cõparationem mittẽdus, ne uideãtur trecenti illi Niceenſes, eos qui pauciores ſunt, præſtringere: neq; tempora metuenda ſunt, ne priores uideantur poſteriores exauctorare. Omnes enim iſti (quemadmodum dixi) patres ſunt, ſed tamen neq; iſti quaſi nouum aliquid ſapiẽtes, id in ſcripta retulerunt, neq; ſui fiducia uoces in ſcriptura non ſolennes defendunt, ſed à patribus incitati, eorum uocabulis uti uoluerunt. Duo enim Dionyſij diu ante eos Septuaginta fuere, qui Samoſatẽſem ſuſtulerũt, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ præſul erat, ibi quum quidam Alexandrinum Epiſcopum, apud Romanum accuſarent, quaſi qui Filium opus & non cõſubſtantialem Patri diceret, & Synodus Romæ coacta indignetur, & Romanus ad cognominem ſibi Epiſcopum, omnium ſententiam perſcripſit, ac iam inde ille ſe ad defenſionem parans, libello ſuo titulum refutationis & Apologiæ indidit, & in hæc uerba ad Romanum ſcripſit. Ego & in alia epiſtola ſcripſi, ubi oſtendo, crimen quod deferunt contra me, falſum eſſe, quaſi qui dicerem Chriſtum non cõſubſtantialem eſſe Deo. Nam tametſi dico me id nomen nõ reperiſſe, nec legiſſe alicubi in ſacris literis, rationes tamen noſtræ quas reticuerunt, non abludunt ab hac ſentẽtia. Nam & humanum partum pro exemplo adduxi, haud dubie congenerem, idq; in uerbis meis addens, omnino parentes eo ſolum alios eſſe à liberis, q; illi ipſi liberi ſui non ſint, alioqui neceſſariũ fore, ut nec parentes nec liberi ſint. Et epiſtolã, ut dixi, ob caſus temporum proferre nõ poſſum. Si aũt tibi uerba mitto, multo libentius totũ exẽplar miſiſſem, q̃d ubi nactus fuero, nõ omittã. Scio & memor ſum, me plurimas cõgenerũ ſimilitudines adhibuiſſe. Nã & plantã dixi, è ſemine aut radice pullulantẽ, aliud eſſe ab eo unde progerminatur, & tamen cum eo prorſus eſſe eiuſdẽ naturæ: & fluuium è fonte promanantem, aliam formam nomenq; accipere: neq; enim fontem fluuium, neq; fluuiũ fontem appellari, & tamen ambos exiſtere, & fontem inſtar

ſtar Patris eſſe, fluuiumq; quaſi Filiũ eſſe, qui ex fonte gignatur, Epiſcopus ille dixit. Si igitur aliquis carpit Niceenſes, q̃ non dixerint omnia quæ ipſorum anteceſſoribus placuerunt, idem quoq; merito carpſerit ſeptuagin ta Epiſcopos, Pauli Samoſatenſis cõdemnatores, quòd ea quæ anteceſſorũ erant, non obſeruauerint: Anteceſſores autẽ eorum fuere duo iſti Dionyſij, cæteriq; qui Romæ tum cõgregati fuere. Verum neq; hos neq; illos fas eſt culpare. Omnes enim Chriſti curam geſſere, ſtudiaq; ſua contra hæreticos intenderunt: & hi quidem Samoſatenſem, illi uero Arianã hæreſim cõdemnauerunt, bene uero & hi & illi pro ſubiecta materia ſcribunt. Et quemadmodũ beatus Apoſtolus in epiſtola ſua ad Romanos dixit, Lex ſpiritualis eſt, &, Lex ſancta eſt, &, Præceptum ſanctum, & iuſtum, & bonum: & paulo poſt, Et Legis impotentia, quatenus inualida eſt: ad Hebræos uero aliter ſcripſit, Lex neminẽ perfecit: itidem & ad Galatas, In Lege, inquiens, nemo iuſtificatur: ad Timotheum contra, Legem bonã eſſe dixit, ſi quis ea legitime utatur, neq; tamen quis ob id ſanctũ uirum reprehenderit, quaſi qui contraria & pugnantia ſcribat, ſed potius eum admiratione proſequatur, quòd tam congruentia pro re nata ad ſingulos ſcripta mittat, ut & Romani & alij conditcerent à litera ad Spiritum conuerti, Hebræi uero & Galatæ inſtituerẽtur, non in Legem, ſed in datorem Legis, ſpem ſuam habere: ita quoq;, etſi amborum conciliorum patres, diuerſimode de cõſubſtantiali mentionem fecere, non tamen ea de cauſa ab illis diſſidere debemus, ſed illorum mentes ſcrutari, quod ſi fecerimus, omnino inueniemus ambas Synodos inter ſe conſentire. Qui enim Samoſatenſem ſuſtulerunt, hanc uocẽ cõſubſtantiale corporaliter accepere, quũ Paulus ſophiſticari uellet & diceret, Si Chriſtus non ex homine Deus factus eſt, igitur conſubſtantialis eſt Patri, & neceſſario ſequitur tres eſſe ſubſtantias, unã quidem quæ prior ſit, ut princeps: reliquas uero duas ex ea oriundas: ideoq; merito uitantes illud ſophiſma Pauli, dixere Chriſtum non eſſe conſubſtantialem: non enim ita ſe habet Filius ad Patrem, ut ille cogitabat. Illi uero qui Arianam hæreſim anathemate notarunt, cognoſcentes non creaturam, ſed genitum quiddam ex ſubſtantia Patris Filium eſſe, & ſubſtantiam Patris originem, radicem, & fontem eſſe Filij, & uenam undecunq; eſſe ſimilitudinem geniti cum genitore, & nequaq; eum, uti nos, diuerſæ naturæ eſſe, ac proinde ſeparari à Patre, ſed ipſius eum eſſe Filium, nec ab eo diuidi poſſe, ut nec ſplendor à luce, & pro ſe habentes Dionyſij exempla, fontem ſcilicet, & cõſubſtantialis aſſertionem, & præterea unitricem Saluatoris uocem, Ego & Pater unũ ſumus: &, Qui uidit me, uidit & Patrem meum: His de cauſis merito inducti ſunt, ut Filium cõſubſtantialem dicerent: & quemadmodũ nunq; quiſquam, ut ſuperius dixi, Apoſtolum culpauerit, q̃ de lege ad iſtum modum Romanis, ad illum uero Hebræis ſcribat, ita neoterici priſcos homines nunquam culpauerint, ſi uideant eorũ mentem & interpretationem: neq; rurſus priſci neotericos reprehenderint ſi cõſpiciant, quo animo, & in quem uſum de Domino ſcribant, nam utraq; Synodus iuſtam habet & rationabilẽ cauſam, cur illa ad illum, iſta uero ad iſtũ modũ uerba ſua temperauerit. Quandoquidem enim & Samoſatenſis ſentiebat, Filium ante Mariam non fuiſſe, ſed ab

Rom. 7
Ibidem
Ibidem
Heb. 7
Gala. 2
Tim. 1
Philip. 2
Ioan. 10
Ioan. 14

sed ab ea initium suæ essentiæ accepisset, ideo Episcopi tunc congregati, hominem hæreseos condemnatū abdicarunt, & de Filij diuinitate simplicius scribentes, non exquisitam diligentiam in tractatu huius uocis cōsubstantialis adhibuerūt, sed ut acceperant de cōsubstātiali, ita locuti sunt: in eo enim omnem curam habebant, ut quod Samosatensis excogitarat, tollerēt, & docerent ante omnia Filium fuisse, eumq; non ex homine Deū esse factum, sed quum Deus esset, induisse serui speciem: & quum Verbū esset, carnem esse factum, quemadmodū locutus est Ioannes: atq; ita aduersus Pauli blasphemias actū fuit. Verū quia Eusebius & Arius, ante tempora quidem fuisse Filium dicerent, sed tamen factum esse, & unum ex creaturis esse docere conarentur, & dictum illud, ex Deo, non ita interpretarentur, ut Filium genuinū ex patre uero natum crederēt, sed eum ita ex Deo esse, ut cætera creata affirmarent, & similitudinis unitatem Filij cum Patre negarent, essentia aut natura cōstare, ut solidè Filius Patri suo similis haberi posset, sed consensu dogmatum, rationeq; doctrinæ, eam similitudinem conflatam esse: & quia intersepiebant, & omnibus modis alienabant essentiam Filij à Patre, aliud ei initium existendi affingentes, ad creaturarum censum eum detrahebant: ideo Niceæ congregati Episcopi, conspicati eorum hominum, qui ita sentiebant uafriciem, collectis in unum quæ ex sacris literis ad sententiam suam tuendam facerent, liquidius rem exponentes, Filium consubstantialem esse asseuerarunt, ut ingenuitas & uera natura Filij inde significaretur, nihilq; cum eo res creatas cōmune habere edocerent. Vocis enim istius exquisita ratio eorum simulationem, quum dicunt eum ex Deo esse, patefecit, & omnes eorum argutias, quibus simpliciores fallunt, excludit. Certe quum omnia queant fucis lenocinijsq; sophismatum adulterare, & pro libidine mutare, hanc solam uocem adaperientem ipsorum hęresim reformidant, quam patres pro munimento & arce contra illorum impias cōmentationes in scripta retulerunt. Desinat igitur omnis contentio, neq; in nos mutuo arietemus, si diuersimode concilia acceperunt Verbum cōsubstantiale: habemus enim pro excusatione legitimas eorum causas, quas dixi, & præterea hanc ipsam, quòd quamuis hanc uocem ingenitū à scripturis nō didicimus (nusquam enim scripturæ ingenitum Deum uocant) sed tamen quoniam multi qui aliquid uidentur esse, huius uocis studio disputandi mentionem fecere, non ignorandum tamen hoc ipsum uocabulum diuersa significare, quū alij id quod existit, & factum non est: alij rursus, quod plane sui authorem non habet, ingenitum dicant. Inter has igitur significationes, si quis respiciens ad priorem significationem, quum id denotatur, quod authore sui careat, atq; eo modò Filium non esse ingenitum dixerit, nequaq; ille culpauerit alium, qui quum respiciat, Filium neq; creaturam neq; opus esse, dicat eum ingenitum esse: Vterque enim suum scopum spectans recte locutus est: ita quoq; si aliqui ex patribus ad istum, alij ad alium modum de cōsubstantiali differuerunt, nobis tamen ob id contentioſe agendū non est, sed cum pietate eorum dicta excipere debemus, eò quòd præcipue sua studia ad pietatem referebant. Ignatius igitur post Apostolos Antiochiæ, præsul & martyr Christi, in scriptis suis de Domino ita locutus est, Vnus est medicus, carnalis

nalis,& ſpiritualis, genitus, & ingenitus in homine Deus, uita uera, & ex Maria & Deo. Quidã porro poſt Ignatium Magiſtri, ipſi quoq; ſcripſerũt, Vnus ingenitus, Pater eſt, & ex ipſo Filius genuinus, uerus partus, Verbũ & Sapientia Patris. Si igitur aduerſus iſtos hoſtiliter afficimur, & diſſidemus, ſit nobis quoq; aduerſus Synodos pugna. Quòd ſi eorũ fidẽ in Chriſto cognoſcentes, perſuaſum habemus beatum Ignatium recte ſcripſiſſe: genitum illum ob carnem appellantem, eò quòd Chriſtus caro factus ſit: ingenitum uero, hoc eſt, non factum, quoniam creatura non ſit, ſed Filius ex Patre: & non ignoramus eos qui dixere unum eſſe ingenitum, Patrem: non eo animo ſcripſiſſe, quaſi Verbum Dei genitum, hoc eſt, factum, & opus eſſe uellent, ſed ideo, ut oſtenderent Patrem ſui authorem non habere, ſed illum Patrem Sapientiæ eſſe, & omnia genita, hoc eſt, quæ facta ſunt, in Sapientia feciſſe: cur non & Patres noſtros, tum qui Samoſatenſem ſuſtulerunt, tum qui de Ariana hæreſi trophæum fixerunt, in unum pietatis tuendæq; religionis ſtudium cõiungimus: ſed illos quaſi interſepimento dirimimus? & non potius recte de illis ſentimus? q; & illi, quemadmodũ dixi, aduerſus ſophiſma Samoſatenſis, mentem, interpretationem q; dirigentes, Filiũ ſcripſere non cõſubſtantialem eſſe? & quòd iſti quoq; recto intellectu illũ dixere conſubſtantialem eſſe? Certe ego ad iſtum modum de uiris in Chriſtũ pientiſsimis ſentiens, iſta pauca conſcripſi. Quòd ſi nanciſci potuiſſem epiſtolam, quam dicunt illum ſcripſiſſe, putarem me plures potuiſſe deprehendere cauſas, propter quas beati illi uiri ita coacti ſint ſcribere, id em̃ par eſt, & decet ut ſentiamus, & iſtiuſmodi bonam conſcientiã erga patres noſtros retineamus, modo non nothi ſimus, ſed ab illis pietatis inſtitutione imbuti. Talis igitur mens patrum fuiſſe & dicatur, & credatur. Age rurſum cum illis negociũ, placide & bono animo excutiamus, dicta ſuperiora repetentes, an non reuera certo demonſtrari poſsit Niceæ congregatos Epiſcopos recte ſenſiſſe. Si enim Verbum opus eſt, & alienum à Patris ſubſtãtia, adeo ut ipſe ſegregetur à Patre, interuallo alterius naturæ, certe conſubſtantiale Patri non fuerit: ſed potius genere, naturaq; cõiunctum cum operibus, etiam ſi gratia præcellat. Quod ſi illum agnoſcimus non eſſe opus, ſed genuinum fœtum ex Patris ſubſtantia, conſequens fuerit, eum, cum ſit eiuſdẽ naturæ, inſeparabilem à Patre eſſe, eo quod ex patre ſit genitus, ergo talis quũ ſit, merito cõſubſtantialis dici poterit: deinde ſi non ex impartitu & communicatione Filius eſt, ſed ipſa ſubſtantia Verbum & Sapientia Patris eſt, & iſta ſubſtãtia Paternæ ſubſtantiæ germen eſt, & ſimilitudo eius, ueluti ſplendor è luce, & Filius de ſe dicit, Ego & Pater unum ſumus, &, Qui uidit me, uidit Patrem meum, quid de iſtis uocibus ſentiendum eſt, aut in quem ſignificatum eas accipientes tueri poſſumus, ut Pater & Filius unus habeatur. Si enim eos concentu dogmatum, & eo quod nuſq; à Patre diſſentiat, unum fieri dicas, prauus hic intellectus fuerit: Nam & Sancti, & multo magis Angeli & Archangeli, hunc concentum cum Deo poſsident, neq; ulla eſt inter eos diſcordia, ſiquidem is qui diſcors animi fuit, diabolus uiſus eſt è cœlo cadere, ſicuti Dominus locutus eſt. Quocirca, ſi propter concordiam alter Pater, alter Filius eſt, etiam inter res creatas inueneris, quæ ita cum Deo con

Ioan. 10

Ioan. 14

Ioan.10 sentiant, quorum unũquodq; dicat, Ego & Pater unũ sumus. Quod si hoc absurdum fuerit, ut reuera absurdum est, necessum est, ut secundum substantiam Filij & Patris, unitatem intelligas. Nam creata, tametsi concordiã cum creatore habeant, eam tamen ex cõmunicatione in motu & mente habent, quemadmodũ ille, qui quum eam non retinuisset, è cœlo deiectus est: Filius uero quum ex substantia sit genitus, substantia unum est ipse, & qui eum genuit Pater. Ideo enim uniformibus uocibus paritatem cum Patre habet, adeo, ut quæ de Patre dicuntur, eadem scripturæ dicant de Filio, eo duntaxat excepto, quod ipse Pater non dicitur. Vnde est quod Filius dicit: Om-
Ioan.17 nia quæ Pater habet, mea sunt: deniq; Patri suo dixit, Omnia mea tua sunt, & tua mea, quale est, quod Deus appellatur: Deus em̃ erat Verbũ: & quod omnipotens, Hoc dicit qui est, & qui erat, & qui uenturus est omnipotens:
Ioan.8 & quale quod Lux sit, Ego, inquit, sum Lux: quodq; creatiõis author, Om-
Ioan.5 nia enim per eum facta sunt: &, Quæ uideo Patrem meum facientem, ea & ego quoq; facio, quale item quod æternus sit, Eius enim æterna potestas, & diuinitas: &, In principio erat Verbum, & erat Lumen uerum, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum: & quod Dominus sit: Pluit enim Dominus sulphur & ignem à Domino. Et Pater qui-
Gen.15 dem de se ita loquitur, Ego sum Dominus omnipotens: de Filio uero Pau-
Ephes.4 lus ita dicit, Vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia. Et Patri qui-
Psal.96 dem inseruiunt Angeli, uerum & ipse Filius ab ijsdem adoratur: &, Adorent eum omnes Angeli Dei, quippe qui & Dominus Angelorum appel-
Matth.4 letur, siquidem Angeli ministrabant ei, &, Emittet Filius hominis Angelos
Matth.1 suos. Et quod, ut Pater, honoretur, Vt (inquit) honorent Filiũ, quemadmo-
Philip.2 dum Patrem honorant. Et quod æqualis sit Deo, Neq; enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Et quod sit ex uero ueritas, & ex uiuente uita, Patre interim hic quasi uicem fontis obtinente. Et quod Filius uiuificet, & excitet mortuos, sicuti pater suus, ita enim in Euangelio scriptum est. Et
Deut.6 de patre quidem ita scriptum est, Dominus Deus tuus unus Dominus est,
Psal.49 &, Deus deorum Dominus locutus est, Et uocauit terram: à Filio uero, De-
Psal.83 us Dominus apparuit nobis, & uidebitur Dominus deorũ in Sion: & rur-
Mar.2 sum ita de Deo loquitur Esaias, Quis Deus ut tu, tollens iniquitates, & trãs-
Ibidem mittens iniustitias? Filius uero quos uoluit, ita allocutus est, Dimittuntur tibi peccata tua: quo tempore Iudæis murmurantib. re ostendit illam pec-
Matth.9 catorum cõdonationem, dicens paralytico, Surge, tolle lectũ, & abi domũ
1.Tim.1 tuam. De Deo quidem ita scripsit Paulus, Regi seculorum: de Filio uero ita
Psal.44 cecinit Dauid: Attollite portas principes uestras, & eleuamini portæ æter-
Dan.3 nales, & introibit rex gloriæ. Daniel porro hæc audiuit, Regnum eius regnum æternum, & regnum eius non peribit. In summa, quæcunq; inueneris de Patre dicta, eadem inueneris de Filio dici, præterq; quod Pater non appelletur, ut iam superius à me dictum est. Si quis igitur aliud principium, & alium Patrem cõminiscitur, eò quòd in dictis istis de utroq; omnia sint paria, furiosum commentum animo concipiet. Si aũt ideo, quia ille Filius est ex Patre genitus, omnia cogitet quæ Patris sunt, in Filio ueluti in imagine & signaculo esse, bene cogitarit, an aliena à Patre substantia, istiusmodi

rerum

rerum capax esse possit? & an qui talis est, alterius substantiæ, & non consubstantialis Patri habendus sit? Cauendum enim, ne quæ Patris propria sunt, transferentes ad illud, quod ei substantia dissimile est, in dissimili genere, & alterius substantiæ deliniantes, effigiantesq; Patris deitatem, peregrinam aliquam inducamus substantiam, quam tamen uelimus capacem esse proprietatũ primæ substantiæ, & confundamur ab ipso numine ita loquente: Gloriam meam alteri non dabo: & deprehendamur adorare Deum alienum, & tales habeamur, quales tum Iudæi fuere, dicentes: Quare tu, quum homo sis, Deum te facis? quum ea Spiritus erant aliò transferẽtes blasphemabant his uerbis: In Belzebul eijcit dæmonia. Quòd si illud indecorum, *Matth. 10*
certe non dissimilis substantia fuerit Filius, sed consubstantialis Patri. Nam si quæ Patris sunt, naturaliter sunt Filij, ipseq; Filius ex Patre est, & ob eam unitatem deitatis & naturæ, ipse & Pater unum sunt, & qui uiderit Filiũ, uiderit Patrem, merito dictus à Patribus est cõsubstantialis esse Patri: non est enim ut is, qui alterius sit substantiæ, talia habeat. Rursum si, quemadmodum diximus, non ex mutuatione Filius est, sed cætera condita hanc gratiã ex mutuo à Deo acceperunt, ipseq; est Patris Sapientia, & Verbum, cuius cõmunicatione utuntur omnia, nimirum cum ipse sit deificator ex Patre, & illuminator, in quo omnia deificantur, & uiuificantur, certe non diuersæ à Patre substãtiæ fuerit, sed cõsubstantialis: eius enim participatu, Patris participes efficimur, eò quòd propria sit sui Patris ratio, unde si ex participatu, mutuationeq; essentiæ ipse quoq; exisseret, & non ex se essentialis deitas, & imago Patris, non deificare posset, cum ipse esset deificatus: non enim fieri potest, ut qui ex participatu, mutuationeq; essentiæ hoc possidet, alijs suum indultum impartiat, quoniã non ipsius est qui id habet, sed qui dedit: & qui accepit, uix sibi sufficientem gratiam accepit. Sed tamen causam, cur quidã, ut fertur, hoc uocabulũ recusent, synceriter excutiamus, num ex illa ipsa multo magis declaretur Filius Patri suo cõsubstantialis esse. Aiunt igitur, sicuti uos scribitis, nõ oportere Filiũ dici Patri suo cõsubstantialem esse, eò quòd qui dicit cõsubstantialẽ aliquẽ, tria dicat: Primo substantiã quandã præsubiectã, duosq; inde enatos, quos cõsubstantiales dicimus, atq; ita syllogismũ claudũt. Si Filius est Patri cõsubstãtialis, necesse est ante eos præexistere, & prę subiectã esse materiã, ex qua isti enascãtur, atq; inde futurũ, ut nõ hic Pater, ille sit Filius, sed ambo inter se fratres sint. Hæc tametsi Ethnicorum sunt sentẽtiæ, neq; eorũ rebus indigeamus, inspiciamus tamen istos cõsubstãtiales, qui ex substãtia animo prius cõcepta fratres intelliguntur, utrũ sibi an ei substantiæ, unde originẽ traxerunt, cõsubstãtiales sint. Quòd si inter se sunt cõsubstantiales, diuersæ ergo substantiæ & dissimiles ei substantiæ fuerint, unde nati sunt. Opposita enim inter se sunt cõsubstantiale, & quod est diuersæ substantiæ: quòd si quilibet substantiæ genitrici suæ cõsubstantialis est, quum id certe quod ex alio nascatur, ei qui ipsum gignit, similis sit, non opus erit ut requiramus tres substantias, sed id solum perueſtigandum est, an hoc ex illo uere natum sit. Nam etsi contingat non esse duos fratres, sed tantũmodo unũ ex illa substantia gigni, non propterea quia alter natus nõ est, is qui genitus est, alterius substantiæ dici poterit, sed solus cum sit, æque

habēdus est genitori suo cōsubstantialis: alioqui quid diceremus de filia Iephthæ quæ unigenita esset, nec essent Iephthæ alij liberi? aut de filio uiduæ, quē Dominus à morte excitauit? quū ipse fratrē non haberet, sed unicus esset, an uterq; propterea parenti suo cōsubstantialis non erat? imo omnibus modis erant, quia liberi erant, & hoc proprium liberorum erga parentes suos: ita quoq; Filium Dei, quum pronunciassent patres, ex substantia Dei esse, merito eum consubstantialem appellarunt. Hanc enim uim habet splendor ad lucem. Verbis quoq; istorū istud quoq; ex consequio adhæret, creaturam ex non ente factam esse. Homines enim qui patiendo gignunt, ipsi in subiecta materia operantur, nec quicquā aliter efficere possunt. Quòd si igitur creare in Deo non humano more intelligimus, multo magis gignere humano more in Deo intelligere non debemus, neq; cōsubstantialem esse Filium Patri corporaliter accipere, sed recedere à rebus creatis, & depositis humi omnibus humanis imaginationibus, omnibusq; simpliciter sensibus adscendere ad Patrem, ne inscienter auferamus Filium à Patre, eumq; adiungamus ipsius creaturis. Rursum alio modo. Si Patrem & Filium confitentes duo principia, aut duos deos, quemadmodū Marcion, & Valentinus, prædicamus, & Filium alium modum deitatis habere, & non ideo quia ex Patre genitus sit, imaginem & formam Patris esse: age sit dissimilis: nam alienæ inter se sunt prorsus istiusmodi substantiæ. Quòd si unam agnoscimus & solam Patris deitatem, huiusq; Ratiōnem & Sapientiam Filiū esse, & hoc credentes non prædicamus duos deos: & unitatem Filij cum Patre, non similitudine præceptorum, sed substantia, & ueritate consistere sentimus, ut inde efficiatur, quo minus duos deos, sed unum prædicemus, unaq; sit species Deitatis, qualis est in luce & splendore: ea enim species conspecta est à
Psal. 103 Patriarcha Iacob, & in scripturis habetur: Ortus est illi sol, quū transijt species Dei, idq; uidentes Sancti Prophetæ, & intelligentes cuius Filius, imago esset, dixerūt, Factum est Verbum Domini ad me, Cognoscentes in eo Patrē spectari, & reuelari, ac proinde ausi sunt dicere: Visus est mihi Deus patrum nostrorum, Deus Abraham, Isaac, & Iacob. Quum igitur res ita se habeat, cur eum, qui unus est cum Patre, & talis apparet, qualis Pater secundum similitudinem & unam deitatem, ueremur dicere consubstantialem? Si enim, quemadmodū iam sæpius dictum est, non habet proprietatem paternæ substātiæ, neq; similitudinem ut Filius, recte hanc uocem suspectam habemus. Sin aūt ille est Patris sui propria & peculiarissima uis, illuminatrix, & cōditrix, sine qua Pater nec creat, nec cognoscitur, Omnia enim per eum, & in eo consistunt: cur rem ita esse animo sentientes, uocabulū quod id ipsum significat, recusamus pronunciare? Quid enim est ita eiusdem naturæ cum Patre, ac illud, quod ei cōsubstantiale est? Non enim Deus alienum, ueluti ministri indigus, Filium assumpsit, neq; cōdita paris sunt dignitatis cum conditore, ut illa honorari debeant, quemadmodum ipse, aut ut credendum sit, ea cum Patre unum esse. Alioqui par est, ut ausit aliquis dicere solem & eius splendorē duo luminaria esse, aut diuersam in illis esse substantiam aut splendorem esse accidens solis, non simplex eius, & purū genimen, hoc est, quod ex eo sit genitum, ut duo quidem sint, sol & splendor,

sed

sed una tamen lux, eò quòd splendor quiddam genitum sit ex sole. Quum igitur talis natura Filij ad Patrem, & adhuc magis inseparabilis sit, neq; deitas ei per accidens obuenerit, sed paterna Deitas insit, ut qui uiderit Filium, uideat in eo Patrem, cur qui istiusmodi est, dici non potest consubstantialis esse? Hæc igitur sufficiunt, quæ uobis persuadeãt, non reprehendendos esse eos, qui dixerunt Filium Patri cõsubstantialem esse: sed tamen ipsam dictionem consubstantialem per se excutiamus, ut sciamus an hac uoce utendum sit an nõ: & an propria illa sit, & cõgrua quæ de Filio dicatur. Nam & uos ipsi scitis, nec est cur quisq; dubitet, simile nõ de substantijs, sed de figuris, & qualitatib. dici: siquidem in substantijs non similitudo, sed identitas esse pronunciatur. Certe homo homini similis dicitur, non secundum substantiam, sed secundum figuram & formam: quantum enim ad substantiam attinet, congeneres appellari debent. Rursum homo cani similis dici nõ poterit, sed disgener, hoc est, diuersi generis. Quapropter, quod est genere coniunctum, cõsubstantiale est: quod aũt diuersi generis, diuersæ etiã substantiæ habendum est. Qui aũt dicit Filium similem substantia, ex participatu, & mutuo eum similem dicit: Siquidẽ similitudo qualitas est, quæ substantiæ superuenire poterit, hoc autẽ proprium creaturarum fuerit: eæ enim ex participatu Deo similes efficiuntur. Nam quum ille apparuerit, ei similes erimus, nimirum non substantia, sed adoptione, quam percipimus per eum. Si igitur eum Filiũ esse dicitis ex participatu, dicatur ille à uobis similis substantiæ, sed tamen quum talis appellatur, nec ueritas, nec ullo modo lux aut natura Deus haberi poterit. Nam quæ participantes sunt, non reuera, sed similitudine ueritatis similes dicũtur, ita ut decidere & auferri possint. è classe eorum qui participant. Id rursum proprium est operum, & rerum conditarum. Quare si hoc absurdum est, igitur ille non ex participatu, sed natura & ueritate Filius, Lux, Sapientia, & Deus fuerit. Natura igitur cum talis sit, nõ participatu, nunq; proprie similis substantia dici poterit: sed consubstantialis, quod de alijs dici non conuenit. Demonstratum est enim simile de substantijs prædicari non posse. Qui quæso igitur non stultũ fuerit, & fortasse etiam difficile id de Filio proferre? ac non potius cõsubstantiale de eo pronũciare? Eam igitur ob causam, Nicena Synodus recte scripsit, quod & decuit eam loqui, Filium genitum ex Deo ei cõsubstantialem esse, quibus nos cognitis ne uitilitigemus, præsertim cum nobis cognitũ sit, eos qui ista scripserunt, non studio deprauandi ueritatem, sed eius simul cum pia religione in Christum asserendæ, depurgandæq; Ariomanitarum contra eum blasphemiæ, ad istum modum fidem suam confessos esse. Videndũ enim & animaduertendum acriter, quòd quum dicimus eum similem substãtia, aut diuersæ substãtiæ esse, nos non indicare eum uerum Filium esse, sed unum ex creaturis, adscititiũ scilicet, & adoptione Filium, quod hæreticis placet, quẽ si dicamus sine contentione cõsubstantialem, Filium significabimus genuinum & ex Patre natum, tametsi ob hoc subinde rumpantur Christi perduelles. Hæc igitur quæ & ipse sciui, & ex prudentium disputatione cognoui, paucis descripsi. Vos aũt permanentes super fundamẽtum Apostolorum, & traditiones Apostolorum retinentes, optate quæso, ut cõquiescat in posterum

sterum omnis contentio & zelus, & hæreticorum stolidæ quæstiones condemnentur, & omnis uerborum rixa & infausta & homicida Arianorum hæresis deleatur, & reluceat in omniũ pectoribus ueritas, ut omnes ubique idem dicant & sentiant, nulla deinceps relicta Ariana blasphemia. Prædicetur autem & confessionibus laudetur per omnes Ecclesias unus Dominus,
Ephes. 4 una Fides, unum Baptisma, in Christo Iesu Domino nostro, per quem Patri sit gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE, AD IOVINIANVM DE FIDE, EPISTOLA.

DECORA & eximia res est in Principe, mens discendi auida, & rerum cœlestium cupido: inde enim fit, ut uere cor tuum sit in manu Dei. Quum igitur pietas tua cupiat è nobis cognoscere Ecclesiæ Catholicæ Fidem, Deo super ea re gratijs habitis nihil nobis cõsultius uisum, quàm ut fidem à patribus Niceæ confessam, tuo religioso animo recitaremus. Huius em̃ Fidei aspernatores & mihi multifariã insidiati sunt, eo ꝙ non obtemperaremus Arianorũ sectæ, & hæreses & schismata in Catholicã Ecclesiam introduxere, quũ tamen uera & pia in Christum fides ex sacris literis & liqueat, & agnoscatur. Hac enim sancti uiri initiati martyriũ subierunt, & nunc resoluti à corpore cũ Domino agunt. Manssisset hęc fides illæsa perpetuo, nisi malitia quorundã hæreticorũ eam deprauare ausa fuisset. Arius enim, & socij, illam uitiare conati sunt, & eius loco hæresim introducere, dicẽtes Filium Dei ex non entibus extitisse, & creaturã facturamq;, & mutabilẽ esse. Multosq; his uerbis deceperũt, adeo ut qui aliquid esse uiderentur, illorũ blasphemia seducti sint: quapropter patres q; primum Niceæ in conciliũ uenientes, eius uerba anathemate cõdemnarunt, & Catholicæ fidei confessionẽ scripto tradiderunt, ut eius ubiq; promulgatione incẽdium hæreseos per sectarios excitatum restingueretur. Ea igitur synceriter ubiq; per omnes Ecclesias & legebatur & prædicabatur, quũ quidã Arianã hæresim renouare cupientes hanc à patribus Niceæ confessam fidem incepere contẽnere, præ se ferentes quasi ab ea non dissentiant, cum interim reuera eam inficientur male interpretantes cõsubstantialitatem: & blasphemias dicentes in Spiritum Sanctum, quem creaturam, & à Filio conditum asseuerant. Nos igitur conspectis istius blasphemiæ in populum Dei calamitatibus, necessario tibi fidem Niceæ patrum cõfessionibus confirmatã porrigere studuimus, ut tua pietas & ea, quæ ibi exactissime scripta, & quantũ errent illi, qui aliter sentiũt, intelligeret. Cognosce igitur religiosissime Auguste hãc esse, quæ à condito ęuo prædicata fuit, & quã Niceę patres cõgregati agnouerunt, eiusq; suffragatrices esse omnes omnib. in locis Ecclesias, siue in

siue in Hispania sint, siue Britannia, Gallia, Italia uniuersa, Dalmacia, Dacia, Mysia, Macedonia, siue uniuersa Græcia, uniuersa Aphrica, Sardinia, Cypro, Creta, Pamphylia, Lycia, Isauria, Ægypto, Libya, Ponto, Cappadocia. Itidem quotquot nobis uicinæ sunt, necnon & Orientis Ecclesias, paucis admodum exceptis, quę Arianicæ opinionis sunt. Omnium enim istorum, & adhuc longinquiorum animos experimentis cognouimus, & scripta habemus. Nec te lateat pijssime Imperator, quod tametsi pauci sint qui huic fidei derogent, eos tamen, quum uniuersus orbis Catholicam fidem sequatur, & ipsi iampridem Ariana hæresi infecti fuerint, & nunc acerrime pietati obsistant, eos tamen præiudicium facere non posse. Nobis aũt, ut tua pietas cognosceret, rem alioqui sibi cognitam, operæprecium uisum est, fidem Nicenam Episcoporum confessionibus approbatã subnectere. Est igitur fides à patribus confessa istiusmodi: Credimus in Deum Patrẽ omnipotentem, omnium uisibilium, & inuisibilium creatorem. Et in Dominum Iesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre, & unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, Lumen de Lumine, Deum uerum ex Deo uero, genitum, non factũ, & consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, tam in cœlis, quàm in terra: qui propter nos homines, & propter nostrã salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est, passus est, & resurrexit tertia die, & adscendit in cœlos, uenturus inde ad iudicandum uiuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autẽ qui dicunt, erat, quando non erat: & antequã fieret, non erat: aut ex non entibus extitit ex alia substantia, subsistentiaq; aut creatum, aut cõuertibilem, aut alterabilem dicentes Filiũ Dei, hos anathemate ferit Catholica, & Apostolica fides. In hac fide Augustę, oẽs oportet manere, neq; quid quã inde trãsmutare artificijs cõtentionibusq; uerborũ, quod faciunt Ariomanitæ, qui ex nõ entibus filiũ Dei extitisse, eumq; nõ fuisse, anteqũ fieret, eum denicq; creatũ, factũ, & mutabilẽ esse dicũt. Ideo enim, quemadmodũ prædiximus, Synodus Nicena anathemati zauit istiusmodi hæresim, & ueritatis fidẽ confessionibus approbauit, neq; leui aut simplici ratione Filiũ Patri similem esse asseuerauit, eumq;, ne ex leui re Deo similis, sed uerus ex Deo haberetur, cõsubstantialem esse scripto tradidit, quod propriũ est genuini & ueri Filij, ueri & naturalis Patris: sed nec alienauit Spiritũ Sanctũ à Patre & Filio, sed eũ unà glorificauit cũ Patre & Filio, & in una sanctę Trinitatis fide, eò q; una sit in Sãcta Trinitate Deitas.

ATHANASIVS IOANNI ET ANTIOCHO DILECTIS, ET COMPRESBYTERIS *suis in Domino* S. P. D.

GAVDEO etiam nunc de accepta epistola uestra, maxime aũt quia Hierosolymis missa est, & gratiam habeo quòd significastis de fratribus illic ad Synaxim cõuenientibus, & de illis qui sub prætextu quæstionum, simpliciores turbare uolunt. Cæterum de illis prȩcipit Apostolus, non esse attendendum rixis uerborũ, aut noua quærentibus, neq; studio noua dicendi, audiendiúe nos oportere teneri. Vos

autẽ quum habeatis firmum fundamentũ, quod eſt Chriſtus Dominus ueſter, & patrum de ueritate cõfeſsionem, auerſamini illos, qui plus, minúsue quàm in confeſsione eſt, loqui uelint, & maiorem operam fratrum utilitati impendite in metuendo numine, & ſeruandis præceptis, ut doctrina patrũ, & obſeruatione præceptorum, grati Domino in die iudiciȝ apparere poſsitis. Valde autẽ admiror audaciam eorum qui non reformidant obblaterare dilecto noſtro, & uere Dei famulo, Epiſcopo Baſilio: quum ex huiuſmodi obblateratione deprehendi & conuinci poſsint, quòd ne Patrum quidem cõfeſsionem aut ament aut amplectantur. Salutate fratres, ſalutant uos qui mecum ſunt. Opto uos ualere in Domino dilecti, & deſideratiſsimi filiȝ.

ATHANASIVS DILECTO FILIO SVO PALLADIO PRESBYTERO, IN DOMINO SALVTEM.

TVA accepta epiſtola gauiſus ſum plurimũ, & potiſsimum ob id quòd ea ſolito tuo more ſpirabat orthodoxas opiniones, & cȝ cauſam explicabat, cur cũ dilecto noſtro Innocentio uiuas, necȝ nunc tandem, ſed iampridem quum reſciuerã, tuam prudentiã approbaui. Quum igitur hoc inſtituto utaris, ſcribe nobis & ſignifica, & de fratribus qui iſthic ſunt: & de inimicis ueritatis, quid de nobis cogitẽt. Sed quod de monachis Cæſarienſibus ſignificaſti, hoc ipſum quocȝ didici è dilecto noſtro Dianio, quòd grauentur, & reſiſtant dilecto noſtro Epiſcopo Baſilio, tibi certe, quòd mihi rem indicaſti, gratias ago: illis uero, quę decuit, ſcripſi, ut ueluti filiȝ obſequantur patri: nec iȝs, quæ ille probat, contradicãt. Nam ſi ſuſpectus eſſet in negocio ueritatis, recte pugnarent: ſin autem confidunt, ut omnes confidimus, eum eſſe gloriã Eccleſiæ, dum ita decertat pro ueritate, & docet eos, qui indigent doctrina, nõ fas eſt cum tali homine pugnas conſerere: ſed amandus potius eſt ob pium animum. Nam exiȝs, quæ cognoui ex dilecto noſtro Dianio, nulla de cauſa eum grauatim ferũt: ipſe enim, ut plane mihi perſuadeo, infirmus efficitur apud infirmos, ut infirmos lucretur. Dilecti aũt fratres noſtri reſpicientes ad ſcopum eius, quo ad ueritatem tendit, glorificent Dominum quòd talem Epiſcopum Cappadociæ dederit, qualem ſingulæ prouinciæ ſibi optant. Tu aũt dilecte, uelis iȝs indicare ut credant me hæc ſcripſiſſe. Id enim uos erga Patrem beneuolentes reddet, & pacem in Eccleſiȝs conſeruabit.

Opto te in Domino ualere fili dilecte.

ATHANASII

ATHANASII ARCHI-
EPISCOPI ALEXANDRIAE,
AD DRACONTIVM EPISCOPATVM FVGIENTEM, EPISTOLA.



AESITO quid scribam, an ut recusantem, an ut temporis respectu, & Iudæorũ metu temet abstrudentẽ incusare debeam: ueruntamẽ siue id ea de causa, siue aliunde proficiscitur, nõ uacat culpa id q̃d agis, charissime Draconti: nõ eñ fas est eum, qui hanc gratiã accepit, in occultũ abdi, neq; prudentis est suppeditare alijs occasiones fugiendi. Multi eñ istis auditis scandalizabuntur, quasi istud non temere facias, sed tempora intuearis, ac impẽdentes Ecclesię tribulationes. At uereor, ne dum propter te fugis, propter alios sis in periculo apud Dominũ. Si enim ei, qui unũ ex pusillis istis scandalizat, præoptare sibi potius debet molam asinariã collo suo circũdari, & ita demergi: quid de te futurũ existimas tam multis author scandalorũ? Primũ eñ illa Alexandrię mira inexpectataq; concordia in te deligendo, ob tuũ discessum necessario dissipabitur, & Episcopatus huius loci à multis diripietur: deinde gentiles qui promiserãt, se in tui Episcopatus ordinatione Christianos fore, in gentilitate permanebunt, tua pietate uilipendente, gratiã functionemq; sibi datam. Quámnã igitur excusationẽ super istis allegabis? quibus uerbis istiusmodi culpas abluere, uel abstergere poteris? Quomodo medeberis per te cadentibus & scandalizatis? quomodo pacem semel disruptã copulabis dilectissime Draconti? pro gaudio mœrorem, pro cõsolatione luctum attulisti. Sperabamus enim nos unà tecum consolationẽ capere. Nunc autem te fugientem cõspicimus, & ex fuga futurum prospicimus, ut & in iudicio de eo crimine conuincaris, & conuictus misere doleas: Et quis tibi, ut propheta dixit, parcendum putabit? Aut quis cum pace ad te redibit? quũ uideat fratres propter quos Christus mortuus est, tua fuga noxam accepisse? Id enim scire oportet, & nequaq; ambigere, te priusquã ordinabaris tibi uixisse: ordinatum aũt, illis uiuere, quibus ordinatus es. Et antequam acciperes Episcopi gratiam, nullus te cognoscebat: ex quo autẽ Episcopus factus es, populi expectant, ut cibum illis feras ex doctrina scripturarum. Quum igitur expectantes isti in esurie sint: tu aũt te solum alas, & uenerit dominus Iesus, nosq; illi asisistamus, quam habebis excusationem, quum uiderit ille suas proprias oues esurientes? Si non accepisses denarios, nequaq; ille te incusauerit. Cæterũ quum acceperis, eosq; infoderis, & in occulto habueris, merito incuset, proferens illa uerba, quæ absit ut audiat tua religiositas: Oportebat te porrigere denarios meos trapezitis, ut ego ueniens ab illis repeterẽ. obsecro igitur, ut tibi ipsi & nobis parcas: Tibi ipsi, ut periculum euites: nobis, ne super te lugeamus. Curã habe tuæ Ecclesiæ, ne per te multi ex pusillis detrimentum accipiant, alijq; ex tuo exemplo occasiones nanciscantur se subducendi. Si igitur tempora metuis, &

tuis,& formidine contractus id feciſti,nequaq; illud uirilis eſt animi:opor-
tebat enim te ſecundum zelum Chriſti,in iſtiuſmodi temporibus ſpecimen
tui edere,& potiſsimum in grauioribus circunſtantijs,fiducia libertateq; u-
1.Ioan.2 ti,& dicere beati Apoſtoli uerba,In omnibus iſtis magnifice uincimus,ma-
xime ea de cauſa,quia nõ temporibus nos,ſed Deo ſeruire cõdeceat.Quòd
ſi ordinatio Eccleſiarum tibi non placet, aut nullam omnino mercedem E-
piſcopi functioni deſtinatam arbitraris,Seruatoremq; qui eam ita inſtituit,
contemnis, oro te, ne iſtiuſmodi quid in mentem admittas, neq; authores
iſtiuſmodi conſiliorũ ſuſtineas.Non enim iſta digna ſunt Dracontio.Nam
quæ Dominus per Apoſtolos inſtituit,ea & bona ſunt,& firma perſiſtunt,
& fratrum ita meticuloſitas compeſcitur. Quòd ſi omnes eandem mentem
habuiſſent qualem nunc habent,qui tibi in conſilio ſunt, quo pacto Chri-
ſtianus factus eſſes,nullis uſquã repertis Epiſcopis? Quòd ſi uero poſt no-
ſtra tempora,iſtiuſmodi animos induunt, quomodo poterunt ſtare Eccle-
ſiæ? An opinantur illi qui tibi in conſilio ſunt,nihil te,quia ipſis hoc uile ui-
detur in Baptiſmate accepiſſe? Id reſtat ſcilicet, ut nihil exiſtiment gratiam
lauacri,ſi qui ſint qui eam cõtemnant.Sed reuera accepiſti,dilectiſsime Dra
conti,neq; mihi ſuſtineas iſtiuſmodi conſiliarios,neq; teipſum fallas.Repe-
tetur enim hoc à Domino,qui tibi dedit.An non audiſti Apoſtolũ loquen-
1.Tim.4 tem:Ne negligas eam quę in te eſt,gratiam? An non legiſti quomodo eum,
qui duplicauerat talentũ, approbet & excipiat Dominus: & occultantem,
condemnet? utinam quamprimum redeas,& fias unus ex collaudatis: Aut
dic cuius te uelint tui conſiliarij eſſe imitatorẽ. Oportet nos ſecundũ ſcopũ
ſanctorũ uitam moderari,eosq; imitari.Id quoq; ſciendũ, nos,ſi ab iſtis de-
ficiamus,alienos reddi ab eorum cõmunicatione.Quem igitur iſti te imita-
ri uolunt? ambigentem ne illum & uolentem quidem ſequi, ſed ſuperſeden
tem & deliberantem ob ſuos? An beatum Paulum, qui ſimul ac illi hoc mi-
niſterium iniunctum fuit,non adhæſit carni & ſanguini? Nam tametſi dixe
rit,Non ſum idoneus, qui uocer Apoſtolus, agnoſcens tamen quod ſuſce-
1.Cor.9 perat,neq; ignorans datorem eius,ita ſcripſit: Væ enim mihi eſt, niſi Euan-
gelizem.Cæterum ut uæ illi eſt,qui nõ euangelizat,ita ipſe docens & præ-
dicans Euangelium, pro gaudio & corona diſcipulos ſuos habebat. Qua-
propter ſtudium fuit ſancto uiro uſq; ad Illyricum illud prædicare, neq; ſe-
gneſcere,neq; omittere, quin Romam iret, & in Hiſpanias adſcenderet, ut
pro grauiori labore,maiore frueretur mercede laboris. Gloriabatur ſe igi-
tur bonum certamen certaſſe: & certus erat de magna corona, quam acce-
pturus eſſet. Igitur dilecte Draconti, quémnam iſta faciens imitaris? hunc
ne,an neminem ex hoc genere? Ego certe & te & meipſum, omniũ ſancto-
rum imitatores eſſe uellem.An forſitan ideo tibi conſilium ſuppeditant tui
occultandi,quòd dixeris iurarisq; non futurum ut ſtes, ſi conſtituaris Epi-
ſcopus? Iſtiuſmodi enim uocibus audio illos tuas aures circũſtrepere, & in
ea re ſe cautos uideri uelle.Eſſent illi uere quidem cauti, ſi miniſterio tibi in-
iuncto cautum uoluiſſent.Quòd ſi legiſſent Sacras Scripturas,non citra ila-
las conſilium darent. Quin iam tempus eſt, ut Hieremiam culpent,& ma-
gnum illum Moſen accuſent, quòd ipſorum conſilium non audierint, ſed

Deum

Deum ueriti officiũ miniſterĳ perfecerint,& prophetando adimpleuerint. Siquidem & illi ipſi miſsi, accipientesq; Prophetiæ gratiam,initio recuſabant quidem,ſed tamen poſtea timuerunt,neq; emiſſorem ſuum uilipenderunt. Iam igitur, ſiue ſis gracili uoce, ſiue impediriori lingua, uerere ſemper eum,qui te ita finxit,Deum,ſiue te nimis iuuenem dicas ad prædicationem, metue tamen eum,qui priuſquã formareris,nouerat te. Quòd ſi uerbum loquutus es,& uerbum ſanctis pro iuramento eſt, reminiſcere quæſo Hieremiæ, quomodo ipſe qui dixerat, Non nominabo nomen Domini, poſtea metuens illum qui in ſe erat,ignẽ non pro ĳs,quę dixerat,fecit,neq; ut præoccupatus erat iuramento,ſe in tenebras abdidit,ſed ueritus mandatorem, ſuam Prophetiam abſoluit. An non audiſti dilecte, quòd & Ionas quidem fugerit,eratq; qualis erat,ſed tamen poſtea denuo prophetauit? Ne igitur tibi diuerſa ab iſtis conſilia propone. Melius enim q̃ nos, noſtra nouit Dominus, & nouit quibus ſuas committit Eccleſias: quòd ſi quis dignus non ſit,ille mihi non ad uitam ſuam,ſed functionem ſuam, miniſteriumq; reſpiciat,ne ſimul cum uita illa ſua,etiam negligentię maledictionẽ referat. Nunquid igitur dilecte Draconti, quum talia legis & prudens ſis, animo compungeris? nõ curas,ne quis eorum qui tibi commiſsi ſunt,pereat? nõ ex conſcientia quaſi è flamma inardeſcis? non exhorres diem iudicĳ,in qua nullus eorum,qui tibi nunc conſilia dant, illic tibi opitulator futurus eſt? Quiſq; enim de ſibi cõmiſsis rationem reddet. Quid enim profuerat illi, qui denarium occultauerat,ſua cauſificatio? Aut quid profuerunt Adamo ſua uerba illa: Mulier me decepit? Dilectiſsime Draconti, ſi reuera ſis imbecillis, ſed tamen curam te,ſolicitudinemq; ſuſcipere oportet,ne Eccleſiam deſertã inimici lædant,occaſionẽ ex tua fuga mutuãtes, oportet te accingi, animumq; recipere,ne nos ſolos deſtituas in hoc certamine. Oportet te collaborare,ut cum omnibus mercedem accipias. Propera igitur dilecte,neq; amplius in mora ſis,neq; ſuſtine illos qui te impediũt,ſed reminiſcere eius, qui tibi hãc functionem iniunxit. Huc age te ad nos,qui te diligimus,& ea quæ ſcripturarum ſunt,conſulimus,ut à nobis productus, & ſacras functiones in Eccleſĳs obiens,mentionẽ precesq; pro nobis facias. Neq; enim tu ſolus ex monachis es conſtitutus, neq; ſolus monaſterio præfuiſti, neq; ſolus à monachis dilectus es. Noſti enim Serapionẽ monachum eſſe, & quot monachorum præfectum? Neq; à te ignoratur, quot monachorũ pater fuerit Apollonius. Noſti Agathonem,neq; ignotum habes Ariſtonẽ. Memor es Ammonĳ cum Serapione peregre profecti: fortaſsis etiã audiſti de Cue in ſuperiore Thebaide, poteris item reſciſcere de Paulo, qui eſt apud Latos, & de aliĳs multis: & tamen iſti Epiſcopi conſtituti non contradixerunt,ſed habentes pro exemplari Helizæum, & conſcĳ quid Helias egerit: & eruditi, quid diſcipuli Chriſti, Apoſtoliq; fecerint,ſuſceperunt hanc curam,neq; miniſteriũ hoc aſpernati ſunt, neq; propterea ſeipſis deteriores facti ſunt, ſed & laboris mercedem expectant,proficientes ipſi,aliosq; proficere adhortantes. Quot ab idolis cõuerterunt? quot à furioſa & dæmoniaca cõſuetudine ſuis admonitionibus compeſcuerunt? quot adduxerunt Chriſto ſeruos? adeo ut qui iſta ſigna cõſpiciant,admirentur. An quæſo non ingens ſignũ,puel-

lam

lam inducere,ut uirgo maneat? & adoleſcentiorem adhuc, ut ſit continens? & idololatram, ut agnoſcat Dominum? Ne igitur te impediant monachi, quaſi ſolus ad hoc è monachis conſtituaris, neq; una cum illis cauſificeris, quaſi teipſo deterior futurus ſis: poteris enim etiam melior fieri, ſi Paulum imiteris,& Sanctorū acta æmuleris. Noſti enim eos, qui ita creati ſunt diſpenſatores myſteriorū, rectius ſecundum ſcopum ſeſe incitaſſe ad brabeiū ſupernæ uocationis. Quando aūt Paulus cōteſtatus eſt,& coronam ſe accepturum expectauit, niſi quum miſſus eſſet ad docendum? Quando Petrus cōfeſſus eſt,niſi quū euangelizabat,& piſcator hominū factus eſſet? Quando Helias aſſumptus eſt, niſi quū uniuerſam Prophetiā ſuam adimpleſſet? Quando in Spiritu dupla obtinuit Helizæus, niſi quum omnibus relictis aſſectator factus eſt Heliæ? Cur autē delegit diſcipulos Seruator, niſi in id, ut eos prædicatum emitteret? Quapropter,quum iſtiuſmodi habeas exempla dilectiſsime Draconti,nec dicas,nec dicentibus credas, Epiſcopatū eſſe cauſam peccati,aut quòd inde naſcantur occaſiones delinquendi. Licebit tibi in Epiſcopatu eſurire,ſitire,ſicuti Paulo. Licebit & uinum non bibere,ſicuti Timotheus fecit: & ieiunare frequenter,ut Paulus ſolet, ut ita ſecundū illum ieiunans,alios ſermonibus nutrias: & ſitiens abſtinendo à potu, alijs docendo potum præbeas: Ne igitur talia obijciant tui conſiliarij. Nouimus enim & Epiſcopos ieiunātes,& monachos comedentes: Nouimus & Epiſcopos non bibentes uinum, & monachos bibentes: Nouimus quoq; Epiſcopos ſigna facientes,& monachos nō facientes. Multi quoq; ex Epiſcopis matrimonia non inierunt, monachi contra parentes liberorum facti ſunt: quemadmodum uiciſsim Epiſcopos filiorum patres,& monachos generis poteſtatem non quæſiuiſſe,animaduertas: & clericos bibiſſe,& monachos ieiunaſſe. Sic em̄ licet,& ad eum modū nō prohibebitur,ſed quiſq; ubi uolet,decertet: non enim corona pro locis, ſed pro factis redditur. Ne igitur ſuſtineas diuerſa conſulentes,ſed potius propera: & ne lentus ſis,maxime quia ſanctū feſtum appropinquat,ne ſine te populi hunc feſtum diem celebrent, magnumq; periculum tibi contrahas. Quis enim ijs Paſcha Euangelizabit,ſi tu abſis? quis illis euangelizabit diem reſurrectionis, ſi tu lateas? quis illis conſilia monſtrabit, ut rite epulentur, ſi tu fugias? ô quot apparebunt te aduenientē, quot noxam ſentient te fugiente? Et quis eſt qui te in talibus factis approbet? Sed quid eſt quod tibi authores ſunt, ne Epiſcopatum capeſſas, quum illi ipſi cupiant habere presbyteros? Si enim malus es, ne ſint ſocij & gregales tui: Sin autē te idoneū norunt, ne inuideant alijs. Quoniam, ſi docere & præeſſe ſecundum illos cauſa peccati eſt, ne ipſi doceantur, aut presbyteros habeant. Verū tu iſtis humanis uocibus ne intendas, neq; ſuſtineas eos, qui iſta ſuadent, quemadmodum ſæpius iam dixi: feſtina igitur, uel potius ad Dominum conuertere, ut dum curam tuarum ouium geris, etiam noſtri memineris: hac de cauſa, dilectos noſtros Hieracē presbyterum noſtrum, & Maximum lectorem adhortatus ſum iſtuc ire, ut etiam uerbis te incitarent,& ex illis cognoſcere poſſes, quo cum affectu iſta ſcripſerim,& periculum ſimul, quod tibi imminet, ex iſta detrectatione Eccleſiaſtici ordinis.

SANCTI

SANCTI PATRIS ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE, AD VENERABILES IN AFRICA EPISCOPOS, EPISTOLA.



SVFFICIVNT quidem scripta Damasi cõministri nostri dilecti, & magnæ Romæ Episcopi, cæterorumq; tot numero ibi congregatorũ, nihiloq; minus sufficiunt scripta aliorũ conciliorũ, quæ partim in Gallia, partim in Italia habita sunt, ad astruendã eam, quæ in nobis est, fidem, quã Christus largitus est, & Apostoli prædicarũt, & patres qui Niceæ undiquaq; ex nostro habitabili orbe cõuenerãt, tradidere, summa propter Arianos cura adhibita, ut qui in eam hæresim lapsi essent, resurgerẽt: & authores eius reprehenderentur. Huic certè concilio, uniuersus orbis assensum præbuit, & quanq; multæ habitæ sunt Synodi, huius tamẽ omnes sunt memores, tum per Dalmatiã, Dardaniam, aliasq; insulas, Siciliã, & Cyprũ, tum per Isauriam, Pamphiliam, Lyciam, & uniuersam Ægyptũ & Libyas: & plericq; in Arabia hanc agnouerunt, & admirati sunt, & subscriptione approbarũt: adeo, ut si quis restet ex Ariana radice progerminante amaritiem (loquimur autem de Vrsacio, Valente, cæterisq; qui idem sentiunt) per ista ipsa scripta abscisi reiectiq; comperiantur. Sufficiunt igitur ea quę Niceæ confessa fuere, satisq; per se uirium habent, quemadmodũ superius diximus, tum ad subuersionem impij dogmatis, tum ad tutelam utilitatemq; Ecclesiasticæ doctrinæ. Sed tamen quia audiuimus nonnullos huius oppugnandæ cupidos, allegare concilium Ariminense, quod ipsi iactitant authoritatem obtinuisse, necessario uisum est, ut uos scripto certiores reddi-tos admoneremus, ne istiusmodi homines tolerare uelitis. Est enim istud aliud nihil, nisi propago Arianicæ hæreseos. Qui enim Synodum contra istam hæresim habitam repudiant, quid aliud sibi uolunt, quàm ut Ariana inualescant? quid igitur illis dignum, nisi ut & Ariani appellentur, & eadem censuras ferant? qui neq; Deum metuerunt, ita dicentem, Ne transmoueas terminos æternos, quos posuerunt patres tui, &, Qui accusat patrẽ aut matrẽ, morte moriatur, neq; patres nostros quicq; reueriti sunt, denuncian tes anathema, si quis contraria suæ ipsorum confessioni sentiret. Siquidem œcumenica Niceæ Synodus celebrata fuit à trecentis & septemdecim Episcopis, ut de fide agerent, cõuenientibus, idq; ob Arianicam impietatẽ, quo caueretur, ne deinceps particulatim cauillationes fidei orirentur, aut si ortæ fuissent, ne authoritatem haberent. Quid enim in eo concilio defuit, ut nouam aliquam Synodum requirant? plenum enim est illud concilium pietatis dilectissimi, & uniuersum iam orbem terrarum adimpleuit. Hoc & norunt Indi, & quotquot apud alios Barbaros sunt Christiani. Vanus igitur

eorũ labor, qui contra illud alia subinde cõcilia moliuntur, quippe qui plus quam decẽ Synodos iam instituerint, in singulis semper aliquid innouantes, hoc à prioribus detrahẽtes, illa in sequentib. demutantes adĳcientesq; nihilq; sua ui hactenus, dum & scribũt & delent, profecerũt, ignari interim, omnem plantationem quam non plantauerit pater cœlestis, eradicandam esse: uerbum autem illud Domini per œcumenicam Niceæ Synodum, in æternum manet. Siue enim quis numerum cum numero comparet, tanto maior est Nicena Synodus particularibus concilĳs, quantum totum sui alĳ qua parte. Quòd si causam Niceni cõuentus à causis eorum, qui postea coierunt, discernere uelis, inuenies Nicenam Synodum rationabili causa coactã fuisse: reliquas autem per simultatem, & contentionem, & uim conflatas esse. Illa enim ob Arianam sectam & controuersiam paschatis celebrata fuit, eò quòd Syri, Cilices, & qui in Mesopotamia degunt nobiscum dissentiebant in temporibus Paschæ celebrandi, quod eodem die cum Iudæis celebrabant. Sed gratia Domino nostro, quia & de fide, & de sacro illo festo in concordiam itum est. Eaq; fuit causa Niceni concilĳ. Concilia aũt, quæ postea insequuta sunt pro Ario, contra œcumenicam Synodum instituta fuere. Id quum ita se habeat, quis ferat eos, qui Ariminensem, aut ullam aliam Synodum, præter Nicenam, in ore habent & iactitant? aut quis non odio habeat illos, qui quæ patrũ sunt, abrogant? recentiora aũt Arimini per uim & cõtentionẽ extorta anteponunt? Aut quis cum eis conuenire possit, qui ne secum quidem conueniunt, aut sua ipsorum approbant? quippe qui in suis concilĳs decem scilicet aut pluribus etiam, ut superius dixi, aliàs alia scribentes, satis docent se uniuscuiusq; suæ synodi criminatores esse. Idemq; illis fit, quod & Iudæis proditoribus fiebat: ut enim illi derelicto unico fonte uiuentis aquæ, effoderunt sibi cisternas contritas, quæ aquam continere non poterãt, quod apud Hieremiam Prophetã scriptũ inuenias, ita quoq; isti oppugnantes œcumenicam Synodum, effoderunt sibi Synodos complures, omnesq; illæ apud illos, ut manipulus sine uiribus euanuerunt. Ne feramus igitur illos, qui nobis Ariminense, aut ullum aliud conciliũ nominant. Videntur autẽ illi, qui Ariminense cõcilium in ore habent, ne illa quidem scire, quæ ibi acta sunt, quippe qui alioqui obticuissent: uos contra dilectissimi cõpertum habetis ex ĳs, qui è uestro numero ad cõcilium Ariminense se cõtulerunt, quomodo Vrsacius & Valens illic præsto fuere, & unà cum illis Demophilus, eosq; ideo depositos, exautoratosq; esse, quòd alia quàm quæ in Niceno cõcilio decreta essent, conscribere uellent. Quo tempore quum ab illis postularetur, ut Arianam hæresim anathemate damnarent, postulata præstare recusarunt, malebantq; se potius eius hæreseos duces præfectosq; uideri. Episcopi contra uere legitimi Christi serui, & recta fide prædĳti numero ferme ducenti, dicebant sufficere Niceni concilĳ dogmata, nec plus, nec minus, aut quærendũ aut credendum esse. Hæc & Constantio significauerunt, cuius iussu concilium coierat. Verum qui Arimini exautorati erant, profugientes ad Constantium, operam dedere, ut ĳ quorum sententĳs ceciderãt, quàm indignissime haberentur, minæq; adderen-

Hier. 2

tur,

tur, ne in suas parœcias discederent, quibus etiam uim in Thracia per hyemem intulerunt, quo eos cogerent ad res nouas, quas ipsi moliebantur, suscipiendas, concilium scilicet allegant? proferant mihi prius exautorationem illorum quos nominaui, deinde addant qui Episcopi scriptis suis statuerunt, ne quid amplius quàm quæ à patribus Niceæ confessa decretaq; essent, quæreretur: neue præter eam, ulla alia Synodus nomen obtineret. Sed hæc quidem in occulto habent. Illa uero quæ in Thracia per uim expressa sunt, iactitant, ex quibus liquet eos esse Arianicæ hæreseos gregales, & alienos à sana fide. Quod si magnum illud concilium, istorumq; coitiones, mutua inter se cõparatione examinare uelis, inuenies in illo quidẽ sanctam religionem: in istis uero absurdas rationes tractatas fuisse. Qui Niceæ conuenere, eorum nemo depositus, exautoratusq; fuit, ijsq; simul confessi sunt, ex Patris substantia esse Filium: isti contra semel atq; iterum, imo iam tertio depositi in ipso Ariminensi conuentu, ea audacia fuere, ut affirmauerint, illicitum dictum esse, essentiam aut hypostasin habere Deum. Ex quibus uidere licet, fratres dilectissimi, Nicenos patres scripturas spirare, ac redolere, loquente ipso Deo tum in libris Exodi, Ego sum qui sum: tum per Hieremiam, Quis est in substantia eius? & paulo post: Etsi stetissent in hypostasi mea, & audissent uerba mea. Hypostasis aũt essentia est, neq; alium significatum habet, nisi hoc ipsum, quod est, quod Hieremias ὕπαρξιν nominauit, dicens, Non audiuisti uocem ὑποστάσεως. Nam & ὑπόστασις & οὐσία id ipsum est quod ὕπαρξις, ac si dicas, subsistentiam & substantiam idem esse cum essentia. Est enim Deus, & subsistit. Hoc quum Paulus sentiret, ad Hebræos scripsit, Qui est splẽdor glorię, & forma ὑποστάσεως eius. Isti qui se putant scire scripturas, seq; sapientes arbitrantur, nolentes in Deo hypostasim nominare (Hoc enim scripserunt Arimini, & in alijs suis conciljs) qui quæso non cum summo iure depositi sint & habeantur? quum & ipsi loquantur unà cum insipientibus in cordibus suis, Non est Deus? Iam quum patres Niceæ docuissent, non esse nec creaturam nec facturam Verbum Dei, quippe qui ita de scripto recitarent, omnia per ipsum facta sunt, & in illo omnia creata sunt, & cõstant. Isti cõtra, potius Ariani q; Christiani, & in suis Synodis facturam illam ausi sunt dicere, & unum ex creaturis esse, quarum ipsum Verbum opifex est conditor. Atqui si Verbum, per quod omnia facta sunt, & ipsum quoq; creatura fuerit, sequitur, ut illud seipsum creauerit: sed qui quæso, id quod creatur, creare: aut quod conditur, condere poterit? Verum ne uel sic quidem pudore deterrentur, quo minus ea dicant, ob quę ubiq; apud omnes mortales in odio sunt. Ac citant pro se Ariminense concilium, quum liqueat eos etiam ibi exautoratos depositosq; fuisse. Quin & illud de Niceno concilio ὁμοούσιον allegant, quum tamen eius rei gratia bellum cum Niceno cõcilio gerant. Et ubiq; quasi culices, hac uoce circunstrepitant, in eamq; uel per ignorantiam impingunt, ut in lapidem offendiculi in Sion positum, aut prorsus citra ignorantiam id faciunt, quũ uim eius uocabuli intelligant: ac proinde cõtentiones bellaq; affectãt, & perpetuo murmure arrodunt hanc uocem, prorsus Arianæ hæresi infestam, eamq; colla-

Hebr. 2

befactantẽ. Necꝫ enim uoces illis moleſtiam afferunt, ſed damnatio ipſorũ quæ in uerbis iſtiuſmodi conſiſtit. Iam ſi hunc animum conſcij ſibi diſsimulatum uolunt, à nobis tamen id reticeri non debet, ut etiam hinc ſedula uerácꝫ diligentia magni concilij declaretur. Congregatis enim Epiſcopis, uolentibuſcꝫ uoces impietatis ab Arianis inuentas, è medio tollere, illud ſcilicet, quod aiunt, Ex non entibus, & quod aiunt, facturam & creaturam eſſe Filium, &, Erat quando nõ erat, & quod eſt cõmutabilis naturæ, & literarum ſacrarum uoces certas & confeſſas ſcripto complecti, nimirum ex Deo eſſe Filium, & natura unigenitum eſſe Verbum, eumcꝫ ſolum uirtutem & 1.Cor.1 Sapientiam eſſe Patris, & uerum Deum eſſe, ut Ioannes dixit, & Splendo- Heb.2 rem gloriæ, & formam ſubſtantiæ Patris, ut Paulus ſcripſit. Hic Euſebiani prauas ſuas opiniones ſequentes, inter ſeſe muſsitare: Imus quocꝫ & nos, inquientes, in ueſtram ſententiam. Nam & nos quocꝫ ex Deo ſumus, unus ſi- 2.Cor.3 quidem Deus ex quo omnia. Et uetera præterierunt, Ecce noua facta ſunt omnia, omnia uero ex Deo: & allegabant id quod in Paſtore ſcriptum eſt, Ante omnia crede unum Deum eſſe, qui condidit omnia, inſtauauit & fecit, ut ex non exiſtentibus exiſterent. Epiſcopi uero intellecta illorum uafricie, & dolis aduerſus pietatem, clarius expreſſerunt hanc ſententiã, ex Deo ſcilicet eſſe: & ſcripſerunt pro ijs ex ſubſtantia Dei, eſſe Filium. Ne uero creaturæ ſua ſponte & ſine autore uiderentur eſſe conditæ, ſed principiũ cauſamcꝫ initialem haberent, dictum eſt, eas ex Deo eſſe: Filium contra, ſolum eſſe proprium ſubſtantiæ Patris: id enim proprium unigeniti & ueri uerbi cum Patre: ac proinde de eo ſolo ſcriptũ eſſe, quòd ſit ex ſubſtantia Patris. Atcꝫ iſta fuit cauſa iſtius cõplexionis uerborũ. Epiſcopis uero denuo interrogantibus paucos iſtos, An ne agnoſcerent, Filium, non creaturam eſſe, ſed uirtutem & unicam Sapientiam Patris, & per omnia imaginem indemutabilem Patris, & Deum uerum? deprehenſum eſt Euſebianos inter ſe conſurrare & annuere, nimirum, quaſi iſta etiam ad ipſos pertinerent. Nam & nos, inquientes, imago & gloria Dei appellamur, & de nobis quocꝫ id dictum eſſe, quum & omnes qui uiuimus, aliæcꝫ res complures, uirtutes appellentur. Siquidem egreſſa eſt omnis uirtus Domini ex Ægypto, Erucam quocꝫ & locuſtam uirtutem magnam nominari. Et Dominus uirtutum no- Pſal.45 biſcũ, ſuſceptor noſter Deus Iacob: & nos eſſe Deo ſuos ac proprios, quippe qui etiam fratres dicamur. Quòd ſi etiam Deum uerum Filium nuncupent, id & nos quocꝫ non male habet, quoniam uerus Deus factus eſt. Hęc Arianorum corrupta & peruerſa mens. Cæterum Epiſcopi intellecta eorũ fraude, collegerunt in unum has uoces ex ſacris literis, ſplendorem, fontem, Ioan.5 & fluuium, & formam cum ſubſtantia, & illud item, Et in lumine tuo uide- Ioan.10 bimus Lumen, & illud quocꝫ, Ego & Pater unum ſumus: & pro maiori elucidatione ſcripſerunt, Filium Patri eſſe conſubſtantialem. Nam quum ſuperiora omnia hunc intellectum afferant, atcꝫ ita illorum obmurmuratio, cꝫ hæ uoces in ſacris literis non reperiantur, uana eſſe deprehenditur, quum ipſi ex uerbis in ſcriptura ſacra non receptis, impietatẽ ſuam inſtruant: ſcriptum ſiquidem nuſquã eſt, illud eorum, ex non entibus, & rurſus illud eorum,

rum,erat quando non erat. Sed ipsi interim mire incusant quòd per uoces non in scriptura solennes,sed tamen pie inuentas, cõdemnati sunt, quũ ipsi tanquam è stercoribus exorti uere de terra loquantur:Episcopi contra,non has uoces ipsi excogitarint:sed eas à patribus cõtestatas acceperint, & scriptis suis inseruerint.Siquidem prisci Episcopi ab hinc annis prope centum & triginta,tum qui Romæ, tum qui in nostra ciuitate Pontificatum gesserе,accusauerunt eos qui Filium creaturã dicerent,aut qui negarent eum cõsubstantialem Patri. Neq; eius rei ignarus erat Eusebius Episcopus Cæsariensis,qui quum prius suffragaretur Arianicæ sectæ, postea tamẽ Niceni cõcilij decretis subscripsit,& apud suos id ipsum proprijs literis affirmauit cuius hæc uerba sunt:Nouimus quosdã ex priscis eruditos & præclaros Antistites,aliosq; scriptores:quum de Patris & Filij deitate loquerentur, uoce cõsubstantialitatis usos esse. Quid igitur Ariminẽsem Synodum allegant, in qua damnati depositiq; sunt? aut quid accusant Nicenum concilium, in quo etiam ipsorum patres subscripserunt,& confessi sunt ex substantia consubstantialem esse Patri Filium? Aut quid circũcirca discurrunt, quum non solum contra eos qui Niceæ cõuenerunt,sed contra illos etiam qui diu ante ipsos fuere,magnos scilicet Episcopos,atq; adeo contra suos prælia incepterit? Quorum igitur se successores atq; hæredes uolunt? Quomodo poterunt eos appellare suos patres,quorum cõfessionem bene & Apostolicè scriptam non recipiunt? Alioqui si se contrà dicere posse arbitrantur, dicãt quæso,uel potius respondeant,ut in sese inuicem offensantes coarguantur. Quid? credant ne Filio ita dicenti? Ego & Pater unum sumus? &, Qui uidit me,uidit & Patrem meum,certe,inquient,quoniam ita scriptum est, credimus.Sed quomodo unum sint,& quomodo qui Filiũ uiderit, uiderit & Patrem,si iubeas eos exponere,prorsus dicturi sunt, id fieri ex utriusq; inter se mutua similitudine,nisi plane collapsi sint in impiorum sententiã, qui quod ipsis animis cogitant,uerbis promunt.Hic, si denuo cũ eis agas, probe tu quidem,sed id mihi dicas uelim,quibus nam rationibus ista similitudo cõciliatur aut constat? audacter professuri sunt perfectitudine uirtutis, animiq; concordia id fieri,& quòd idem uelit cum Patre, & quòd idem nolit cum Patre.Sed hoc uelim agnoscant,q; qui uirtute & similitudine uolũtatis par Deo efficitur,eum mutandi sui arbitriũ habere. Atqui tale nequaquam est uerbum,nisi intelligatur id aliqua ex parte,& non in solidum nostroq; more,non natura substantiæ similitudinẽ cum Deo habere. Hæc enim in nobis propria sunt,qui creatam conditamq; naturam adepti sumus. Nam & nos,tametsi ratione substãtiæ similes Deo esse non ualemus, tamẽ uirtute meliorati Christum imitamur,atq; id donante nobis Domino, cuius hæc uerba sunt.Estote misericordes sicut Pater uester,Estote perfecti sicut Pater uester cœlestis perfectus est.Creata aũt mutabilia esse,nemo inficias iuerit,quum & Angeli præuaricati sint,& Adã obaudiuerit,& omnes egeant gratia uerbi.Mutabile uero immutabili par esse nequaq; poterit, ut nec quod creatum est,creatori. Quapropter nostram naturã respiciens sanctus ille dixit,Deus quis similis erit tibi? aut quis cõparabitur in dijs domi-

Ioan. 14
Ioan. 10
Matth. 7
Matth. 5

ne? ubi Deos quoq; appellauit res creatas, sed tamẽ participes Verbi. Quẽ admodũ ipse dixit: Si illos dixit Deos ad quos uerbum Dei factum est, sed hæc de ijs, qui in participatum recipiuntur, nec perpetuo immutabiliter sibi constant, neq; similia illius sunt, cuius consortio imbuuntur. De se autem
Ioan.10 hunc sermonem dixit: Ego & Pater unum sumus, ut intelligeres rem creatam non istiusmodi esse. Alioqui respondeant mihi qui Ariminense concilium præferunt, an ne possit condita natura ita loqui, Quæ uideo Patrẽ facientem, hæc & ego quoq; facio, quum ea, quæ cõdantur, fiant, nisi uelis ut illa seipsa faciant? Quòd si omnino, ut dicunt, creatura est Filius, & fecit eum Pater, plane sequetur, ut seipsum quoq; fecerit Filius, quum possit omnia facere quæ facit Pater, ut ipse de se testatur. Sed id prorsus absurdũ, & nulla ratione consistere potest. Nemo enim sui condendi potestatem habet. Iam mihi denuo respondeãt, an possint ulla creata dicere, Quæcunq; habet Pater, mea sunt? Habet aũt ille uim creandi, condendi, æternitatem existendi, & potestatem in omnia, & immutabilitatem: contrà, quæ creata sunt, creare non possunt, quippe quæ ipsæ creaturæ sint, & æternitatem non habeant, sed aliquando inceperint esse: nec omni potestate aut immutabilitate præditæ sint, quippe quæ sub alterius imperio detineantur, & uariantis naturæ sint, quemadmodũ scripturæ loquuntur. Quocirca si omnia ista Filij sunt, non igitur ex profectu uirtutis, ut diximus, similitudo Paterna in Filio conciliata est, sed ex ipsa Patris substantia prouenit, ut dixit Synodus. Non igitur ex alia substãtia est, quàm ex Paterna, cuius ista sunt propria. Iam quod proprium est Paternæ substantiæ, quodq; inde genitũ prodijt, quid quæso, existimandum est, aut quo nomine appellabis, nisi cõsubstantialem? Siquidem quæ quis in Patre uidet, eadem quoq; uidet in Filio, Filio inquam illo, non qui ex impartitu substantiæ, sed secundum substantiam Filius sit.
Io.10.14 Hoc enim est, Ego & Pater unum sumus: &, Qui uidit me, uidit & Patrem meum. Enimuero pulchrum fuerit etiam hinc illorum uecordiam ostendere. Nam si ex uirtute, in qua est uelle & nolle, morumq; in melius progressione diuinitas illi contigit, nimirum nostro more, Filius Patri similis fuerit, quum ista simul & qualitatis & substantiæ sint. At quis sustinuerit talia discentes? Non enim Deus compositus est, qui omnia ut essent, composuit: neq; talis, qualia sunt, quæ per Verbum eius facta sunt. Absit quippe, qui sit simplex substantia, in qua non est ulla qualitas: neq; ulla, ut testatur Iacobus, immutatio, aut uicissitudinis adumbratio. Quum igitur ostensum sit, non ex uirtute hanc similitudinẽ profectã: non enim ulla qualitas in Deo, ut nec in Filio, si modo eum similem esse ei uelis, in quo qualitas non est: restat ergo, ut ex proprietate substãtiæ ista similitudo proficiscatur. Id credo cõfitebimini, nisi mens ipsa plane in uobis perijt. Iam quod proprium est, & idem cum substantia Dei, & genitum inde naturaliter existit, quid quæso fuerit, nónne hoc cõsubstantiale putabis cum genitore? quum id insigne notaq; sit Filij cum Patre? certe qui hoc non dicit, ille non sentit natura, & uere Filium esse Verbum. Hoc intellectu uidelicet, scripserunt patres Nicæni concilij, Filium Patri consubstantialem esse, eosq; anathemate damnarunt,

runt,qui dicerent ex alia ſubſtantia eſſe Filiũ. Neq; hac in parte ſibi iſta uocabula finxerunt,ſed à patribus qui ante fuerũt,ea didicerunt,quemadmodum diximus.Rebus igitur ad iſtum modum cõprobatis, ſuperflua eſt illorum Ariminenſis Synodus,ſuperflua & illa quæ ab ipſis appellatur Synodus de fide.Sufficit enim Nicena quæ cum ueteribus Epiſcopis conſentit, in qua iſtorum patres ſubſcripſerũt,quos iſtos reuereri oportuit, ne omnia potius q̃ Chriſtiani habeantur.Si igitur poſt tot documenta, poſtq; teſtimonia ueterum Epiſcoporum,& poſt ſubſcriptionẽ ſuorum patrum,quaſi ignari ſimulent ſe exhorrere uocabulum ὁμοούσιον, ſiue cõſubſtantialitatis,ſedulo pariter & dicant,& ſentiant Filium natura,& uere eſſe Filium,& anathemate execrentur,ut imperauit Synodus in eos fieri, qui dicũt eum factu ram,aut creaturam,aut ex non exiſtentibus extitiſſe,&, Erat quando non erat Filius Dei,quoniam immutabilis & inalterabilis exiſtit,& nequaq̃ ex alia ſubſtantia.Et ita fugiãt ab Arianica ſecta.Nec dubitamus, quin, ſi iſtos errores candide & ex animo anathemate execrentur,confeſſuri ſint, Filium ex ſubſtantia Patris eſſe,Patriq; cõſubſtantialem eſſe. Ideo enim patres dixerunt,Filium Patri cõſubſtantialem:atq; illud etiam ſuis ſcriptis addiderunt,eos qui Filium conditum aliquid,aut factum pronunciant,aut ex non entibus extitiſſe,& quòd erat,quando non erat Filius, Eccleſiam Catholicam anathemate percutere,ut omnibus notum facerent, hãc significationẽ habere uocem cõſubſtantialitatis,uimq; huius uocabuli id ſibi uelle, ut intelligas Filium non eſſe rem creatam,aut conditam,eumq; qui Filium Patri cõſubſtantialem dicit,ita ſentire,ut credat neutiq̃ Filiũ creaturã, aut opus eſſe:& contraria illa anathemate execrentur,Et cõſubſtantialem eſſe Filium Patri arbitrentur,eumq; dicendo cõſubſtantialem genuinũ,& uerũ Filium eſſe Dei animo cõcipiant, affirmãdoq; eum genuinũ Filiũ, recte intelligant illud ſcripturæ:Ego & Pater unum ſumus:&, Qui ujdit me,uidit & Patrem meũ. Congruũ quidem erat,ut ea pluribus exequeremur,uerũ quia iam ſcientibus ſcribimus,ideo paucis ſignificandũ erat,optantes apud omnes uinculũ pacis cõſeruari,& omnes qui ſunt Catholicæ Eccleſiæ,idem dicere,& ſentire. Verum iſta à nobis non docendi animo, ſed admonendi ſcribũtur: Interim non ſoli ſumus qui iſta ſcribimus,ſed omnes in Ægypto & Aphrica,Epiſcopi nonaginta numero:omnium enim idem eſt ſenſus,& alij pro alijs,quem contigerit abeſſe,ſubſcribunt. Certe quum hoc animo eſſemus, & contigiſſet nos in unum conuenire, ſcripſimus dilecto Damaſo Epiſcopo magnæ Romæ, contra Auxẽtium inuaſorem Mediolanenſis Eccleſiæ, eumq; non ſolum in cõmunione eſſe Arianicæ ſectæ, ſed præter hoc multorum ſcelerum reum eſſe,quæ deſignauit cum Gregorio ſocio ſuæ impietatis.Miramurq; cur nondum depoſitus eiectusq; ſit ex Eccleſia. Gratiã habemus & illius pietati,& cæteris qui Romæ conuenerunt, quòd Vrſacio, & Valente cum ſocijs ſuis eiuſdem ſententiæ eiectis,concordiam Catholicæ Eccleſiæ cõſeruarint,quam apud uos integram, ſartamq; tectam optantes admonemus,ne eos feratis qui multitudinem,ut dixi,conciliorum prætexunt,quaſi pro cauſa fidei, Synodum ſcilicet Ariminenſem, Synodũ Arſenicam,

Ioan.10
Ioan.14

senicam, Isauricam, & Threijciam in urbe Cõstantinopolitana celebratam, & aliquot Antiochenas, sed turbidas & tumultuosas. Quapropter solũ apud uos authoritatem obtineat Nicena patrum de fide cõfessio, in qua omnes etiam eorum patres, qui nunc eam oppugnant, adfuere, & quemadmodum iam diximus, subscripserunt, ut & de uobis quoque Apostolus dicat, Laudo uos, quòd in omnibus mei memores estis: & quemadmodum tradidi uobis traditiones, ita eas seruatis. Ipsa enim Nicena Synodus reuera trophæum columnaq; est, ubi omnes hæreses inscriptæ ostentui sunt, ac triumphantur: eadem illa Synodus, blasphematores Spiritus Sancti, dicentesq; eum creaturam esse, subuertit. Nam quum patres statuissent de fide in Filiũ, id statim adiectum uoluere, Credimus & in Spiritum Sanctum, ut perfectã & plenam de sancta Trinitate Fidem confessionemq; absoluentes, formam eius, quæ in Christo est, fidei, & doctrinam Catholicę Ecclesiæ exhiberent, quum & uobis & omnibus sit notum, neminiq; unquam Christianorum dubium fuerit, nos in Deum, non in creaturam fidem habere, Deum inquã Patrem omnipotẽtem, omnium uisibilium & inuisibilium conditorem: Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium eius unigenitum. Et in Spiritum Sanctum: unum Deum, in Sancta & perfecta Trinitate agnoscentes, in quam baptizamur, & in qua coaptamur deitati. Credimusq; nos possessuros regnum cœlorum, in Christo Iesu Domino nostro, per quem & Patri, & Spiritui sancto gloria, imperium, maiestas in secula, Amen. Valere uos, nostriq; memores esse in Domino optamus, dilecti & desideratiss.

OPERVM ATHANASII SECVNDI TOMI
FINIS.